
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX
169.
כדברך
הבינני
JOH. XVII.
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHIAE THEORETICAE

TOMUS SECUNDUS.

LYON.—IMPR. D'ANDRÉ PERISSE,

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ
IN
USUM PRÆLECTIONUM.

AUCTORE

FRANC. ROTHENFLUE, S. J.,

IN COLLEGIO SANCTI-MICHAELIS FRIBURGI HELVETIORUM
OLIM PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ
DEIN THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE.

EDITIO QUINTA

Recognita.

METAPHYSICA SPECIALIS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS-EDITORES,
SS. DD. N. PAPÆ
ET EM. CARDINALIS ARCHIEPISCOPI LUGDUN. TYPOGR.

LUGDUNI
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60,
in veteri domo.

PARISIIS
Apud RÉGIS RUFFET, acq^r,
VIA SANCTI-SULPITII, 88.
in recentiori domo.

1862

METAPHYSICA SPECIALIS.

Metaphysicæ specialis est, notiones ontologicas ad entia in specie applicare, atque adeo magnas illas quæstiones metaphysicas : *Quid mundus, quid homo, quid Deus et quæ horum inter se relatio sit*, solvere speciatim ac scientifice stabilire. Unde suapte naturâ in tres partes tota Metaphysica specialis dividitur, quarum 1ª *Cosmologiam ;* 2ª *Psychologiam*, et 3ª *Theodiceam* expendet.

PARS PRIMA.

COSMOLOGIA.

1. Existit ex testimonio sensuum externorum (1) *universum* hoc aspectabile, idque compositum est ex entibus, quæ sibi mutuo *connectuntur* vel *per causas efficientes*, seu ut unum ex alio sequatur, et hic *nexus dynamicus ;* vel *per causas finales*, seu ut unum ad usum alterius existat, et hic *nexus teleologicus* vocatur. Utrique autem hi nexus ad unum aliquod conspirant, et ita nexum universalem constituunt, qui dicitur *nexus cosmicus* seu nexus mundi. Itaque sit

(1) *Logic.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. pag. 185 et seqq.

2. PROP. I. Existit in mundo nexus dynamicus.

Prob. Quidquid existit in mundo, a causâ quâdam producitur, et ipsum dein tanquam causa alios effectus producit: atqui in hoc consistit nexus dynamicus; ergo...

Prob. Maj. Experientiâ constanti et universali scimus, terram et corpora cœlestia se mutuo attrahere vi gravitationis, unde regularis ille planetarum motus exoritur; in terra entia simplicia et integra corpora in sese agere vi attractivâ et repulsivâ; item objecta sensibilia in organa hominis, hominem in objecta et alios homines et ita porro; dein unum animal a præcedenti produci et ipsum aliud subsequens producere; ex succo in truncum arboris sublato et in ramos distributo enasci gemmas, ex gemmis frondes, ex frondibus flores, ex floribus fructus, ex fructibus in terram missis rursus oriri arbores: uno verbo; inter omnia entia mirum esse causarum et effectuum nexum · ergo.....

3. PROP. II. Existit in mundo nexus teleologicus.

*Prob.*Nam in mundo omnia sunt ita constituta, ut unum alteri subserviat : atqui in hoc consistit nexus teleologicus; ergo.....

Prob. Maj. Inprimis in corporibus organicis, præcipue animalium, aliæ partes sunt ad perceptiones, aliæ ad nutritionem, aliæ ad motum, aliæ ad tuendam vitam, in eâdem specie constanter et uniformiter destinatæ. In plantis autem radix ad firmitatem succumque hauriendum, cortex ad aeris incommoda etc. arcenda apta est; ipsæ vero plantæ ad nutrimentum animalium, animalia in usum et commodum hominum, demum aqua, ignis,

aer, terra in bonum plantarum, animalium, hominum comparatæ sunt; atmosphæra respirationi sustentandisque vaporibus, qui ex aquis oriuntur, deservit; venti vapores in nubes cogunt et noxias exhalationes dissipant; ex montibus aquæ decurrunt, sine quibus arescerent plantæ, perirent animalia et homines; tandem terra tota et corpora cœlestia in invicem gravitant, et gravitatione hac suâ in pulcherrimâ istâ, quam astronomi mirantur, harmoniâ se conservant; ergo..... (1).

Schol. Ea itaque, quæ intelligimus, ad finem optime constituta sunt. Unde rationi consonum est, istis etiam, quæ non intelligimus, fines suos non denegare. Dico: *rationi consonum est.* Quis enim, si in horologio aliquo artificiali multa deprehendat ad finem horologii perfecte conspirare, ea, quorum aptitudinem ad finem non percipit, inutilia existimabit?

4. PROP. III. Existit in mundo nexus cosmicus.

Prob. Nexus dynamicus constituitur per seriem causarum efficientium, et teleologicus per seriem causarum finalium: atqui in serie causarum efficientium necessario deveniendum est ad causam primam, et in serie causarum finalium ad finem aliquem ultimum; ergo istæ series

(1) Qui de nexu et mirâ rerum mundanarum inter se concordiâ et mutuo usu plura et enucleatius exposita legere voluerit, consulat Bossuet: *De la connaissance de Dieu et de soi-même.* Fénelon: *De l'existence de Dieu.* Cousin-Despréaux: *Les leçons de la nature.* Racine: *Poème de la Religion.* Dullard: *Les grandeurs de Dieu dans les merveilles de la nature.* Sturm: *Betrachtungen über die Werke Gottes*, editionis a Galura curatæ, gallice; *Considérations sur Dieu, sur son existence et ses attributs, rédigées par un Théologien catholique. Turin* 1796. Demum plurimos alios, qui ex insectis, vegetalibus, corporis humani structurâ, admirandum prorsus nexum in mundo esse non minus legitime, quam facile concludunt.

necessario connectuntur cum causâ primâ et fine ultimo: atqui finis est, qui movet causam efficientem ad agendum (1); ergo finis ultimus cum causâ primâ et ita series causarum efficientium cum serie causarum finalium adeoque nexus dynamicus cum nexu teleologico necessario connectitur: ergo...(2)

Corol. Ex dictis patet, omnes partes mundi sibi mutuo aliquâ ratione connexas nonnisi *unum totum* constituere. Totum hoc Græci ob illam, quæ in eo cernitur, elegantiam, κόσμον seu *ornamentum*, et Latini ob eandem rationem *mundum* vocaverunt (3). Itaque *mundi* nomine in sensu stricto designatur rerum omnium conditarum, quæ cœlo terrâque continentur, universitas. Ast substantiæ, quæ in eo sunt, corporeæ in specie sumptæ *mundum corporeum;* spirituales et intellectuales *mundum spiritualem* seu *intellectualem* constituunt; imo etiam homo, quasi aliquid de omnibus creaturis participans μικρόκοσμος seu *parvus mundus* appellari consuevit.

Ast Cosmologia est *scientia mundi universim sumpti*, adeoque ea, de quibus agit, de totâ generatim rerum universitate intelligenda sunt.

(1) *Ontol.* Part. III. Cap. 2. Art. 2. Pag. 310 et 311—*a*).

(2) Per se clarum est, nos hic non id intendere, ut ea, quæ hic afferimus, rigorose et ad amussim dialectices probemus, sed tantum, ut experimentali modo, et quantum sensibus ipsis percipere possumus, ordinem in hoc mundo et nexum universalem esse ostendamus, atque ita prævie summariam hujus mundi ideam nobis efformemus. Dein vero per partes easdem quæstiones ita tractabimus, ut singillatim et simul etiam *a priori* stabiliamus et dialectice demonstremus id ipsum, quod hic tantum summatim insinuatum est.

(3) Uti jam Plinius animadvertit, *Hist. natur. Lib. II. Cap.* 4. dicens: *Quem græci* Κόσμον *nomine* ORNAMENTI *appellavere, eum et nos a perfectâ absolutâque elegantiâ* MUNDUM *dicimus.*

De mundo vero sic sumpto tres præcipue quæstiones fieri possunt; nimirum *unde*, *quid* et *qualis* sit. Primæ quæstioni respondet Origo; secundæ Natura; tertiæ Perfectio mundi: de quibus totidem sectionibus agemus

SECTIO PRIMA.

DE ORIGINE MUNDI.

5. De origine mundi in varias sententias abiverunt Philosophi heterodoxi veteres abeuntque etiamnum moderni. Attamen ad triplicem fere classem omnes revocari possunt; nempe ad *Fatalistas*, *Casualistas* et *Pantheistas;* de quibus ita agemus, ut distinctis seorsim capitibus everso primum fatalismo, dein casualismo et demum pantheismo, speciali tandem capite unice veram de origine mundi doctrinam opponamus et rationibus philosophicis invicte stabiliamus.

CAPUT PRIMUM.

De fatalismo.

6. Fatalistæ, ut auctorem mundi rejiciant, hujus originem *fato*, i. e. insuperabili rerum necessitati attribuunt. Fati hujus ideam in Philosophiam Græcorum induxerunt Philosophi Jonici, asserentes necessitatem materiæ æternæ, tanquam principii omnium rerum. Ex hac dein necessitate materiæ pantheismum evolverunt et hinc fatalismum confirmarunt Philosophi Græco-italici, præcipue Xenophanes et Zeno. Ex eo dein tempore quovis fere

seculo sub aliâ et aliâ formâ alioque et alio continuo nomine fatalismo, sibi plus minusve consequentes, adhæserunt plures. Omnes autem in duas maxime classes distingui possunt. Alii enim dicunt, *totum hunc*, qualis nunc est, *mundum* a nullâ causâ pendere, proindeque *æternum* esse et Deo ab æterno coextitisse, unico fere hoc nixi principio : *Motum non posse esse nisi ab æterno*. Hujus opinationis auctor Aristoteles quâlibet ætate inter atheos, quamvis ipse atheus non esset, multos sectatores sortitus est. Alii vero mundum hunc, qualis nunc est, non æternum, sed a Deo compositum esse docent; ast ex materiâ seu ex elementis materiæ præexistentibas *a se* et *necessario*, quæ adeo, ut Plato voluit, voluntati numinis supremi malitiâ et pervicaciâ suâ restiterint, ne talem faceret mundum, qualem voluisset, omnis scilicet mali et vitii expertem. Atque inde apud Græcos ita prævaluit de æternitate materiæ sententia, ut cum Platone Deum *non creatorem materiæ, sed opificem* tantum *mundi hujus* (1), utpote qui formam solum materiæ dedisset, plerique judicarent (2).

Tria hic itaque maxime examinanda : *a*) an mundus.

(1) Scilicet Plato *tria principia rerum* posuit per se ab æterno subsistentia, *Deum* opificem, *ideas*, juxta quas, et *materiam*, ex quâ Deus mundum resque mundanas formet. Quapropter SS. Patres hanc Platonicam doctrinam etiam statim oppugnarunt, utpote fatum cum Deo attemperantem. Hinc S. Ambros. Hexaëm. L. I. C. 1. *Tantumne*, ait, *opinionis sumpsisse homines præsumpserunt, ut aliqui eorum tria principia constituerent, Deum, exemplar et materiam, sicut Plato discipulique ejus, et ea incorrupta et increata et sine initio esse asseverarent : Deumque non tanquam creatorem materiæ, sed tanquam artificem ad exemplar, h. e. ideam intendentem fecisse mundum de materiâ, quam vocant hylen.*

(2) Vide Synops. hist. phil. Period. I. Sect 2. Epocha 1. Philosophia Ionica, Italica et Attica, ubi Philosophorum, quos hic citavimus, doctrinam breviter expositam invenies. Videatur etiam Cl. Maret in suo opere ; *Essai sur le Panthéisme dans les Sociétés modernes*.

qualis nunc est, possit esse æternus, adeoque *necessario* et *a se* existere: *b*) an motus materiæ sit necessario æternus; et demum *c*) an saltem præextiterint ab æterno elementa, ex quibus postmodum mundus iste formatus sit. Quæ tria, si ita refutata fuerint, ut etiam impossibilitas æternitatis seu aseitatis sive mundi sive elementorum mundi sive motûs æterni illucescat, ruit fundamentum non Græci tantum, sed omnis omnino et quomodocunque modificati vel modificandi fatalismi. Unde sit:

7. **PROP. I. Mundus non existit necessario et vi essentiæ suæ** (1).

Prob. 1° Quod necessario et vi essentiæ suæ existit, existit vi possibilitatis absolutæ(2); atqui mundus iste non existit vi possibilitatis absolutæ; ergo nec existit necessario et a se.

Prob. Min. Id non existit vi possibilitatis absolutæ, quod in suo conceptu non includit actualem existentiam a parte rei ut notam essentialem: atqui mundus iste non includit in conceptu suo actualem existentiam ut essentialem. Nam *a*) mundus iste potest concipi non existens, et *b*) etiam alii mundi huic nostro perfecte similes concipi possunt possibiles adeoque coexistentes, qui tamen non existunt adeoque nec actualem existentiam in possibilitate suâ involvunt; ergo etiam iste mundus non involvit in

(1) Advertere hic oportet, propositionem hanc coincidere cum illâ, quæ negat æternitatem mundi vel materiæ. Quod enim vere æternum est, est sine initio existendi; quod est sine initio existendi, non potest esse ab alio; ergo debet esse *a se* et hinc necessario et vi essentiæ suæ existere.

(2) *Ontolog.* Part. II. Sect. 2. Cap. 1. pag. 236 et seqq. in notâ

possibilitate suâ actualem existentiam adeoque nec vi essentiæ suæ seu necessario existit.

2° Quod necessario existit, existit *a se*, et quod *a se* existit, est necessario infinitum (1) : atqui mundus iste non est infinitus. Nam *a*) quod infinitum est, est simplex adeoque inextensum (2) : atqui mundus iste est compositus et extensus ; ergo.... *b*) Singula corpora, quæ mundum componunt, sunt finita, utpote alia extra alia posita : atqui ex finitis quantiscunque sibi additis nunquam potest fieri proprie dictum infinitum ; tum quia semper maneret collectio finitorum, quæ infinita esse repugnat ; tum quia compositum infinitum exigit numerum partium infinitum ; sed numerus corporum existentium repugnat esse infinitus sive in se, quà numerus ; sive etiam, quia corpora numero infinita replerent spatium etiam infinitum motumque omnem impossibilem facerent, quod est contra experientiam ; ergo mundus iste non est infinitus, adeoque nec *a se* seu necessario existit.

3° Quod necessario existit, est absolute immutabile tum ratione substantiæ, tum ratione modorum (3) : atqui mundus iste, quà compositus, est mutabilis tum ratione essentiæ suæ, tum ratione modorum ; ergo non necessario existit.

Prob. Min. per partes. Et quidem mundus iste est mutabilis

a) *Ratione essentiæ suæ.* Nam essentia mundi, utpote substantiæ compositæ, constituitur in certâ certarum partium compositione et unione (4) : atqui hæc com-

(1 et 2) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 1 et 2. pag. 232 et 245.
(3) *Ibidem*, Cap. 3. pag. 250.
(4) Ibid. Part. II. Sect. 3. Cap. 2. Art. 1. Pag. 265 et 267.

positio, uti experientiâ constat, in singulis distributive partibus dissolvi atque alio et alio modo conjungi et uniri potest; ergo mundus ratione essentiæ suæ potest mutari. Sed mutari etiam potest

b) *Ratione modorum.* Nam nullum est corpus, quod non possit aliter atque aliter modificari, moveri et existere, et quod de facto non aliter atque aliter modificetur, moveatur et existat; ergo et tota cellectio corporum seu mundus novas suscipit modificationes ex successione modorum et motuum, quos suscipiunt singula ejus componentia, i. e. corpora

Vide ad hanc rem etiam Nonnote (1) et Bergier (2).

OBJECTIONES.

8. OBJ. Mundus seu materia existit: atqui quod existit, semper extitit; ergo mundus existit necessario.

R. *C. Maj. D. Min.* Quod existit *necessario* et *a se*, semper extitit neque initium existendi habere potuit, *C. Min.* Quod existit *hypothetice* et *contingenter*, uti existere necessario debent omnia finita et mutabilia adeoque et mundus seu materia, *N. Min.* Secus et ille, qui hanc objectionem facit, hoc ipso, quod existit, semper et necessario existere adeoque sine patre et matre esse debuisset. Quod si dicat, se non semper extitisse talem, qualis nunc sit, sed talem se formatum esse ex materiâ præexistente; respondeo inprimis, ergo et mundum, qualis nunc est, ex actuali existentiâ inferri nequit semper fuisse

(1) Nonnotte seu auctor operis: *Erreurs de Voltaire.* In libro: *Dictionnaire philosophique de la religion.* Tom. 2. Art. *Matière.* Sect. 2.
(2) *Traité de la vraie religion.*

talem, adeoque quà talis etiam non necessario existit; id quod ad præsentem thesim sufficeret. Dein materia præexistens hoc ipso, quod aliquid ex eâ formari possit, non est immutabilis, ergo nec necessaria; ergo nec *a se;* ergo nec æterna; ergo ab alio et creata.

Inst. 1° Si mundus non existit necessario, est a Deo: atqui Deus simplicissimus et spiritualis non potest mundo, utpote materiæ, dare proprietates, quas ipse non habet; ergo non potest esse a Deo, adeoque existit necessario.

R. *C. Maj. D. Min.* Deus non potest dare proprietates, quas ipse non habet sive formaliter sive virtualiter et eminenter, *C. Min.* Quas ipse solum formaliter non habet, *N. Min.* Nam certe et anima producit cogitationes, quas prius formaliter non habuit; secus nullas novas cogitationes habere posset; et horologiarius conficit horologia, quæ certe prius neque in ipso formaliter erant. Hæc tamen similitudo tantum sunt, nec cum operatione divinâ ex æquo comparari possunt. Homo enim modos tantum producit, Deus autem ipsas res, quæ, cum prius ut formaliter possibiles nihil essent, per nutum voluntatis divinæ juxta exemplarem ideam Dei tanquam possibilitatem realiter spectatam fiunt entia realia (1).

Inst. 2° Atqui Deus non poterat habere ideam materiæ: nam eam nec accipere potuit extra se, utpote infinitus, nec intra se, utpote spiritualis.

R. *N. Min. subsumpt.* et *rat. addit.* Nam Deus, utpote ex unâ parte infinite intelligens, et ex alterâ absolute independens ab omni alio a se distincto in operationibus suis, necessario etiam debet simul sibi esse objectum

(1) Vide *Ontol.* Part. II, Sect. 1. Prop. II. et Object. Pag. 220 et seqq.

intelligibile omnium rerum (1). In sensu autem objectionis ipsa idea Dei, ut entis infiniti, tollitur. Si enim Deus non habet in essentiâ suâ quâ intelligibili ideas rerum omnium atque adeo ipsius etiam materiæ exemplares, etiam nunc materiæ atque adeo hujus mundi vel nullam ideam habet, et tum ne tantum quidem cognoscit, quantum homo (miserabilis Deus); vel ideam hanc acquisivit dependenter ab existentiâ materiæ, et tum est dependens in cognitione suâ ab ipsâ materiâ et mutabilis ab alio, adeoque nec infinitus; ergo nec Deus. Verum quid multum moremur futilitatibus. Negant Deum habere posse ideam materiæ intra se, quia est spiritualis. Ast spiritui repugnat quidem, formaliter in se continere *esse* materiæ, sed non ideam seu notionem materiæ: secus Deus nunquam ullo modo posset habere ideam materiæ, utpote semper æque spiritualis; nec nos unquam acquirere possemus ideam materiæ, utpote etiam spirituales. Sed scilicet ideæ rerum non sunt res ipsæ, sed ideæ per se spirituales semper sunt rerum etiam materialium, quomodocunque habeantur (2).

9. PROP. II. MOTUS MUNDI SEU MATERIÆ NON EST NECESSARIO ÆTERNUS.

Prob. 1° Mundus seu materia non existit necessario, sed est contingens ex propositione præcedenti; ergo nec ejus motus necessario vel ab æterno existit, sed est contingens et in tempore.

2. Si motus mundi vel materiæ esset æternus, dicen-

(1) Ibidem et *Psych. Rat.* Sect. 2. Cap. 1. Art. 3 in fine Notam.

(2) Vide etiam Anton. Genuensem. Elem. metaph. Tom. 1. Dissert 2., circa mundi æternitatem in notâ ad expositionem quarti argumenti Procli contra Bolingbroecke

dum esset; *vel* corpora alia ab aliis per seriem vel circulum impulsionum infinitum motum accepisse aut sibi mutuo dedisse, *vel* mundum ipsum per modum unius motum esse ab æterno propterea, quod vis motrix materiæ sit essentialis : atqui neutrum dici potest; ergo.....

Prob. Min. per partes, et quidem

a) ***Dici nequit, corpora alia ab aliis sive per seriem sive per circulum infinitum mota fuisse.*** Nam 1) esset numerus impulsionum et hinc motuum infinitus, quod repugnat. 2) Daretur effectus absque causâ. In tali enim circulo vel serie nulla esset prima et absolute sufficiens causa motûs, cum quivis motus causam sui haberet in præcedenti : atqui hoc sublatâ causâ primâ motûs æque repugnat, ac series vel circulus entium ab alio absque ente *a se* (1); ergo.....

b) ***Dici nequit, mundo vel materiæ vim motricem esse essentialem.*** Nam 1) id non est essentiale materiæ, sine quo materia concipi potest : atqui materia absque motu et vi motrice concipi potest; ergo..... 2) Omnis materia includit in suo conceptu inertiam (carentiam omnis spontaneitatis) et passivitatem, quâ corpus quiescens moventi ita resistit, ut pro variâ molis movendæ et velocitatis producendæ ratione etiam varia et quidem proportionata vis movens requiratur : atqui talis inertia excludit omnem vim motricem, utpote vim intrinsecam se ipsum ex uno loco ad alium transferendi; ergo vis motrix materiæ inesse non potest. Duo enim contradictoria eidem subjecto inesse nequeunt : atqui inertia et vis motrix sunt duo contradictoria ex dictis; ergo..... 3) Denique vis motrix materiæ

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 1. Pag. 256 et seqq.

essentialis vel in omnem vel in aliquam tantum partem determinatam niteretur : atqui neutrum dici potest. *Non prius.* Nam vis ista motrix in omnem partem nitens esset quoad directionem sibi ipsa opposita, ita ut nisus in hanc partem destrueret nisum ejusdem in partem oppositam et vice versâ. Sicut enim vis motrix ex necessitate essentiæ supponitur materiæ inesse adeoque ab essentiâ profluere, ita et nisus ipsius vis erit necessarius, et, utpote ab eadem essentia profluens, ejusdem intensitatis ; ergo vis ista hoc ipso, quod dicatur niti in omnem partem, in nullam niti posset.. *Non posterius.* Nam materia, teste experientiâ, variis successive motibus agitatur et ex essentiâ suâ indifferens est ad quamcunque directionem : atqui si quà directio ipsi essentialis esset, ea non magis mutari posset, quam ipsa ejus essentia. Quæ enim ab essentiâ sunt, sunt necessaria ut ipsa essentia, utpote ex eâ tanquam ex ratione sufficiente profluentia. Ergo materiæ vis motrix non est essentialis (1)

Eadem argumenta contra motum essentialem materiæ carmine non ineleganter evolvit Em. Cardinalis Melchior de Polignac (2).

OBJECTIONES.

10. OBJ. 1° Idea motûs includitur in ideâ materiæ : ergo motus materiæ est essentialis.

Prob. Ant. *a*) Idea materiæ includit ideam divisibi-

(1) De hoc ultimo argumento convenire adeo debuit ipse atheorum moderni temporis facile princeps, La Grange vel Paulus Baro de Holbach (utroque enim nomine infamis est) in suo opere : *Système de la nature.* Vide Synops. Hist. phil. Period. III. Epoch. 2.—I. Empiris in finc.

(2) Anti-Lucret. Lib. 4.

litatis : atqui idea divisibilitatis continet ideam motûs; ergo..... b) Materia concipi nequit sine qualitatibus sensibilibus : atqui omnes qualitates sensibiles sunt effectus motûs: ergo..... c) Ex eo, quod nullam materiæ partem inextensam noverimus, recte inferimus, extensionem materiæ esse essentialem; ergo a pari ex eo, quod omnis materia moveatur, concludere necesse est, motum materiæ esse essentialem.

R. *N. Ant.* Ad probationes vero

a) *C. Maj.* et *D. Min.* Divisibilitas *in actu secundo* seu actualis divisio continet ideam motûs, *C. Min.* Divisibilitas *in actu primo*, seu in potentiâ divisionis continet idem motûs actualis, *N. Min.* Porro materia non cessat esse materia, etsi ad actum secundum divisibilitatis seu ad actualem divisionem non transeat : secus nihil posset esse materia : non aliquid indivisum; quia ex supposito non esset materia, nisi sit in motu adeoque in actuali divisione : non aliquid divisum; quia ad materiam requiritur extensio adeoque compositio. Ergo motus materiæ non est essentialis.

b) *C. Maj. N. Min.* Nam qualitas sensibilis est certo visibilitas rei; sed quis diceret, v. g. solem nos percipere non posse, si semper in eodem puncto hæreret? Cæterum aliud est, quod qualitates sensibiles materiæ in nostra organa agant per motum aliquem impressum; aliud, quod istæ qualitates objective spectatæ non amplius in materiâ subsisterent, nisi sint in motu; id quod probandum hic esset ab adversariis, et quod probare nunquam poterunt.

c) *C. Ant.* et *N. Cons.* et *parit.* Nam sublatâ extensione

tollitur omnis notio materiæ, non item sublato motu actuali. Adversarii ipsi, agnoscentes in omnibus corporibus vim centripetam, eam tamen negant materiæ esse essentialem (et vero negare debent, cum vis ista impediri possit, nihil autem, quod ad essentiam rei pertinet, impediri possit, quin destruatur essentia). Quo itaque jure motum oscillatorium molecularem, per quem materia in organa nostra agit, eidem essentialem esse affirmant?

OBJ. 2° Natura multa perpetuo producit, conservat, agit : atqui nihil produci sine motu potest, nihil conservari, agi nihil; ergo motus est materiæ essentialis. Ita fere La Grange (1).

R. *D. Maj.* Natura producit, conservat et agit, Deo ita volente et ordinante, *C. Maj.* Ex essentiâ et necessitate sibi indita, *N. Maj.* Quod enim ex essentiâ est, semper eodem modo est : atqui plurimi motus in naturâ sunt et velocitate et directione et combinatione inter se diversi et variabiles ; ergo motus in naturâ non fluunt ex necessitate ejus essentiæ. *Dein D. parit. Min, N. Cons.* et *Conseq.*

Inst. Motus particulares sunt tantum modificationes motûs generalis, qui constituit essentiam materiæ ; ergo a motibus corporum particularibus nihil potest concludi ad motum generalem.

R. *N.* inprimis *Ant.* Nam certe, cum projicio v. g. lapidem, motus istius lapidis nequit esse modificatio motûs generalis sive terræ circa axem suum vel circa solem, sive astrorum per mutuam gravitationem. Item motus, quo plantæ bene ab hortulano curatæ crescunt,

(1) In opere jam citato : *Système de la nature.*

a motu quodam generali et materiæ essentiali non provenit adeoque nec ejus modificatio est; cum secus sine curâ hortulani, atque adeo sine semine projecto æque succrescerent istæ plantæ, quod est contra experientam. Dein *N*. etiam *Cons*. Nam si singulis corporibus seu materiis particularibus motus essentialis non est, neque est essentialis toti collectioni eorum seu ipsi mundo. Singula enim corpora per collectionem et unionem nihil acquirunt novæ essentiæ, nihil amittunt; ergo repugnat, ut collectioni eorum motus sit essentialis. Neque enim compositio seu collectio quà talis motum essentialem in suo conceptu involvit; secus etiam quodvis corpus, utpote etiam compositum, essentialiter esset in motu.

11. PROP. III. **Elementa materiæ non existunt necessario et a se.**

Prob. 1° Ens necessario et *a se* existens est infinite perfectum et immutabile : atqui elementa materiæ nec infinite perfecta sunt, ut patet; nec immutabilia, cum in compositionem et venire potuerint, et in aliam continuo et aliam venire etiamnum possint; ergo....

2° Ens *a se*, quia ens necessarium, est etiam independens in existendo existendique modo ab omni alio; ergo si elementa materiæ sunt a se, a Deo in ordinem redigi nequiverunt.

Recole etiam argumenta in propositione primâ hujus capitis allata; eadem enim, quæ contra necessitatem mundi, possunt etiam afferri contra necessitatem et aseitatem elementorum mundi.

Schol. Quomodo mala mundi sub Deo uno summe bono explicari possint, postmodum videbimus; quid vero

ad illud : *Ex nihilo nihil fit,* respondendum sit, in Logicâ vidimus (1). Modum quidem, quo id, quod nihil erat, incipiat esse aliquid, non intelligimus; sed neque quomodo ex semine arbor, ex arbore flores et fructus oriantur, intelligimus, et quis tamen id fieri negabit?

CAPUT II.

De casualismo.

12. Casualistæ, admisso fato et præsuppositâ necessitate materiæ præexistentis, ut Deum non creatorem solum materiæ, sed etiam opificem mundi esse negare possent (2), formationem mundi ex atomis præexistentibus *casui* attribuerunt. Casus vero duplex distingui potest : *absolutus* seu effectus sine ullâ causâ aut rationatum sine ullâ ratione sufficiente vel in se vel in alio, quod est absurdum et impossibile; et *relativus*, i. e, *vel* effectus inopinatus, cujus causa ignota est, *vel* effectus a causâ præter intentionem productus.

His præmissis systema hoc, quod a Democrito inventum et ab Epicuro maxime illustratum increduli moderni variis modificationibus adornatum recoquere non erubuerunt, paucis exponemus atque ita refutabimus, ut ejus utut modificati vel modificandi absurditas et interna contradictio undequaque pateat.

(1) *Log.* Part. II. Sect. 3. Cap. 1. In Object. 2. pag. 129.

(2) Nam, uti Cicero habet : *De natur. Deor.* I. 20, ita querebantur Epicurei : *Imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii, Deum?*

Juxta auctorum hujus systematis doctrinam duo sunt rerum principia : *plenum* seu atomi ab æterno a seipsis existentes, et *inane* seu *vacuum;* illæ numero, hoc extensione infinita.

Atomorum tres essentiales proprietates : *figura, magnitudo* et *motus* seu *impetus* æternus. *Figura* infinite variat ; *magnitudo* adeo exigua, ut oculis videri non possint ; *motus* perpetuus et juxta Democritum unius tantum directionis, nempe *a summo deorsum* juxta lineas perpendiculares et sibi mutuo parallelas ; juxta Epicurum vero præterea cum *clinamine* aliquo, quo a directione parallelâ inflectantur, seu *cum motu declinatorio*, ita quidem, ut motus iste declinatorius duplex sit, alter in *vacuo*, cum secus atomi nunquam in corpuscula coire possent ; alter in *corpore humano*, unde mens et libertas humana oriatur.

Atomi itaque, hæ triangulares, illæ quadratæ, hæ uncis, illæ ansulis instructæ et æterno motu in infinito vacuo agitatæ in se mutuo impingunt, et vel resiliunt vel conjunguntur et cohærent, hocque collisionum et agitationum genere multiplices combinationes oriri potuerunt, et inter alias etiam totus iste mundus, qualis nunc est, omnesque in eo res *casu* efformatæ sunt.

Contra hos horumque fautores sit sequens

13. PROP. Mundus ex motu et fortuito concursu hujusmodi atomorum nunquam oriri potuit.

Prob. 1° Nihil est in effectu, quod *aliquo modo* non sit in causâ : atqui in mundo reperitur mens, intelligentia, ratio, quæ in atomis *nullo modo* insunt nec inesse possunt : ergo nec ab illis provenire potuerunt.

2° Atomi istæ, utpote singulæ seorsim finitæ et multipliciter modificabiles non possunt esse *a se*, nec essentialiter seu vi essentiæ suæ *moveri* ex capite præcedenti.

3° Atomi istæ *non possunt esse numero infinitæ.* Nam numerus infinitus repugnat in se, et dein atomi numero infinitæ actu existentes spatium seu *vacuum* etiam actu infinitum prorsus replerent, adeoque omnem motum, qui ad formationem mundi rerumque mundanarum necessario requiritur, absolute impossibilem redderent. Sed

4° Atomi istæ *neque possunt esse numero finitæ.* Nam cum ex hypothesi hujus systematis essent *a se* adeoque infinite perfectæ seu realissimæ, vi possibilitatis suæ seu eo ipso existerent, quod interne possibiles essent (1): atqui nulla est ratio, cur id, quod pluries interne possibile est, ultra certum numerum cesset esse interne possibile; ergo indefinities possibile erit, et cum id, quod actu et vi essentiæ suæ existit, non possit esse indefinitum, sequitur, atomos illas hoc ipso, quod supponantur plures, non posse esse numero finitas, sed vel infinitas vel nullas existere posse.

5° Atomi istæ *non possunt habere varias figuras.* Nam figuræ istæ essent atomis vel *accidentales* vel *essentiales:* atqui neutrum dici potest. *Non prius;* quia ens necessarium et *a se* nihil potest habere accidentale. *Non posterius;* quia substantia quælibet extensa ex ipso conceptu suo est indifferens ad hanc vel ad illam figuram. Insuper figuram istam haberent omnes ex essentiâ eâdem, i. e. ex aseitate; ergo et figura eadem esse deberet.

(1) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 1. Prop. II. et III. Pag. 233 et seqq.

6° Atomi istæ *non possunt moveri a summo deorsum.* Nam motus aliquis a summo deorsum eatenùs dici posset, quatenùs supponitur corpus aliquod jam fixum tanquam centrum, juxta quod directio motûs denominetur : atqui juxta casualismum ante atomos primitus in motum positas nullum erat hujusmodi centrum, ad quod relatæ istæ atomi in hanc potius, quam in illam directionem dici possent moveri ; hoc enim centrum ab ipsis atomis concursu fortuito prius erat constituendum ; ergo absurdum et Philosopho indignum est assumere, istiusmodi atomis motum aliquem a summo deorsum convenisse. Demum istæ atomi

7° *Non possunt dici clinamine aliquo deviasse a directione parallelâ.* Nam atomi istæ supponuntur et supponi debent motæ esse ex necessitate naturæ suæ : atqui repugnat directionem motûs necessariam et essentialem aliquando inflecti aut deviare ; ergo clinamen istud ab Epicuro excogitatum est absurdum, et consequenter nec atomi istæ unquam in aggregatum aliquod coire potuerunt. Ad quam rem egregie Tullius (1), acerbus hujus chimeræ insectator : « *Quæ ergo nova causa in naturâ est, quæ declinet atomum ? Aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non ? Aut cur minimo declinent intervallo, majore non ? Optare hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri et declinare dicis, neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causæ, cur ea non e regione ferretur ; nec in ipsâ atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita cum attulisset* (Epicurus) *nullam causam, quæ istam declinationem*

(1) De fato.

efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, quum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant.»

Ex his omnibus patet, tot absurditates in hoc systemate inveniri, quot sunt propositiones illud componentes. Ergo ex fortuito concursu atomorum mundus iste oriri nunquam potuit.

14. OBJ. A totâ æternitate infinitæ fuerunt atomorum combinationes : atqui in infinitis atomorum combinationibus necessario continetur etiam ea, quâ constat hic noster mundus; ergo hic mundus ex fortuito concursu atomorum oriri potuit. Et vero, si litteræ numero infinitæ infinitis vicibus in tabulam projicerentur, certe aliquando etiam Virgilii Æneis prodiret, cum hæc non sit nisi una ex infinitis combinationibus litterarum.

R. *N. Maj.* Nam hæc Major supponit omnia, quæ in thesi jam refutata sunt, nempe atomos esse et moveri *a se*, habere varias figuras, clinamine aliquo in se mutuo incurrere et cohærere posse et hujusmodi alia. Dein *N. Min.* concessâ etiam Majore. Nam supponit, priores atomorum combinationes inordinatas brevi tempore solutas ac destructas fuisse, hanc autem unam hujus mundi combinationem integram a multis seculis mansisse, perinde ac si atomi mente præditæ eam unice a totâ æternitate spectassent; quâ demum inventâ et compositâ quiescere potuissent, aut saltem certâ quâdam lege moveri debuissent, ne forte omnia in antiquum chaos relaberentur. Atqui hæc omnia sine ullâ ratione finguntur, quemadmodum sine ullâ ratione et absurde fingeretur, litteras ex essentiâ suâ motas tamdiu combinationes instituisse, donec formassent Æneidem, tum autem motum inhibuisse

vel saltem ita se movisse, ut opus suum non amplius destrueretur. (1) Cæterum cum infinitæ numero suppo-

(1) Graphice describit absurditatem casualistarum et unicâ quæstione vehementer premit Cl. Gerard, auctor operis: *La théorie du bonheur,..... faisant suite au Comte de Valmont* : à Nancy, 1834, in quo (chap. 3. Pag. 23 infra) ita loquitur : *Puisque nous en sommes à l'athéisme, que les partisans de Spinosa, les matérialistes, les athées, quelque nom qu'ils prennent et sous quelque forme qu'ils se présentent, me permettent de leur porter un défi : c'est celui de répondre à ce que je vais leur proposer : mais qu'ils le fassent nettement et sans ces qualités occultes, ces amphigouris philosophiques qui leur sont si ordinaires, sans tous ces grands mots vides de sens, par lesquels ils abusent de la crédulité de tant d'esprits faibles, ou, si l'on veut, de tant de demi-savants qui veulent bien d'ailleurs se laisser séduire. Ils prétendent que c'est le hasard, que ce sont des combinaisons fortuites du mouvement et de la matière qui ont formé tous les êtres : je ne m'arrêterai point à la chaine merveilleuse qui les lie entre eux ; je ne partirai que d'un fait que nous avons continuellement sous les yeux et que nous pouvons vérifier à chaque instant.*

Il est une infinité d'espèces d'animaux, à commencer par l'homme, par l'éléphant, si l'on aime mieux, et à finir par le ciron, par la mite, par ces animalcules qu'on ne peut voir à l'œil nu : et qu'on se souvienne que je ne parle que des espèces et non des individus, qui par des accidents pris dans le cours de la nature, peuvent déroger à la perfection de l'espèce entière. De celles-ci, qu'on m'en montre une seule où les parties diverses ne soient pas en rapport et ne portent pas l'empreinte de l'ordre et de l'intelligence. Dans toutes, les parties uniques occupent le centre ; les parties doubles sont parallèles et correspondent l'une à l'autre. Qu'on me fasse voir une seule de ces espèces où cette harmonie se démente, ou que quelque partie soit hors de place, hors de mesure, sans fonction et sans usage, où l'un des yeux soit sous le ventre, où l'une des pattes soit sur le dos, où il y en ait trois d'un côté et quatre de l'autre, où elles ne soient pas disposées régulièrement, mais confusément et à des distances inégales ; où, si l'insecte a quatre ailes, l'une soit sur la tête ou sur la queue. Voilà donc partout de la régularité, de la symétrie et des rapports, un ordre et un but marqués : pas la moindre exception : et que l'on me dise maintenant comment tout cela est l'effet d'une combinaison fortuite et l'ouvrage du hasard. Ici l'athée, dans une quantité innombrable, n'a pas un hasard, un défaut de construction pour lui, et il a tout contre lui. — Dein refutatâ inani illâ objectione, quod hæc præcise forma conservata post multas alias sola sit, quia sola subsistere et conservari possit : quod utique falsum esse patet in individuis monstris, quæ sine illâ symetricâ formâ speciebus propriâ subsistunt et conservantur : continuat :

Quelles réflexions n'aurions-nous pas à faire sur cette chaîne des merveilles qui remplissent l'univers..... sur les anneaux de cette chaîne si bien liés, depuis les astres qui roulent avec tant d'ordre, de régularité et de

nantur atomi, mundus autem hic infinitus non sit, remanent adhuc innumeræ atomi in vacuo vagabundæ; cur autem istæ nihil amplius combinationis novæ producunt? Demum concessis etiam præmissis, *N.* adhuc *Cons.* Nam quemadmodum ex infinitis etiam litteris infinities projectis, deficiente solum litterâ *a* vel *b*, nunquam Æneis prodire posset, ita ex atomis nunquam prodire potuit mundus iste, quia deficiunt atomi, ex quibus mens, intelligentia, ratio combinari posset.

CAPUT III.

De pantheismo.

15. Quamvis idea creationis proprie dictæ, cum semel habetur, adeo rationi consona sit, ut in eâ mens nostra non solum nec absurdi quidquam nec contradictorii inveniat, sed etiam ex innumeris erroribus, in quos sine eâ necessario labi necesse est, per eam solam extricare se possit, uti fatetur ipse Bayle (1); tamen hæc idea adeo sublimis atque adeo, dicam etiam, divina est, ut ad eam ratio sibi relicta et nullo altiori lumine illustrata, proprio marte vel nunquam vel certe difficillime attigisset. Atque

proportions, dans l'immensité des cieux, jusqu'à un brin d'herbe qui pompe l'air et les sucs de la terre, et qui, pour croître, a besoin de tous les éléments; jusqu'à une particule de matière qui obéit comme les astres aux lois de la gravitation; jusqu'à un grain de sable contre lequel la mer vient briser ses flots, et qui entre lui-même dans le plan de la création.

(1) *Diction. historiq. et critiq. Art.* Ovid. *Remarq. G.*, ubi auctor iste profecto minime suspectus ita habet: *Il faut, pour bien raisonner sur la production, considérer Dieu comme l'auteur de la matière et comme le premier et le seul principe du mouvement. Si l'on ne peut pas s'élever jusqu'à l'idée d'une création proprement dite, on ne saurait éviter tous les écueils, et il faut, de quelque côté qu'on se tourne, débiter des choses, dont notre raison ne saurait s'accommoder.*

hinc factum est et fit, ut ratio humana, ad unitatem intuitionis continuo eluctans, in pantheismum tanquam proprium suum opus et systema tam facile semper prolapsa sit et etiamnum prolabatur, quandocunque ideam creationis vel adepta non est, vel eam semel habitam ex mente rursus seponit. Modernis certe temporibus systema hoc fere unice viget, et est error nostri seculi tanto periculosior, quanto magis recondite serpit, et forte sæpe insciis et nihil tale opinantibus, certe ut plurimum diffitentibus auctoribus, in omnia fere non philosophica solum, sed etiam historica et litteraria, quin imo in religiosa etiam opera sese insinuat. Itaque brevi ejus expositione historicâ præmissâ id nobis satagendum est, ut systema tam perniciosum funditus evertatur (1).

Pantheistæ, ex voce græcâ πᾶν universum et θεός Deus, dicuntur illi, qui omnia, quæ sunt, Deum esse et præter Deum nihil vere esse docent. Proponitur vero pantheismus sive *sub formâ mythologicâ*, uti apud antiquos populos, sive *sub formâ scientificâ*, uti maxime apud recentiores. Sub formâ mythologicâ proponitur præcipue per modum *emanationis transeuntis*, juxta quam materia et res sensibiles omnes ex substantiâ Dei promanant, fere sicut radii ex sole evibrantur, vel sicut ex araneâ telæ, ex bombyce filamenta procedunt. Sub formâ vero scientificâ potissimum proponitur per modum *emanationis immanentis* seu actionis Deo immanentis; quâ ipsa substantia divina ex necessitate naturæ sub di-

(1) Omnia, quæ ad Pantheismum et præsertim ad Pantheismum modernum spectant, egregie exposita et enucleata videri possunt apud Cl. Ubaghs, professorem ordin. Philæ in universit. cathol. Lovaniensi in opere, quod inscribitur *Theodiceæ seu Theologiæ naturalis elementa*. Part. III, a pag. 128—226.

versissimis formis sese modificat, fere sicuti variæ figuræ eidem lapidi insculptæ hujus lapidis modificationes, sed ejusdem cum ipso substantiæ essent. Hæc emanatio consequenter cum Spinosismo et cum evolutione necessariâ Dei, qualem moderni pantheistæ assumunt, fere coincidit.

Est autem error hic antiquissimus. Invenitur enim in antiquissimis, qui noscuntur, libris *Indorum* (1), rigorose vero et maxime consequenter expositus in systemate Vedenticorum (2) et in Oupnek'hat (3), in quo Brahma, *ens indeterminatum*, proponitur ut solus existens, ita ut, quidquid Brahma non est, sit illusio. Nam brahma est ens infinitum et absolutum; ergo si res finitæ extra ipsum existerent, ab ipso productæ essent: atqui ab ipso productæ esse non possunt, quin habeat principium limitationis in se, quod repugnat infinitæ ipsius essentiæ; ergo omnia, quæ sunt, sunt ipse Brahma, et si homo res circa se ut distinctas a Brahma considerat, *illuditur et est in somnio*. Res enim istæ omnes identificantur cum Brahma, sicut fluctus maris cum mari, vel radii ignis cum igne. Eandem doctrinam et alii quidam antiquitatis populi, licet forte non adeo aperte, tradiderunt.

Apud Græcos inprimis Philosophi *Ionici* cum fatalismo pantheismum simul admittebant. Materiam enim æternam simul cum principio intelligente ipsam vivifi-

(1) Vide in: *Précis de l'histoire de la philosophie*, *publié pour le Collége de Juilly*, et: *Ueber die Sprache und die Weisheit der Indier*, a *Fr. Schlegel*, quæ ibi ex libris sacris Indorum referuntur. — Vide etiam Synops. hist. phil. Period. I. Sect. 1. — II. Phil. Indor.

(2) Hug. Windischmanni: *De Theologumenis Indorum*.

(3) Anq. du Perron: *Theologia et Philosophia Indica*.

cante et animante unum totum constituere docebant; fere sicut anima humana cum corpore unum hominem constituit. Dein vero Philosophi *Græco-Italici* proprie dictum pantheismum tradebant, omne finitum et materiale tanquam absurdum et in se contradictorium rejicientes ipsique ideo omnem objectivam realitatem abnegantes, cum nihil esse possit, nisi quod necessario et ab æterno est (1). Demum *Neoplatonici* ex Scholâ Alexandrinâ duce *Plotino* (2) ita pantheismum explicabant, ut systema Plotini paucis verbis expressum quoad sensum totam essentiam systematis Schellingiani exhibeat. Nam juxta Tenneman (3) systema Plotini ita resumi potest: *Philosophia eatenus solum possibilis est, quatenus cognoscens et cognitum*, SUBJECTIVUM ET OBJECTIVUM IDENTIFICANTUR. *Philosophiæ itaque est, cognoscere* UNITATEM, *quæ est principium et essentia omnium rerum, eamque cognoscere non cognitione et reflexione, sed* IMMEDIATA INTUITIONE, *quæ cognitionem præcedit.*

IN MEDIO ÆVO raro quidem se prodidit pantheismus; attamen *Scotus-Erigena* (4) mundum ex Deo et æternum locuit esse; et *Jordano Bruno* (5) doctrinam græco-italicam (Eleatensem) ita proprio systemate exposuit, ut cum

(1) Vide Synops. hist. phil. Period. I. Sect. 2. Epoch. 1.—1. et 2.

(2) Ibidem Epoch. 3. 3º.

(3) Grundriss der Geschichte der Philosophie. 1. Th. 1. Period. 3. Absch. 4. Abth. § 204 et 205, ubi systema Plotini exponit, uti De Gerando, qui *Hist. comparée des syst. de la phil. Tom.* III., ita unitatem Plotini explicat: *L'un n'est point l'être, il n'est point l'intelligence, il est encore supérieur à l'un et à l'autre: il est au-dessus de toute action, de toute situation déterminée, de toute connaissance.*

(4) *De Divisione naturæ.*

(5) *Della causa, principio e Uno. — Dell' infinito universo e mondi.*

pantheismo moderno, præsertim cum Schellingiano, fere coincidat (1).

INTER MODERNOS pantheismum scientifice stabilire conatus est *Spinosa* (2) Judæus; maxime ex principiis Cartesii male applicatis. Ad sequentia fere capita totum ipsius systema reduci potest:

1° Quidquid existit, existit vel *in se* vel *in alio*. Nihil enim existere potest, quod non sit vel substantia vel substantiæ modus.

2° Existit in naturâ substantia necessaria et æterna, quæ sicut *in se*, ita et *per se* est.

3° Substantia hæc, eo quod nec a se nec ab alio limitari possit, est omnimode infinita; ergo omnes in se perfectiones, realitates, et hinc omnes etiam earum modos, utpote qui extra substantiam esse non possunt, complectitur; ergo tanquam attributa essentialia habet *cogitationem* et *extensionem*.

4° Substantia necessaria et infinita datur unica, quæ Dei nomen obtinet.

5° Ergo quidquid esse videmus, in Deo est, et extra Deum nihil esse, nihil cogitari potest propter ejus infinitatem primum, et dein quia repugnat, substantiam a substantiâ produci.

6° Ergo corpora omnia non sunt nisi modificationes unius infinitæ substantiæ, quatenus *extensæ*, et spiritus, cogitationes, volitiones nihil nisi modificationes ejusdem

(1) Vide Synops. hist. phil. Period. II. Sect. 3. 4° et Period. III. Epoch. 3. 3°.
(2) *Ethica more geometrico demonstrata.*

quatenus *cogitantis;* adeoque Deus et totum universum unum ens sunt.

Recentissime tandem criticismus Kantii ansam dedit sive idealismo subjectivo *Fichtei*, quo τὸ *ego* ponitur ut *absolutum principium*, adeoque pantheismus aliquis subjectivus statuitur (1); sive idealismo objectivo *Schellingii* (2), qui principium omnis esse et cognoscere in absoluto, ut omnimodâ identitate subjectivi et objectivi, reposuit. Nam eodem jure, sicut subjectivum τὸ *ego*, etiam objectivum τὸ *non–ego* tanquam principium omnis esse poni potest; ast utrumque est relativum, ita ut unum alterum supponat; ergo neutrum est absolutum, et hoc in eo reponendum est, in quo cognoscens et cognitum, subjectivum et objectivum, spiritus et materia coincidunt, i. e. in absolutâ identitate seu in *indifferentiâ absolutâ omnium differentium*, quæ non ratiocinio cognosci; sed *immediatâ intuitione rationis* apprehendi debet. Unde schema systematis Schellingiani ita proponi potest:

Deus in se et quà πᾶν seu quà absoluta in se indifferentia differentiat se

Quà relativum reale			Quà relativum ideale	
		sub potentiis		
Gravitatis,	Materiæ	{	Veritatis,	Scientiæ
Luminis,	Motûs	{	Bonitatis,	Moralitatis
Vitæ,	Organismi	{	Pulchritudinis,	Artis.

(1) De quo jam Schelling : *Philosophische Schriften*, Band. I. Seite 44. dicit : Philosophiam in τῷ ego Fichtiano invenisse suum ἓν Καὶ πᾶν Vide Cl. Maret : *Essai sur le panthéisme dans les Sociétés modernes*. Cap. 4. Vide etiam in Synop. hist. phil. Period. III. Epoch. 3. 1°, 2°, 3° systemata Kantii, Fichtei et Schellingii exposita.

(2) *S.* *transcendentalen Idealismus.* — *Naturphilosophie.* —

Hegel id ipsum, quod Schelling intuitione purâ rationis vult apprehendi, ipse mediante ratiocinio evincere conatur. Cæterum cum Schelling conformis loco absolutæ indifferentiæ ponit *ideam puram* (1), i. e. notionem omnino indeterminatam, quæ non sit nisi idea. nihil distincti exhibens, et sub hac ideâ absolutum apprehendi debet, quod dein actu spontaneo evolvens sese ponit omne ideale et reale relativum, seu potius hæc idea est ipsum absolutum (2).

Hæc Germanorum doctrina, utut abstrusa et a sensibus remota, viam tamen invenit in Galliam, ubi maxime sub nomine Eclecticismi in maximâ parte scriptorum recentissimorum occurrit. Sic *D. Cousin*, præcipuus hujus opinionis fautor et promotor, quamvis refragetur, notam pantheismi non effugit. Docet enim pluribus in locis: infinitum esse causam absolutam et *necessariam* (3), esse unum et plura, individualitatem et totalitatem, infinitum simul et finitum, triplex demum, i. e. simul Deum, naturam et humanitatem (4). Quomodo eandem

Zeitschrift für spekulative Physik und Jahrbücher der Medizin.—Sammlung der kleineren philosophischen Schriften.

(1) *Phœnomenologie des Geistes. — Logik. — Encyklopedie der philosophischen Wissenschaften. — Natur-und Religionswissenschaft.*

(2) Quantis absurditatibus scateat hoc systema, clarissime pro more suo ostendit Cl. Staudenmaier in suo opere: *Darstellung und Kritick des Hegelschen Systems.*

(3) Fragments philosophiques., Cours de 1822. Leçon quatrième, pag. 84 : *L'infini est la cause absolue, qui* NÉCESSAIREMENT *crée et* NÉCESSAIREMENT *se développe. On ne conçoit pas d'unité sans multiplicité. L'unité prise isolément.... ne se développant jamais en multiplicité, en variété, en pluralité, est pour elle-même, comme si elle n'était pas. Il faut que l'unité et la variété coexistent, pour que de leur coexistence résulte la réalité, et l'unité admet la multiplicité, parce que l'absolu est cause.*

(4) Préface des fragments philosophiques : *Le Dieu de la conscience n'est pas un Dieu abstrait, un roi solitaire relégué par la création sur le trône d'une éternité silencieuse et d'une existence absolue, qui ressemble au*

doctrinam pantheisticam cum paucis solum modificationibus tradant et morali socialique vitæ applicent sive *DD. Leroux*, *Fourier* et *Reinaud*, sive maxime *Sansimoniani*, videre est apud Cl. Maret in opere jam pluries citato. *DD. Michelet*, *Lerminier* et *Guizot* autem ejusdem pantheismi principia historiæ applicuerunt, uti idem auctor ostendit. Demum pantheismum docet, et pantheistico sensu omnia explicat *H. Ahrens*, Professsor in liberâ Academiâ Bruxellensi, quamvis a pantheismo se longe distare solumque monotheismum docere autumet, temporumque ignorantiam deploret, quâ solâ fieri posse ait, ut non recte in-

néant même de l'existence : c'est un Dieu à la fois vrai et réel, à la fois substance et cause, toujours substance et toujours cause, n'étant substance qu'en tant que cause et cause qu'en tant que substance, c'est-à-dire, étant cause absolue, un et plusieurs, éternité et temps, espace et nombre, essence et vie, individualité et totalité, principe, fin et milieu, au sommet de l'être et à son plus humble degré, infini et fini tout ensemble, triple enfin, c'est-à-dire, à la fois Dieu, nature et humanité. Scio quidem Dominum Damiron; *Essai sur l'hist. de la phil. en France au 19e siècle, pag.* 342, ipsum excusare a pantheismo, atque hunc ipsum locum citatum a pantheismo vindicare velle ; sed vere rationes, quas undequaque conquirit, etiam eas, quas ex articulo aliquo de Xenophane in biographiâ universali primum in lucem edito affert, a pantheismo saltem hunc locum et alios hujusmodi satis excusare nequeunt, sed ad summum ostendunt, Dominum Cousin inter pantheismum et sensum communem fluctuum instar agitari et inconsequentem esse. Verum quidem est, in articulo de Xenophane Dominum Cousin falsam dicere sententiam eorum, qui sublatâ realitate hujus mundi unitatem reponunt in absoluto extramundano seu Deo solo ; falsam etiam eorum, qui in multiplicitate hujus mundi unitatem reponunt ; multiplicitatem enim per modum unius consideratam esse quidem totalitatem, sed non unitatem absolutam ; sed falsam esse ait utramque hanc opinionem propterea, quod utraque sit incompleta. Quomodo vero D. Cousin completam faciat, patet ex locis citatis ; scilicet dicendo, unitatem absolutam nec in infinito seorsim sumpto, nec in finito seorsim sumpto, sed in unitate absolutæ substantiæ et causæ, seu in eo reponendam esse, quod substantia sit causa necessaria, adeoque necessario creet. Unde multiplicitas seu finitum considerari deberet ut necessario a Deo procedens, adeoque ut attributum substantiæ, id quod cum Spinosismo omnino coincidit ; vel ut emanans ex substantiâ divinâ, id quod systemati emanationis immanentis, quod Do Cousin præcipue arridere videtur, correspondet.

telligatur. Sed opus ipsius Parisiis editum inspexisse sufficit, ut de contrario quivis convincatur (1).

16. Quod si jam omnia, quæ hucusque de pantheismo breviter exposita sunt, ad præcipua capita reducamus, hæc erunt, nec alia esse possunt, principia absonæ hujus doctrinæ.

I° *Unica datur substantia, seu unicum esse absolutum*; sive dein hæc unica substantia cum Hegel *idea pura*, sive cum Schelling *absoluta indifferentia*, sive cum Spinosa *infinitum*, sive cum Jordano Bruno *unum esse*, sive cum Plotino *unitas absoluta*, sive demum cum Indis *Brahma* (quiescens et sine ullâ determinatione) vocetur. Atque hoc est fundamentum omnis pantheismi (2). Si

(1) *Cours de philosophie, fait à Paris, sous les auspices du gouvernement de* 1838. Pauca hic citare juvat ex hoc opere, ut identitas doctrinæ ipsius cum doctrina reliquorum pantheistarum pateat. Itaque sic habet vol. II, pag. 196 et 197 : *Dieu, en tant qu'*ESPRIT, *est pensée, sentiment et volonté; en tant que* NATURE, *il est la lumière, la chaleur, l'attraction*, etc.; *mais Dieu est plus encore, il est l'unité et l'identité supérieures de ces manifestations opposées, il est l'unité et l'identité de la pensée et de la lumière. Dieu n'a pas existé sans le monde ; le monde n'a pas été créé dans le temps ; car l'essence du monde est contenue dans l'essence divine.* Dein pag. 279 : *La nature et l'esprit sont du même ordre d'essence et d'existence : vérité, qui change toute la conception vulgaire du monde* (certe, quia vulgus bono sensui et non pantheismo adhæret.) *L'Esprit ne peut pas être considéré comme un être supérieur à la nature. C'est l'égoïsme de l'esprit humain, qui en posant le principe spirituel comme le premier principe du monde, a déterminé l'être de Dieu d'après soi-même, en le concevant comme pure spiritualité, et a considéré la nature comme un être inférieur en la transportant hors du sein de Dieu. Mais Dieu n'est pas plus pur esprit qu'il n'est pure nature.*

(2) Unde etiam D. de La Mennais ex pantheismo male se extricat, dicendo, unicam quidem esse eamque absolutam substantiam, sed subsistere illam duobus modis essentialiter diversis, finito uno, altero infinito; sic enim res creatæ semper ejusdem erunt substantiæ ac Deus ab eoque per emanationem quandam progressæ. Id quod reipsa admittit de La Mennais. Postquam *Esquisse d'une philosophie* (1840) part. I. lib. 2. cap. 4, dixisset : *Les panthéistes ont raison de n'admettre qu'une substance*

enim plures sint substantiæ, plures realitates, seu plura entia distincta, jam omnia, quæ sunt, seu πᾶν non unice est Deus, sed præter Deum etiam aliud *esse* habetur. Ast invincibili convictione internâ ferimur ad judicandum, inter entia a nobis cognita, i. e. inter spiritum et materiam (inter subjectum et objectum, inter ego et non-ego) essentialem esse distinctionem et diversitatem ; insuper mundum hunc et omnia, quæ in eo sunt, esse finita, mutabilia, adeoque non posse esse unam necessariam et hinc infinitam substantiam. Ut igitur huic difficultati obviarent, duplicem viam inierunt, et vel transeuntem vel immanentem emanationem assumpserunt. Unde juxta aliquos pantheistas

II° Unica hæc substantia *in actum prodiens* EX SE *mundum hunc produxit ;* ut adeo mundus hic (materia et spiritus) cum divinâ substantiâ ejusdem sit essentiæ, uti telæ araneæ sunt ejusdem cum araneâ. Ita Indi aliqui et Persæ aliique orientales populi inter antiquos ; inter modernos vero D. Cousin, qui expressis verbis asserit, Deum mundum hunc non ex nihilo, sed ex seipso extraxisse (2). Ergo

unique ; mais, n'ayant pas compr is qu'elle peut subsister sous deux modes essentiellement divers, l'un nécessaire, l'autre contingent, ils se trompent en concluant de son unité radicale, qu'il n'existe qu'un seul être réel. Explicat dein, quâ ratione plura entia sint per creationem, sensu suo intellectam, i. e. per emanationem aliquam : nam ibidem cap. 8. resumens pius dicta ita continuat per modum orationis : *O Dieu ! oui, tout est de vous, et n'est pas de vous uniquement comme l'effet, le produit de votre opération toute-puissante, mais comme un écoulement de votre être indivisible et immuable. Toujours un, toujours infini, ce que vous créez, vous le tirez de vous-même.... Elle n'est pas vous : elle est, elle sera perpétuellement à une distance infinie de vous ; et néanmoins son être est quelque chose de votre être, sa substance quelque chose de votre substance.... Car d'où serait-elle et comment serait-elle, si elle n'était pas de vous?*

(1) Préface des Esquisses de philosophie morale, cinquième leçon, p. 26: *Dieu n'a point tiré l'univers du néant, mais il l'a tiré de lui-même.* Quod

juxta hos mundus iste ortus est ex Deo per *emanationem transeuntem*. Juxta alios vero

III° Unica hæe substantia *evolvit suum esse per emanationem immanentem* vel *realiter* vel *idealiter*. REALITER, ita ut spiritus et materia, cogitatio et extensio sint immanentia Dei attributa; multiplices vero cogitationes et extensiones variæ sint totidem modi seu modificationes istorum attributorum adeoque istius unicæ et necessariæ substantiæ seu Dei. Hi itaque realitatem mundi non præcise negant, sed cum divinà naturâ identificari contendunt, fere sicuti variæ figuræ lapidis cum lapide, vel uti H. Ahrens declarat, sicut varii colores seu refractiones luminis cum lumine identificantur. Ita inter Modernos Ahrens, clarius vero et apertius Spinosa; inter Antiquos, modo tamen magis mystico et ideali, Plotinus. IDEALITER, ita ut spiritus et materia (natura, mundus) subjectivum et objectivum in se non subsistant, sed sint ipsum obsolutum sub variis suis positionibus se manifestans (1). Hi

quamvis in sensu emanationis immanentis sæpe apud ipsum recurrat, cum tamen realitatem mundi hujus aspectabilis toties, saltem verbis, expresse affirmet, utique etiam in sensu emanationis transeuntis intelligi potest. Ceterum neutro sensu intellectus pantheismum effugit.

(1) Ex pantheismo sic spectato modernæ theoriæ historiæ fere prodierunt. Tali enim sensu ratio humana est una ex positionibus divinis, et evolutiones rationis humanæ sunt totidem evolutiones divinæ naturæ ex necessitate essentiæ sibi consequentes. Totalitas vero evolutionum rationis humanæ est historia; unde historia est consecutio quædam evolutionum divinæ naturæ. Ita expressis verbis D. Hegel in *Religionsphilosophie*, II. Theil, pag. 255, ait: «*Die Bedeutung der Geschichte ist, dass es die Geschichte Gottes selbst ist.*» In: *Rechts-philosophie*, pag. 386 de iis, quæ in republicâ moraliter sibi opponuntur successive et iterum uniuntur; ait: «*Es ist dies nichts anderes, als die Aufführung der Tragoedie im Sittlichen, welche* DAS ABSOLUTE EWIG MIT SICH SELBST SPIELT, *dass es sich ewig in die Objectivitaet gebiert, in dieser seiner Gestalt hiemit sich dem Leiden und dem Tode übergiebt, und sich aus seiner Asche in die Herrlichkeit erhebt.*» Hinc autem *a*) inducitur in historiam fatalis quædam necessitas, quia evo-

itaque realitatem mundi rerumque finitarum negant, et multiplicitatem rerum vel *illusiones* vocant, uti Indi ex systemate Vedenticorum; vel *impossibilem esse et in se contradictoriam* probare contendunt, uti Græco-Italici, maxime Zeno; vel *mera phænomena* seu apparentias appellant, uti omnes moderni pantheistæ-idealistæ. Non tamen isti pantheistæ uni vel alteri explicandi methodo ita adhærent, ut pro circumstantiis non etiam de alterâ participent.

215. Ex dictis omnis pantheismus, quomodocunque modificatus vel modificandus, hâc fere formulâ exprimi potest: *Unica existit substantia infinita, quæ vel sese exerit per emanationem transeuntem, vel sese evolvit per emanationem immanentem sive realiter sive idealiter*. Unde eversa erit perniciosa hæc doctrina, si probaverimus: 1° plures jam necessario dari substantias; 2° emanationem transeuntem æque ac 3° emanationem immanentem esse prorsus impossibilem et repugnare in se.

Ast hic prævie ea in mentem revocare juvat, quæ su-

lutiones istæ divinæ naturæ supponi debent fieri ex necessitate essentiæ: atque inde D. Cousin definit historiam sensu vere pantheistico geometriam inflexibilem: *L'histoire est une géométrie inflexible; b*) evolutio hæc est vita Dei; sed vita Dei regredi non potest, sed progredi et continuum augmentum acquirere debet; ergo et hæc evolutionum consecutio in natura humana debet progredi; unde ille apud pantheistas adeo decantatus, et a multis non-pantheistis, quin originem noscant, celebratus progressus humanitatis, totamque humanitatem ut unum individuum hominem, primo infantem, dein adolescentem, demum virum, concipiendi modus. Quæ vero religio et moralitas ex pantheismo pullulet, per se patet, cum omne malum necessario evanescat, totaque hominis moralitas in eo solum consistere possit, ut omnes inclinationes passionesque, utut vitiosas, quo magis possit, evolvat. Ast hæc fusius tractare nostrum non est: sufficit hic breviter insinuasse connexionem pantheismi cum historia cumque methodo hodie prædilectâ eam tractandi. Qui plura cupit, adeat opus Cl. Maret: *Essai sur le panthéisme dans les sociétés modernes*,

pra de sensu intimo deque sensibus externis diximus (1). Sensibus enim absolute certi fimus de existentiâ nostrâ et hujus mundi variarumque in eo successionum et mutationum, ita quidem, ut hâc certitudine abdicare nos non possimus, nisi in scepticismum prolabi et rationalitati nostræ adeoque omni Philosophiæ renuntiare velimus. Hujus autem certitudinis ultima ratio reddi potest, uti et ibidem jam vidimus et infra (2) etiam rigorosius demonstrabitur. Unde patet, pantheistam-idealistam, seu eum, qui negat realitatem objectivam sui *ego* et mundi, necessario vel scepticum vel inconsequentem esse debere. His præmissis sit

7. PROP. I. PRÆTER SUBSTANTIAM INFINITAM DANTUR NECESSARIO PLURES FINITÆ.

Prob. 1° Substantia entis existentis est ejusdem essentia (3); ergo, cum quodvis ens existens habeat suam essentiam, tot dantur substantiæ, quot dantur numero vel specie distincta entia existentia : atqui præter ens infinitum dantur plura entia finita numero et specie distincta ; nam homo certe non est lapis, nec ignis est aqua, nec vermis est arbor ; ergo dantur etiam necessario plures finitæ præter infinitam substantiæ.

2° Si unica existit infinita substantia, eidem quam maxime opposita deberent inesse : atqui hoc est absurdum et impossibile ; ergo....

Prob. Maj. Nam si unica sit substantia, omnia, quæ in hoc universo fiunt, tanquam totidem modi istius substantiæ

(1) *Log.* Part. II. sect. 3. cap 2 et 3. pag. 130 et 135.
(2) *Psych. Rat.* sect. II. cap. 1. art. 3.—II.
(3) *Ontol.* Part. II. sect. 3. cap. 2. art. 1. prop. II. pag. 266.

considerari adeoque ei tanquam subjecto inhærere deberent: atqui ea, quæ in hoc mundo simul fiunt, sunt sibi maxime opposita et contradictoria. Nam inter homines alii ægrotant, alii bene valent; quidam expetunt id ipsum, quod alii quam maxime aversantur; multi affirmant id ipsum, quod alii negant; multi plane ignorant, quod alii perfecte cognoscunt, idque eodem prorsus tempore et sub eodem respectu. Ergo unicæ isti substantiæ, quæ consequenter Deus esset, ista omnia simul inhærerent, adeoque Deus esset æger simul et sanus, Deus eodem tempore unam eandemque rem odio simul et amore prosequeretur, eandemque propositionem affirmaret simul et negaret, ignoraret simul et perfecte sciret, quod plane absurdum est.

Neque dicant, unum eundemque hominem posse varios habere modos, et hinc capite dolere, pectore bene valere, unam manum sursum, alteram deorsum extendere et ita porro. Nam disparitas est. Homo enim est substantia composita, adeoque aggregatum multarum substantiarum (1). Jam vero substantiæ variæ, etiamsi nexu physico sibi mutuo copulatæ sint, possunt tamen suos singulæ seorsim modos habere etiam oppositos modis aliarum; quod vero in se repugnat, est, ut una eademque substantia ut *sic* spectata contradictorios in se modos suscipiat (2).

3° Si unica sit substantia, huic etiam omnes actiones tribui deberent, quæ in hoc mundo ponuntur: atqui hoc non solum absurdum, sed etiam turpe et impium est; ergo....

(1) *Ontol.* Part. II, Sect. 3. Cap. 2. Art. 1. Prop. 1. Pag. 265.
(2) Vide etiam ibidem prop. III. sequentem, Pag. 267.

Prob. Maj. Nam si præter infinitam substantiam nullæ finitæ existant, omnia, quæ nos putamus fieri a finitis substantiis, ipsi soli tribuenda essent; ergo infinita, adeoque etiam infinite sancta substantia seu Deus acerrimo odio se ipse prosequeretur, sibi malediceret, insidias sibi pararet, turpia quæque committeret, atque adeo mortem sibi identidem conscisceret. Hæc enim omnia homines faciunt; sed si unica sit substantia, homines non sunt nisi modi istius substantiæ, et actiones hominum modi hominum: atqui modi modorum certe tribuendi sunt substantiæ, cui modi inhærent et quâcum identificantur; ergo omnes, utut turpissimæ et blasphemæ actiones hominum essent totidem actiones Dei (1).

4° Si unica sit substantia, hæc erit absolute necessaria et a se, adeoque infinita et immutabilis (2): atqui in hoc universo alia aliis succedunt, omnia sunt mutabilia et finita; ergo vel neganda est objectiva realitas hujus universi, id quod ducit ad scepticismum: vel dicendum est, mutabilia et finita efficere posse infinitum, quod est absurdum ex dictis in Ontologia (3) et Capite primo hujus Sectionis de absurditate necessitatis materiæ.

(1) Ad hujusmodi tam absurdas pantheismi consequentias ne Bayle quidem se continere potest, sed : *Dict. hist. et critiq.* art. *Spinosa*, ita contra insulsam hanc doctrinam prorumpit : *Voilà une hypothèse qui surpasse l'entassement de toutes les extravagances qui puissent se dire. Ce que les poètes païens ont osé chanter de plus infâme contre Jupiter et contre Vénus, n'approche point de l'idée horrible que Spinosa* (et cum ipso omnes alii Pantheistæ) *nous donne de Dieu; car au moins les poètes n'attribuaient point aux dieux* TOUS *les crimes qui se commettent, et* TOUTES *les infirmités du monde; mais selon Spinosa, il n'y a point d'autre agent et d'autre patient que Dieu, par rapport à tout ce qu'on nomme mal de peine et mal de coulpe, mal physique et mal moral.*

(2) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 2 et 3. Pag. 245 et 250.

(3) Ibidem Cap. 2. 1° Pag. 146.

18. PROP. II. Emanatio transiens est absurda et repugnans in se.

Prob. Nam juxta systema emanationis transeuntis natura (spiritus et materia) existeret; sed, utpote educta ex ipso esse divino, ejusdem cum hoc esset essentiæ : atqui hoc est absurdum et repugnans in se. Nam

a) *Esse* divinum, utpote infinitum, est necessario simplicissimum (1) : atqui ex simplici nec simplex nec a fortiori compositum educi seu emanare potest (2) ; ergo....

b) Quod emanat ex substantiâ alterius, est cum hoc ejusdem essentiæ : atqui universum hoc omnesque ejus partes sunt mutabiles et finitæ (3) ; *esse* autem divinum, utpote a se et necessarium, est infinitum et immutabile (4) ; ergo absurdum est, universum hoc ex substantiâ divinâ emanasse.

19. PROP. III. Emanatio immanens sive realiter sive idealiter sumpta est æque absurda et repugnans in se.

Prob. A. *Emanatio immanens* realiter *sumpta est repugnans in se.* Nam juxta hanc spiritus et natura, *cogitatio* et *extensio*, uti vult Spinosa, consideranda essent ut attributa constitutiva essentiæ divinæ : atqui hoc est absurdum. Etenim

a) Si *cogitatio* sit essentialis proprietas seu attributum *essentiæ divinæ*, ubicunque hæc erit, erit et illa ; et similiter, si *extensio* sit essentialis proprietas seu attributum *divinæ essentiæ*, erit et ipsa, ubicunque erit essentia di-

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 2. Prop. III. Pag. 248.
(2) Ibidem Sect. 3. Cap. 2. art. 3. Pag. 283.
(3) *Cosmol.* Sect. 1. Cap. 1. Prop. I. Pag. 7.
(4) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 2 et 3. Pag. 245 et 250.

vina. Attributa enim fluunt ex essentiâ necessario et ita, ut ab eâ separari non possint, sed cum eâ realiter identificentur. Ergo si dividitur *extensio*, divideretur *essentia divina* et simul *cogitatio*, utpote alterum attributum et cum essentiâ divinâ identificata : atqui nec essentia divina nec cogitatio dividi possunt; quia utraque est simplicissima; ergo cogitatio et extensio nonnisi per absurdum dici possunt attributa seu proprietates essentiales unius divinæ essentiæ. Esset enim essentia divina et cogitatio divisibilis simul et indivisibilis.

b) Attributa contradictoria in eodem subjecto se mutuo destruunt : atqui cogitatio et extensio seu compositio contradictorie sibi opponuntur. Composito enim essentialiter repugnat cogitare, uti infra (1) videbimus; ergo....

c) Quodvis attributum essentiæ infinitæ est infinitum : atqui nihil, quod extensum est, potest esse infinitum (2); ergo.....

d) Attributa hoc ipso, quod fluunt necessario ex essentiâ et cum eâ realiter identificantur, sunt æque immutabilia, ac ipsa essentia : atqui tam cogitationes nostræ, quam variæ extensiones sunt mutabiles; ergo nec cogitatio (complexus cogitationum nostrarum) nec extensio possunt esse attributa essentiæ infinitæ et immutabilis.

Prob. B. *Emanatio immanens* IDEALITER *sumpta est repugnans in se*. Nam juxta hanc multiplicitas rerum non vere existeret, sed esset mera collectio et successio phenomenorum seu apparentiarum; phenomena autem ipsa essent totidem positiones ejusdem essentiæ divinæ : atqui hoc est absurdum. Etenim

(1) *Psych. Rat*. Sect. 1. Cap. 2.
(2) *Ontol*. Part. II. Sect. 2. Cap. 2. Pag. 146.

a) Multiplices res mundi sive in naturâ sive in spiritu sibi succedunt ; ergo si nihil sint, nisi positiones divinæ essentiæ, divina essentia varias successive positiones haberet et consequenter interne in se mutaretur : atqui essentia divina, utpote infinita, est absolute immutabilis (1) ; ergo.....

b) Si res multiplices hujus mundi non sunt, nisi totidem positiones divinæ essentiæ, nulla erit realis inter res omnes hujus mundi distinctio : atqui hoc omne jus, omnem moralitatem, omnemque sensum communem subvertit et ad absolutum scepticismum ducit. Sic enim ego deciperer, dum firmissime convictus sum, existere alios homines, me varios cum ipsis contractus inire, obligationes varias suscipere, me patrem habere et matrem, quibus honorem deferre debeam, aliquas actiones essentialiter *esse* bonas, alias essentialiter malas. Omnia enim ista non essent aliquid realiter distinctum, sed unum idemque esse sub variis suis positionibus, et conceptus mei et ego ipse essemus meræ apparentiæ et somnia. Verum non firmiorem convictionem habeo de ipsâ realitate absoluti, quam de distincta realitate omnium horum, quæ juxta pantheismum non essent, nisi apparentiæ ; ergo, si consequens esse velim, æquo jure absolutum ipsum negare vel ut apparentiam declarare oportebit. Ergo pantheismus consequenter evolutus subvertit omne jus omnemque moralitatem et ducit ad absolutum scepticismum (2).

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 3. Pag. 250.

(2) Nihil igitur mirum, omnes, utut doctrinæ Pantheisticæ adhærent, Pantheistarum tamen nomen, ut viro honesto injuriosum, a se repellere et vehementer repudiare. Hegel certe : *Encyclopaedie der philosophischen Wissenschaften.* Heidelberg, 1830, pluribus locis pantheistis se annumerari recusat ; Schelling vero in : *Jugement de M. Schelling sur la*

c) Vel Deus seu essentia absoluta per successivas evolutiones fieret perfectior vel non. Si non fit perfectior : nulla est ratio, cur se evolvat. Sola enim ratio evolutionis dari hæc potest, quod infinitudo essentiæ multiplicitatem positionum necessario requirat. Si vero fit perfectior ; ergo cum evolutiones semper novæ fiant, semper etiam Deus fieret perfectior ; ergo nunquam esset absolute perfectus ; ergo nunquam vere Deus, sed Deus *in fieri* (1), ut dici solet, quod est absurdum ; ergo.....

Omnes probationes contra pantheismum allatæ ad hanc fere reduci possunt. *Esse* absolutum necessario concipi debet ut esse infinitum et immutabile ; *esse* vero rerum hujus mundi ut objective reale, sed necessario ut *esse* finitum et mutabile ; ergo *esse* absolutum et *esse* rerum hujus mundi necessario concipi debent ut essentialiter distincta. Atque ex hoc argumento bene evoluto pantheistæ extricare se nunquam potuerunt, nunquam poterunt, et qui tentarunt, in absurdiores continuo contradictiones inciderunt. Restat, ut aliquas eorum speciosas magis, quam solidas difficultates solvamus (2).

philosophie de M. Cousin : et D. Cousin. *Fragments philos. Préface de la 2e édit.* alter in alterum pantheismi notam projicit, eandem quisque a se ipse omnibus viribus removet.

(1) Revera tota doctrina Hegeli ad simplicissimam expressionem reducta id ipsum enuntiat. Deus est *in fieri*, *Gott ist im Werden.* Vide etiam Cl. Maret : *Essai sur le panthéisme dans les sociétés modernes.*

(2) Spinosissimum in specie egregie refutarunt Bergier : *Traité de la vraie religion*, part. I. chap. 5. art. 5. — Fénelon : *De l'existence de Dieu*, part. II. chap. 3, et : *Extrait d'une Lettre sur la réfutation de Spinosa.* — Demum ipse etiam Bayle in suo opere : *Diction. critiq.* art. *Spinosa.*

OBJECTIONES.

20. OBJ. 1° Unica datur substantia. Nam *a*) substantia est ens *per se* existens. *b*) *Substantia est id, quod in se est et per se concipitur*, i. e. *id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo formari debeat* (1) : atqui *a*) unicum datur ens per se existens, et *b*) unicum, cujus conceptus non involvat conceptum alterius, nempe ens improductum : conceptus enim substantiæ productæ involveret conceptum alterius, tanquam causæ producentis; ergo.....

R. *Neg. Assert.* Ad prob.

a) *D. Maj.* Substantia est ens *per se* existens, i. e. *in se* seu ita existens, ut non indigeat ad existendum altero tanquam subjecto, cui inhæreat, *C. Maj. Per se* existens, i. e. *a se* existens, seu quod altero nec quà subjecto, cui inhæreat, nec quà causâ effectrice indigeat ad existendum, *N. Maj.* et *D. Min.* Unicum datur ens *per se* existens, i. e. existens *in se* et absque subjecto inhæsionis, *N. Min. Per se*, i. e. *a se* existens, *C. Min.* sed *N. Cons.* Nam ex eo, quod unica detur substantia *a se*, non sequitur, non posse dari alias substantias, quæ sint *ab* illâ unâ tanquam causâ, etsi illi, tanquam subjecto, non inhæreant. Contra substantia *a se* possibilitatem aliarum substantiarum seu possibilitatem creationis in ipso suo conceptu involvit. Nam certe substantia seu ens *a se* est ens infinitum ; ergo infinite potens; ergo potens facere

(1) Hæc est definitio æquivoca substantiæ a Spinosa data, cui tota moles systematis ipsius innititur. Hâc itaque eversâ et systema totum corruet.

omnia, quæ in se non repugnant : atqui creatio seu productio substantiæ ex nihilo sui et subjecti non involvit contradictionem in se ; ergo ens *a se* debet posse creare adeoque involvit in suo conceptu possibilitatem aliarum substantiarnm.

b) *D. Maj.* Substantia est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius tanquam *subjecti*, cui inhæreat, *C. Maj.* Ne tanquam *causæ* quidem, *Subdist.* Substantia infinita et *a se*, *C. Maj.* Substantia finita et *ab alio*, *N. Maj.* et *D. Min.* Unicum est ens, cujus conceptus non involvit conceptum alterius tanquam *subjecti*, cui inhæreat, *N. Min.* Unicum, cujus conceptus non involvit conceptum alterius tanquam causæ, *C. Min.* et *N. Cons.* Itaque concipimus plures substantias finitas, quæ non concipiuntur nec concipi possunt alteri tanquam subjecto inhærere, et propterea sunt plures et ab invicem distinctæ substantiæ. Sic certe anima nostra essentialiter simplex et intrinsecâ activitate prædita non potest inhærere v. g. lapidi, nec lapis animæ. Ast hæ substantiæ sunt finitæ, et hinc necessario causam *a se* prærequirunt ejusque conceptum involvunt. Ergo conceptus substantiæ non excludit conceptum causæ, a quâ actuetur substantia, nisi sermo sit de substantiâ infinitâ et *a se*, quæ utique, non quia substantia est, sed quia substantia necessaria et *a se* adeoque infinita est, excludit conceptum alterius etiam quà causæ. Unde etiam patet responsum ad illud, quod addit, substantiam a substantiâ produci non posse, eo quod conceptus substantiæ productæ indigeret conceptu alterius tanquam causæ. Conceptus enim alterius tanquam causæ non tollit conceptum substantiæ ; sed tantum conceptus alterius tanquam subjecti,

cui inhærere debeat; quia id, quod indiget subjecto inhæsionis ad existendum non subsistit in se, adeoque nec est substantia. Vide etiam Bergier (1).

Inst. Sed si plures sint substantiæ, haberent vel *eadem* attributa vel *diversa:* atqui neutra habere possent. Non *a*) *eadem;* secus, cum attributa fluunt ex essentiâ, plures illæ substantiæ haberent eandem essentiam, adeoque non plures, sed una essent substantia. Sed neque *b*) *diversa;* hæc enim attributa essent vel *essentialiter* diversa, et tum essentia ipsa esset diversa; ergo nec plures essent substantiæ : omnis enim substantia habet eandem essentiam; vel essent *accidentaliter* diversa, et tum rursus non plures essent substantiæ; accidentia enim diversa non multiplicant substantiam.

R. Omnia hæc stolidâ et Philosopho indignâ æquivocatione fundantur. Ad singula tamen respondebimus. Itaque.

C. Maj, et *N. Min*. Nam inprimis plures substantiæ *eadem* attributa habere possunt. Sic quivis homo est individua substantia per se subsistens, quamvis eandem specie essentiam, nempe rationalitatem et animalitatem, eademque cum aliis attributa habeat, nempe capacitatem eruditionis, facultatem amandi etc. Unde rationem additam, *Dist.* Plures illæ substantiæ haberent essentiam *eandem numero*, *Neg. Eandem specie*, *Conc.* et *Neg. Cons.* Dein plures substantiæ possunt etiam *diversa* habere attributa, et quidem *essentialiter* diversa. Sic profecto homo essentialiter diversa attributa habet ab attributis lapidis,

(1) *Traité de la vraie religion.* OEuvres complètes, tom. II. ch. 5. Edit. Paris. 1830.

et tamen et homo est substantia et lapis est substantia, quia tam hic quam ille subsistit per se nec alteri tanquam subjecto inhæret. Unde rationem additam, *Dist.* Si attributa sint essentialiter diversa, essentialiter diversa erit substantia in *esse substantiæ* seu quatenus subsistit per se, quin indigeat subjecto inhæsionis, *Neg.* Essentialiter diversa erit substantia in *esse entis*, seu quatenus intimum *esse* unius substantiæ per se subsistentis sit essentialiter diversum ab intimo *esse* alterius substantiæ, sed quæ pariter per se subsistat, et consequenter sit substantia distincta a priori non per *esse* substantiæ, seu per *subsistere per se*, sed per ipsum *esse* entis per se subsistens, *Conc.* et *Neg. Cons.* Substantiæ enim eandem essentiam habent *substantiæ*, seu in eo conveniunt, ut singulæ subsistant per se, sed non habent omnes eandem essentiam entis. Demum plures substantiæ possunt etiam habere *accidentaliter* diversa attributa. Nam et accidentia possunt multiplicare substantias, i. e. indicare, plures esse substantias, si sint sibi contradictorie opposita sive *eodem tempore* sive *successive*. Et quidem accidentia contradictorie opposita *eodem tempore* indicant plures esse substantias. Nam accidentia talia nec extra substantiam esse, nec eodem tempore eidem substantiæ inhærere possunt. Sic certe idem corpus non potest esse simul quadratum et simul rotundum, nec eadem anima eodem tempore aliquid sciens et id ipsum nesciens. Dein etiam accidentia contradictorie opposita *successive* indicant plures esse substantias. Quamvis enim una eademque substantia finita successive oppositos modos suscipere, v: g. eadem cera nunc quadrata, dein rotunda esse possit, tamen infinita substantia seu Deus, hoc ipso quod sit absolute immuta-

bilis, successivos modos habere non potest; ergo successivi modi indicant, præter infinitam dari finitas, adeoque plures esse substantias.

OBJ. 2° Datur necessario substantia infinita: atqui infinita substantia, eo ipso, quod infinitum nullo *esse* carere possit, debet absorbere in se omnem rationem substantiæ; ergo præter aut extra ipsam nulla alia substantia esse potest.

R. *C. Maj.* et *D. Min.* Infinita substantia debet absorbere omnem rationem substantiæ, i. e. continere in se *aliquo modo*, quidquid *esse* et quidquid realitatis est in aliis substantiis seu in rebus hujus mundi, *C. Min.* Substantiæ hæ ipsæ seu res hujus mundi *formaliter* sumptæ debent Deo *tanquam subjecto inhærere*, *N. Min.* Deus enim neque est aggregatum numero infinitarum realitatum, neque subjectum accidentium quam maxime turpium et sibi oppositorum; sed Deus est unica realitas seu *absolutum esse*, quo fit, ut omne *esse* in suo *esse* contineat, adeoque nulla *realitas* seu nullum *esse* sit in rebus, quod non sit in Deo, non quidem *formaliter*, seu tale, quale est in rebus cum defectu conjunctum et in suo *esse* includens simul *non-esse*, sed *virtualiter* et *eminenter; virtualiter*, quatenus potest res finitas *ex nihilo sui et subjecti* producere; *eminenter*, quatenus possidet eminentiori et infinito modo id ipsum, quod res contingentes habent modo inferiori et finito (1).

Inst. 1° Si plures essent substantiæ, esset in Deo *genus et differentia; genus*, nempe substantiæ, in quo convenirent, et *differentia*, quâ distinguerentur: atqui in Deo,

(1) Vide *Ontol.* part. I. cap. 4. pag. 211.

utpote ente infinito, nulla dari potest differentia; siquidem omnis differentia supponat negationem seu defectum; ergo plures substantiæ esse non possunt.

R. 1° *Datâ et non concessâ Majore, N. Min.* Nam inter duo differentia nota differentialis est *positiva* in uno, *negativa* in altero. Sic planta differt a lapide ita, ut in plantâ sit nota differentialis *positiva*, in lapide *negativa vitæ*. Ergo, dato etiam, Deum, ens infinitum, cum aliis substantiis convenire in genere substantiæ, nota seu determinatio negativa posset esse ex parte aliarum substantiarum. Ast

R. 2° *N. Maj.* Nam etsi plures sint substantiæ, propterea tamen non datur in Deo *a*) *genus*. Ea enim dicuntur ejusdem generis, quæ habent notam seu proprietatem aliquam *essentialem* communem, uti v. g. homo et cervus; quia conveniunt in notâ essentiali animalitatis utrique communi: atqui Deus, ut substantia infinita, et creaturæ, ut substantiæ finitæ, in nullâ *essentiali* notâ conveniunt. *Esse* enim (seu *entitas*), quod quoad nomen et in abstracto utrisque commune est, realiter in utrisque *essentialiter* diversum est (1). Nam *esse* Dei est essentialiter infinitum et *a se*, seu Deus est illud *esse plenum*, cum exclusione necessariâ omnis limitationis, et omnis *non-esse*; *esse* vero creaturarum omnium est essentialiter finitum et *ab alio*, seu creaturæ nec sunt nec omnino esse possunt *esse illud plenum*, hoc ipso, quod in suo *esse* necessario involvunt *non-esse*, per quod fiunt modificabiles.

(1) Scilicet *ens* vel esse, sub quo Deum simul et creaturas subsumimus, nomine-tenus solum Deo cum creaturis commune est, eo quod, licet *esse Dei* omnimode diversum concipiamus *ab esse creaturarum*, nomen tamen proprium *utriusque esse distinctivum* non habeamus.

Unde in Deo *b*) neque datur *differentia* stricte dicta, sed *diversitas*. Ea enim juxta S. Thomam (1) inter se *differunt*, quæ in aliquo conveniunt, in alio non conveniunt; ea vero *diversa* sunt, quæ in nullo conveniunt.

Inst. 2° Ergo Deus non est id, quod sunt creaturæ; ergo perfectior esset, si *esse* creaturarum superadderetur *esse divino* : atqui hoc dici nequit; ergo dicendum est, res, quas dicimus creatas, non esse nisi modificationes divinæ substantiæ.

R. *C. Illat. N. Cons.* Nam in rebus creatis duo spectanda sunt; *id*, in quo deficiunt ab entitate seu esse, et *id*, quod reale est in ipsis. Primum, utpote defectus et non-esse, Deo tribui non potest; reale autem creaturarum est etiam in Deo, non quidem sub eâdem formâ et finitudine, sed modo plane diverso et eminenti, ut adeo Deus per additionem harum realitatum perfectior non fieret. Nam, ut recte observat S. Thomas : *Si participans additur ei, quod est per essentiam, tale non facit aliquod majus.* Sic, ut imperfectâ similitudine utamur, scientia discipuli, quam a magistro habet, addita scientiæ magistri non facit magistrum doctiorem (2). Ita a pari *esse* creaturæ, quod est a Deo, additum *esse divino* non facit Deum perfectiorem, imo contra imperfectiorem. Sic certe facultas ratiocinandi, seu mediante ratiocinio ad certas notiones rerum perveniendi, est perfectio in homine; ast eadem in Deo esset imperfectio, cum argueret in eo igno-

(1) Cont. gent. Lib. 1. Cap. 17.

(2) Vel etiam lampas fumosa, etsi in tenebris lumen diffunderet, plenâ tamen meridie lumen solis toto suo splendore coruscantis adeo non augeret, ut potius obfuscaret per ipsum fumum ab lampadis lumine inseparabilem.

rantiam et impotentiam immediato intuitu omnia penetrandi. Unde *concessâ Min., N. Cons.*

OBJ. 3° Deus est anima et vita totius naturæ; ergo est unum quid cum naturâ. Seu, ut Spinosæ verbis loquamur : Deus est natura naturans; ergo idem cum naturâ naturatâ.

R. *D. Ant.* Deus est anima et vita naturæ, quatenus vires naturæ ab ipso sunt, et omnia per ipsum seu virtute ab ipso acceptâ conservantur et agunt, *C. Ant.* Quatenus Deus vel naturam, i. e. universum hoc naturet, i. e. quasi tanquam attributum ex essentiâ suâ educat, ita ut universum hoc idem cum Deo *esse* habeat, modificationesque universi sint modificationes ipsius *esse divini;* vel quatenus Deus naturam informet, ut anima corpus nostrum, *N. Ant.* Quamvis concesso etiam hoc ultimo sensu antecedente duæ tamen distinctæ essent substantiæ, sed quæ simul junctæ unum solummodo totum physicum efficerent (1), uti anima nostra est distincta substantia a corpore, sed cum eo unum totum efficit. Priori vero sensu absurdum est, Deum naturam naturare : « *Quem enim tam amentem esse putas,* ait Cicero (2), *qui illud, quo vescitur, Deum esse credat.* » Porro si Deus est quid unum cum naturâ universâ, non quo vescimur solum, sed quod execramur, quod secamus, quod uri-

(1) Hoc sensu etiam pantheistico Philosophi Græco-Ionici totum universum considerarunt; materiam æternam a spiritu divino animatam assumentes. Ast hi per fatalismum refutatum refutati et ipsi sunt. Eodem fere sensu etiam Stoici totum hoc universum tanquam animal universale spectarunt. Vide Synops. hist. phil. Period. I. Sect. 2. 1° PHIL. IONICA. et 3° C. PHIL. ATTICÆ DISSOLUTIO.

(2) De natura Deorum, Lib. 3, cap. 16.

mus, quod aramus, quod clavis figimus, quod pedibus conculcamus, Deus est.

Inst. Singula, quæ in universo sunt aut fiunt, non sunt Deus, sed tantum ejus modificationes seu modi: atqui modi non possunt dici substantia; ergo et totum universum, utpote nonnisi collectio omnium modorum Dei, non efficit substantiam a Deo distinctam.

R. *C.* 1am *part. Maj.* et *N.* 2am. Nam si ea, quæ in universo sunt et fiunt, sunt modi divinæ substantiæ; ergo Deo attribui debent: atqui hoc est absurdum; ergo.... Dico: *modi isti Deo attribui debent.* Nam certe, cum dicimus, ferrum est durum, pratum istud est ferax, modos istos *durum* et *ferax* non tribuimus *duritiei* vel *feracitati*, sed ipsi ferro vel prato, ita ut intelligamus, intimam essentiam ferri vel prati esse talem, ut ad extra duritiem vel feracitatem manifestet. Ergo a pari, cum totum universum dicatur collectio omnium modorum Dei, omnes modificationes universi, adeoque omnia, quæ sunt et fiunt in hoc universo, ipsi Deo tribui debent hoc sensu, ut intelligamus, Deum in intimâ essentiâ suâ ita esse constitutum, ut ad extra se sub his modis necessario manifestet. Ergo vel admitti debet pluralitas substantiarum, vel, si unica sit substantia, huic uni, quæ Deus erit, omnia hujus universi attribui debent. Quo casu dein profecto Deus iste pantheisticus simul secatur et uritur, spuitur et conculcatur, dolet et gaudet, nascitur simul et moritur, vegetat et putrescit, est reus et judex et carnifex etc. etc. Unde. *C. Min.* et *N. Cons.* et *Conseq.*

OBJ. 4° Ratio abhorret a dualismo: atqui admissâ creatione admittitur dualismus; ergo ratio per se rejectâ creatione adhærebit pantheismo ceu unitati absolutæ.

R. *D. Maj.* Ratio abhorret a dualismo proprie dicto, vi cujus duo ab invicem distincta principia rerum statuuntur, adeoque materia æterna ut principium *passivum*, Deus seu spiritus divinus ut principium *activum* assumitur, *C. Maj.* Ratio abhorret a dualismo improprie dicto, qui nonnisi per miram confusionem conceptuum dualismus vocari potuit, vi cujus plures admittuntur inter se distinctæ et essentialiter diversæ substantiæ, *N. Maj.* et *D. Min.* Admissâ creatione admittitur dualismus proprie dictus, *N. Min.* Improprie dictus, *C. Min.* et *N. Cons.* Itaque verum quidem est et in naturâ fundatum, rationem tendere ad unitatem principii omnium rerum. Ast hæc unitas non solum cum creatione habetur, sed etiam unice cum creatione haberi potest, ita quidem, ut ratio, si creatione rejectâ aliter unitatem istam quærere tentet, necessario in summas absurditates et contradictiones prolabatur, quemadmodum, uti vidimus, pantheistis contingit. Theoria autem creationis Deum proponit, ut ens *a se* infinitum, infinite intelligens et omnipotens, tanquam principium unicum et liberum omnium rerum. Quod si Deus libertatem exercere velit per creationem, efficit per omnipotentiam, ut id existat, quod prius nihil fuit, juxta aliquam divinæ *intelligibilitatis* ideam exemplarem (1) formatum, quod consequenter aliquam divinæ naturæ perfectionem repræsentet, et, licet a Deo, utpote causâ suâ, undequaque dependeat, creatum tamen semel et divinâ vi conservatum subsistat in se, ita ut non indigeat altero tanquam subjecto, cui inhæreat, adeoque sit substantia distincta a Deo, sed cujus *esse* sit aliquo modo in Deo. Unde juxta hanc theoriam ne quidem datur *plus*

(1) Recolantur, quæ dicta sunt in *Ontol.* Part. II, Sect. 1. Pag. 213 et seqq.

esse vel *entitatis* post creationem (1), quam ante, sed tantum *plura entia.* Omne enim *esse* creaturarum continetur, non quidem formaliter, sed virtualiter et eminenter in Deo. Ergo ratio a dualismo improprie dicto adeo non abhorret, ut hic potius illi solus satisfaciat; ergo nec pantheismo adhærere necesse est, si rationi conformiter procedere velimus.

Quæ alia adhuc objiciunt sive de necessitate creationis, uti D. Cousin, sive de impossibilitate principii limitationis in Deo; uti Indi, infra sive de creatione, sive de perfectione mundi agendo dissolvemus.

Quod vero dicunt aliqui pantheistæ, sive primi sequaces Spinosæ, uti Tolandus, sive recentissime J. Salvador (2), etiam, ipse, ut Spinosa, Judæo-philosophus, i. e. incredulus, pantheisticam doctrinam cum doctrinâ Moysis et Christi concordare, nimis absonum est, quam ut refutari mereatur, idque insuper ad Theologos potius spectaret (3).

(1) Uti stolide arguit auctor, mox omni errorum genere famosus, de La Mennais in suo opere, quod inscribit *Esquisse d'une philosophie* (1840) part. I. liv. II. ch. 1. p. 110, dicens : *Quelques-uns ont admis une véritable production d'être ou de substance qui n'existait en aucune manière auparavant : hypothèse d'où il résulte, entre autres conséquences, qu'il existe une plus grande somme d'être après qu'avant la création, car l'idée de substance ou d'être est une, absolue, invariable ; —que dès-lors l'être divin, auteur de la création, n'est pas infini, qu'il ne saurait l'être, et qu'ainsi sa notion implique contradiction.* Plures utique sunt substantiæ post creationem, quam ante creationem, sed non plus *esse* seu *entitatis* sensu explicato : esse autem seu entitatem sic intellectam confundere cum substantiâ pantheisticum est.

(2) *Hist. des institutions de Moïse.*

(3) Recolantur hic etiam, quæ in *Ontol.* part. II. sect. 1. in Object. ad prop. II. in fine habentur, pag. 228 et *seqq.*

CAPUT IV.

De verâ mundi origine.

21. Refutatis systematibus incredulorum, qui absurdissima quæque superbientis rationis deliramenta sectari malunt, quam quidquam, quod fidei congruum est, id etiam rationi consonum esse agnoscere et scientifice stabilire, ad id jam accedimus, ut originem, quam mundo fides assignat, etiam ex ratione et principiis philosophicis scientifice comprobemus esse creationem proprie dictam. Per creationem vero intelligimus *actuationem rei ex nihilo sui et subjecti* (1), ut adeo res creata, quæ nunc existit,

(1) Hæc definitio nullatenus placet Dno Cousin, qui aliam substituit systemati pantheistico magis faventem. Ast juvat hic verba ipsius afferre : ita autem habet : *Histoire de la philosophie*, cours de 1828, 5e leçon : *Qu'est-ce que la création, qu'est-ce que créer?.... Voulez-vous la définition vulgaire ? La voici : créer, c'est faire quelque chose de rien, c'est tirer du néant ; et il faut que cette définition paraisse bien satisfaisante, puisqu'on la répète encore aujourd'hui presque partout. Or Leucippe, Epicure, Lucrèce, Bayle, Spinosa* (quantæ auctoritates!) *et tous les penseurs un peu exercés démontrent trop aisément que de rien on ne tire rien, que du néant rien ne peut sortir, d'où il suit que la création est impossible.* Pag. 22. Jam accedit, et ipse suam propriam definitionem creationis exponit, page 25. *Créer est une chose très-peu difficile à concevoir, car c'est une chose que nous faisons à toutes les minutes* (hoc rursus indigeret auctoritate Leucippi et Epicuri) : *en effet, nous créons toutes les fois que nous faisons un acte libre. Je veux, je prends une résolution, j'en prends une autre, puis une autre encore; je la modifie, je la suspends, je la poursuis. Qu'est-ce que je fais? Je produis un effet que je ne rapporte à aucun de vous, que je rapporte à moi comme cause et comme cause unique, de manière que, relativement à l'existence de cet effet, je ne cherche rien au-dessus et au-delà de moi-même. Voilà ce que c'est que créer.* Quid igitur esset mundus juxta istam definitionem creationis? Aliud scilicet nihil quam objectum ideale volitionis divinæ, et cum hac ejusdem substantiæ ; ergo hæc definito negat omnino realem existentiam mundi hujus sensibilis et materialis, et hinc in se etiam complectitur omnia absurda, quæ talem negationem necessario sequuntur.—Sed ultra progrediamur.—*Ainsi, causer, c'est créer.*

intelligatur semel nihil fuisse nec ratione suæ formæ nec ratione materiæ, ex quâ præexistente supponi posset formata fuisse. Duæ autem quæstiones hic maxime tractandæ sunt : 1° An mundus sit creatus, et 2° an sit creatus in tempore? Quare sit

22. PROP. I. Mundus est creatus.

Prob. 1° Mundus hic, seu tota rerum universitas ita certo existit ex criterio sensuum externorum (1), ut vel existentiam ejus realem admittere vel in absolutum scepticismum prolabi et suæ quisque rationalitati renuntiare debeat : atqui iste mundus, nec qualis nunc est, nec quoad materiam seu elementa, ex quibus componitur, existit *a se* et necessitate essentiæ suæ, uti patet ex Capite

dicit pag. 26. *Mais avec quoi? Avec rien? Non, sans doute ; tout au contraire, avec le fonds même de notre existence, c'est-à-dire, avec toute notre force créatrice, avec toute notre liberté, toute notre activité volontaire, avec notre personnalité. L'homme ne tire point du néant l'action qu'il n'a pas faite encore et qu'il va faire, il la tire de la puissance qu'il a de faire cette action, il la tire de lui-même. Voilà le type d'une création. La création divine est de la même nature.... Dieu, en créant l'univers, ne le tire pas du néant, il le tire de lui-même, de sa puissance de causation et de création.*—Egregie : ergo juxta Dum Cousin mundus iste ortus est per emanationem sive transeuntem sive immanentem; utrique enim variis in locis insistit; ergo, velit nolit, pantheistis annumerandus est D. Cousin.—Insuper ex ista definitione creationis sequitur, omnia possibilia seu omnia, quæcumque cogitamus vel cogitare possumus, a Deo esse creata, imo, quod magis mirum, nihil esse creabile seu nihil a Deo creari posse. Nam Deus, dum cogitat, ponit actionem, quæ sui causam in solo Deo habet; sed actio, quæ sui causam in Deo habet, est creatio juxta definitionem datam; ergo quidquid et quoties Deus cogitat, id creat; ergo, cum Deus, utpote infinita intelligens, omnia possibilia necessario cognoscat adeoque omnia cogitet, illaque, utpote immutabilis, semper et eodem modo cogitet, sequitur, Deum omnia possibilia semper creasse et creare; et cum ea, quæ semper creata sunt seu quæ nunquam potuerunt non existere, non sint possibilia, sequitur, pro Deo nihil esse possibile et hinc neque creabile, ergo hæc definitio creationis in se ipsâ repugnat et undequaque implicat.

(1) *Logic.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3 et *Psych. Rat.* Sect. 2. Cap. 1. Art. 3.

primo hujus Sectionis, sed neque per emanationem sive transeuntem sive immanentem realiter ex Deo profluxit, uti probatum est Capite præcedenti; ergo necessario ex nihilo tam sui, quam subjecti actuatus seu ad existentiam reductus adeoque creatus est.

2° Et vero mundus iste est finitus et mutabilis; constat enim partibus finitis et mutabilibus: atqui quod est finitum et mutabile, non est *a se* nec necessarium; ens enim *a se* et necessarium est infinitum et immutabile (1); ergo mundus iste est ab alio et contingens adeoque productus: atqui quod est productum, aliquando nihil fuit; ergo mundus iste est productus ex nihilo adeoque creatus.

OBJECTIONES

23. OBJ. 1° Mundus iste, si sit creatus, est limitatus: atqui Deus, utpote infinitus, non potest in se habere principium limitationis; ergo nec potuit mundum limitatum creare.

R. *C. Maj. Neg. Suppos. Minoris.* Supponit enim Minor, principium limitationis debere esse in Deo hoc sensu, quasi per hoc Deus ipse limitaretur. Porro hoc est falsum. Deus enim volens creare, hoc ipso, quod *creari* involvat dependentiam ab alio, contingentiam adeoque finitudinem, videt res creandas necessario fore limitatas, ita quidem, ut Deus, utut infinitus ipse, infinitum tamen creare nunquam possit, utpote quod intrinsece repugnat cum ideâ creationis. Ergo *principium* creationis et hinc creaturæ *positivum* est in Deo, et quidem infinitum. Uti

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 2 et 3. Pag. 245 et 250.

enim infra videbimus in Theodiceâ, ad creationem requiritur potentia infinita. *Principium* autem creationis et hinc creaturæ *negativum* seu *limitationis* est in necessitate finitudinis omnis rei creabilis. Ergo Deus creando infinitam exerit potentiam, etsi res creatæ sint limitatæ. Unde patet responsum ad difficultatem Vedenticorum (1).

OBJ. 2° Creatio non potest concipi; ergo est impossibilis.

R. 1° *D. Ant.* Non potest concipi creatio, i. e. modus ipsius intimus, quo peragitur, *C. Ant.* Non potest concipi ejus possibilitas atque adeo existentia, *N. Ant.* Nam concipitur ens *contingens*, *mutabile* et *finitum;* ergo concipitur ens, quod non sit *a se*, nec semper existere potuerit; ergo legitime concluditur adeoque concipitur, ens illud ex non-existente factum esse existens, adeoque fuisse creatum. Cæterum

R. 2° *Concesso etiam Ant. N. Cons.* Nam inprimis, quis unquam ita ratiocinaretur: *Non concipitur evolutio et incrementum grani in spicam; ergo est impossibilis?* Atqui tamen æque parum concipimus intimum modum, quo in grano germen totius spicæ contineatur et dein in spicam evolvatur et succrescat, quam concipimus modum intimum creationis. Ast ex eo, quod ex projectis in terram granis videmus spicas exurgere, concludimus adeoque aliquâ ratione concipimus possibilitatem et existentiam hujus evolutionis et incrementi; ergo a pari etiam creationis possibilitatem et existentiam aliquâ ratione concipimus ex eo, quod intelligamus, ens aliquod

(1) Vide suprà, pag. 25.

contingens nunc existere, quod aliquando necessario nihil fuit, quodque consequenter ex nihilo sui et subjecti fuit productum seu creatum. Dein ut aliquid recte affirmetur ut impossibile, non sufficit, ut a mente nostrâ non concipiatur, sed requiritur, ut percipiatur absolute repugnans et in se contradictorium : atqui in creatione nulla unquam contradictio percepta est nec ulla percipi potest; contra vero positiva et aperta contradictio ostenditur in hypothesibus adversariorum de materiâ *a se* existente, de emanatione qualitercunque intellectâ et explicatâ et hujusmodi aliis. Ergo insulsa est hæc objectio.

Inst. 1° Sed impossibile est, ut ex nihilo aliquid fiat : *Ex nihilo* enim *nihil fit :* atqui creatio proprie dicta dicit, ex nihilo fieri aliquid; ergo est impossibilis.

R. *D. Maj.* Impossibile est, ut fiat aliquid ex nihilo vel tanquam causâ efficiente existentiæ rerum, vel tanquam materiâ, ex quâ res educantur, *C. Maj.* Impossibile est, ut fiat aliquid ex nihilo, quasi id, quod prius et ratione sui et ratione materiæ nihil fuit, fiat aliquid per omnipotentiam divinam, *N. Maj.* Atqui creatio hoc ultimum tantum dicit; ergo....

Inst. 2° Ast si Deus educeret res ex nihilo, illas sumeret, ubi non erant : atqui hoc est absurdum; ergo....

R. Absurda hæc est hallucinatio incredulorum, qui creationem, prout oportet, intelligere nolunt. Creatio non est eductio rei ex nihilo, quasi nihilum sit vel locus, unde res extrahantur, vel materia in opus adhibita; sed creatio est actus divinæ voluntatis nutu suo faciens existere, quod antea nec in se nec in subjecto præexistente

aliquid fuit, adeoque actuatio rei ex nihilo sui et subjecti, cujus absurditas nunquam demonstrata est, nunquam demonstrari poterit.

Inst. 3° Sed sic actus Dei tenderet in nihilum : atqui actus, qui tendit in nihil, non est actus; ergo creatio esset actus simul et non-actus.

R. *D. Maj.* Actus Dei tenderet in nihilum materiæ ceu subjecti recipientis actionem adeoque in nihilum a parte rei *præ-existens*, *C. Maj.* In nihilum efficiendum, i. e., tenderet in hoc, ut nihil fiat a parte rei causæ formali *coexistens*, *N. Maj.* Actui enim formaliter spectato coexistit tanquam terminus actionis ipsa res producta. Deus scilicet habens in intelligibilitate suæ divinæ naturæ essentialiter ideas exemplares quarumcunque rerum creabilium, dum creat, vult, ut aliquid, quod prius nihil fuit, jam existat, et ad extra aliquam ex illis ideis repræsentet. Unde actus Dei non tendit præcise in nihilum, sed tendit in repræsentationem externam suarum idearum exemplarium, quæ quidem non est a parte rei præexistens, sed per actum creationis fit coexistens. Sic pictor volens pingere imaginem, quam animo præconcepit, actu suo certe non tendit neque in tabulam tanquam subjectum recipiens, neque in colores, neque in aliud quid hujusmodi, sed tendit in imaginem juxta ideam præconceptam efformandam. Hæc autem imago a parte rei ante effectionem fuit nihil, adeoque actus pictoris potest dici tendere in nihil *præexistens* a parte rei, sed non in nihil a parte rei *coexistens*. Imago enim per actum ipsum fit, adeoque est terminus actionis coexistens, et in hunc solum actus pictoris tendit.

24. PROP. II. MUNDUS ISTE CREATUS EST IN, SEU CUM TEMPORE (1).

Prob. 1° *Ex ipsâ ideâ creationis.*

a) Quod creatum est, est factum : atqui de omni re, quæ facta est, potuit semel dici : *nunc fit* ; ergo de mundo isto hoc ipso, quod creatus est, potuit semel dici : *nunc fit*. Atqui id, de quo dici potest : *nunc fit*, non est æternum ; *fit* enim indicat tempus præsens excludens præteritum ; ergo mundus hoc ipso, quod creatus est, est creatus *in* seu *cum* tempore, i. e. *in* tempore *possibili* et *cum* tempore *actuali*, siquidem hoc cum mundo ejusque actualibus successionibus incepit.

b) Quod creatum est, est actuatum ex nihilo sui et subjecti ; ergo aliquando nihil fuit seu physice non exstitit : atqui quod semel nihil fuit, et nunc est, habuit initium existendi ; initium existendi vero repugnat æternitati : æternum enim est necessario sine initio ; ergo mundus iste hoc ipso, quod creatus est, est creatus in seu cum tempore.

Prob. 2° *Ex impossibilitate et intrinsecâ repugnantiâ successionum ab æterno.* Nam si creatio ab æterno esset possibilis, possibilis esset series successionum seu tempus actuale sine initio : atqui hoc repugnat. Etenim

(1) Hæc propositio est simul etiam rigorosa probatio contra fatalismum casualismum et pantheismum ; præsertim quoad repugnantiam successionum et mutationum ab æterno. Si enim repugnat, dari æternas successiones, repugnabit etiam, mundum ab æterno fuisse in motu ; motus enim successiones involvit ; sed sine motu materiæ et quidem æterno ruit fatalismus et casualismus ; ergo...., Repugnabit insuper mundum necessario ex Deo emanasse sive transeunter sive immanenter ; quia sic semper vel in ipso mundo realiter existente, vel saltem in evolutionibus internis et successivis divinæ substantiæ infinitus numerus mutationum et successionum locum habuisset, Ergo ruit etiam pantheismus.

a) Series successionum sine initio esset *infinita.* Si enim in hac hypothesi a nostræ actualis existentiæ momento præsenti per varias mundi istius successiones numerando retrograderemur, inveniremus numerum successionum vel *indefinitum*, vel *finitum* vel *infinitum:* atqui non possemus invenire numerum *indefinitum.* Numerus enim indefinitus est numerus in potentiâ continui augmenti; successiones autem præteritæ jam actu omnes positæ essent. Neque invenire possemus numerum *finitum*, secus contra hypothesim perveniremus ad initium successionum. Ergo si creatio ab æterno esset possibilis, daretur numerus successionum *infinitus :* atqui hoc repugnat. Nam

1) Numerus infinitus repugnat in se (1). Insuper in hac hypothesi

2) Series ista successionum continuo augeretur : atqui repugnat ideæ et essentiæ numeri infiniti, posse augeri, ergo vel prius istæ successiones non erant actu infinitæ, vel possent esse finitæ simul et infinitæ. Demum

3) Series istæ successionum sunt plures et aliæ aliis majores, v. g. annorum, mensium, dierum. Unde variæ istæ successiones vel *omnes* essent numero infinitæ, vel solum *maxima* earum, v. g. dierum, vel *nullæ. Non omnes;* secus numerus, v. g. annorum, licet actu infinitus, esset duodecies minor, quam numerus mensium etiam actu infinitus, et numerus mensium trigesies minor, quam numerus dierum : atqui repugnat infinitum alterum altero majus aut minus; ergo.... Neque *maxima* solum series posset esse infinita, v. g. series dierum. Dies

(1) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 2. Prop. III. Pag. 248.

enim numero infinitæ non possunt efficere menses vel annos numero finitos : ergo et ipsæ annorum mensiumque successiones essent numero infinitæ, simul ac numerus dierum daretur infinitus. Ergo *nullæ* ex istis seriebus possunt esse infinitæ. Ergo repugnat numerus successionum sine initio ; ergo repugnat creatio ab æterno.

b) In rebus successivis unius præsentia dicit absentiam alterius ; sic præsentia diei dicit absentiam noctis ; ergo dies et nox vel nunquam potuerunt existere, vel ut existere possent, alterutrum ante alterum debuit existere, ita ut necessario aliquando fuerit dies, quem nulla nox, vel nox, quam nullus dies præcesserit : atqui hoc evidenter includit initium et excessum alterutrius super alterum ; ergo intrinsece repugnat series successionum sine initio adeoque creatio æterna (1).

c) Si vel unum ens potuit ab æterno creari, non repugnat, ut etiam animæ humanæ creari potuerint : atqui animæ humanæ ex infra dicendis (2) sunt immortales et perpetuo duraturæ ; ergo si mundus ab æterno potuisset creari, posset etiam nunc actu dari numerus animarum infinitus, si v. g. quod possibile est, cum singulis successionibus singulæ animæ creatæ fuissent : sed numero infinito nihil addi potest ; ergo nullæ amplius animæ creari possent, id quod præter intrinsecam repugnantiam nu-

(1) Hoc argumento lepidiori modo proposito ad silentium redactus est incredulus quidam, qui, uti fere hallucinantur increduli, ingenium se non vulgare prodere autumabat, si omnia, quæ fidei sunt, negaret, et propterea creationem impossibilem et mundum hunc æternum esse declarabat. Interrogatus enim : quid ergo prius exstiterit, ovum, an gallina ? respondere rationabiliter nihil potuit, cum in successionibus nec gallina habeatur sine ovo, nec vero etiam ovum sine gallinâ.

(2) *Psych. Rat.* Sect. 1. Cap. 3.

meri actu infiniti argueret etiam omnipotentiam Dei esse exhaustam.

OBJECTIONES.

25. OBJ. 1° Deus ab æterno habuit potentiam creandi mundum ; mundus item ab æterno fuit habilis ad existendum ; ergo non repugnat, mundum ab æterno fuisse creatum.

R. *D. Ant.* Deus ab æterno potentiam creandi, et mundus habilitatem existendi habuit *cum existendi initio* a parte mundi, *C. Ant.* Etiam *sine existendi initio, N. Ant.* et *Cons.* Nam cùm creatio sit actuatio rei ex nihilo sui et subjecti, res creata necessario aliquando fuit nihil adeoque existere incepit ; ergo Deus ab æterno aliam potentiam creandi non habuit, quam efficiendi, ut mundus per creationem initium existendi obtineat. Creari enim sine initio existendi est contradictorium in se. Dein etiam mundus aliter, quam cum existendi initio ab æterno habilis ad existendum non fuit ; ergo ex æternâ possibilitate mundi sive externâ sive internâ possibilitas *mundi æterni* colligi nequit. Aliud namque est, Deum ab æterno habuisse potentiam creandi *mundum simpliciter,* et *mundum simpliciter* fuisse ab æterno intrinsece possibilem ; et aliud, Deum ab æterno habuisse potentiam creandi *mundum æternum,* et *mundum æternum* fuisse ab æterno intrinsece possibilem. Hic vero agitur non de possibilitate etiam æternâ mundi simpliciter, sed de possibilitate *mundi æterni,* et hæc per probationes allatas refutata est.

Inst. 1° Potuit mundus a Deo creari ante omne tem-

poris possibilis momentum distributive sumptum; ergo etiam ante omne collective sumptum, adeoque potest esse æternus.

R. *C. Ant.* Hoc enim aliud non sonat, quam in omni tempore possibili nullum momentum assignari posse, ante quod mundus a Deo effici non potuerit, ita scilicet, ut in illo semper initium habuisset existendi. Ast *N. Cons.* Hoc enim manifeste repugnat. Qui enim ponit, mundum ante omne temporis possibilis momentum collective sumptum existere potuisse, hoc ipso mundum creatum spoliat initio existendi; nullum enim initium habet omne temporis possibilis momentum collective sumptum. Cæterum hæc objectio est absurda et parum profundam metaphysicam prodit. Supponit enim, quasi in tempore possibili dentur momenta assignabilia. Porro in tempore possibili æque parum dantur momenta assignabilia, quam in spatio possibili loca assignabilia. Momentum enim assignabile indicat relationem ad alia momenta jam fixa, sicut locus assignabilis indicat relationem ad alia loca jam fixa. Hinc ne Deus quidem potest in tempore possibili pro mundi existentiâ hoc potius, quam illud momentum eligere; sed volens creare mundum, vult, ut mundus existat, prout existere potest, i. e. cum initio existendi. Quod si nos nunc mundi existentiam, quot millenis annis voluerimus, antiquiorem, adeoque a momento jam fixo actualis nostræ existentiæ priorem ponamus, *a parte ante* tamen idem tempus possibile præcessisset, seu mundus relate ad tempus possibile præcedens non prius seu citius extitisset. Tempus enim possibile est possibilitas successionis seu possibilitas rerum succedentium (1), quæ est æterna. Er-

(1) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. Art. 3. Pag. 294; quod enim ibi dicitur *de spatio*, etiam sensu respectivo *de tempore* dici potest.

go ante mundum, quandocunque creatum, tota semper æternitas præcessit.

Inst. 2° Deus quà causa libera non debet esse minus potens, quam si esset causa necessaria : atqui si esset causa necessaria, quidquid creasset, ab æterno creasset; ergo et nunc debet posse ab æterno creare.

R. *C. Maj. N. Min.* Nam creatio involvit initium existendi a parte creaturæ; sed initium et æternum intrinsece repugnat; ergo intrinsece repugnat creatio æterna. Jam vero, quod intrinsece repugnat seu contradictionem involvit, est nihil; ergo potentia creandi mundum æternum, est potentia faciendi nihil. Itaque legitime negari potest, Deum, etsi esset causa necessaria, potuisse creare mundum æternum. Id tamen non minuit potentiam Dei sive liberam sive necessariam. Quod enim nihil æternum creare possit, non venit ex finitudine potentiæ divinæ, sed ex repugnantiâ termini.

OBJ. 2° Causa efficiens non tempore, sed naturâ solum præcedit effectum suum; ergo si causa efficiens est æterna, etiam effectus æternus esse debet : atqui Deus est causa efficiens hujus mundi æterna; ergo et mundus debet esse æternus.

R. *N. Ant.* Saltem relate ad creationem. Cum enim creatio sit actuatio rei ex nihilo sui et subjecti, necessario causa actuans initium existentiæ creaturæ adeoque effectum suum etiam tempore debet præcedere. Unde *Min. Subsumpt. D.* Deus est causa hujus mundi æterna, sed efficiens seu intendens effectum pro tempore, *C. Min.* Efficiens seu intendens effectum æternum, *N. Min.* Deus quidem ab æterno creat, cum quidquid in Deo est, prop-

ter ejus absolutam immutabilitatem necessario ab æterno in eo est. Ast actus creans in suo conceptu seu formaliter involvit initium existendi adeoque tempus a parte creaturæ, cum creari sine initio existendi sit contradictorium; ergo Deus, quà causa efficiens mundi *formalis* necessario respicit mundum creandum cum initio existentiæ. Cæterum objectio hæc nimium adeoque nihil probat. Sequeretur enim, omnem rerum successionem absolute repugnare, omniaque, quæ Deus vult, simul existere debere.

Inst. Si Deus voluisset mundum in tempore, fuisset mutatus; ergo etiam, cum creavit mundum in tempore, mutatus est. Sicut enim in priori casu factus fuisset ex non-volente volens, ita in posteriori ex non-creante creans.

R. *C. Ant.* Quia si Deus in tempore quid vellet, quod antea non voluisset, mutaretur status ejus internus, quod repugnat enti necessario. Sed *N. Cons.* et *parit.* Nam cum actus Dei creans sortitur effectum seu cum mundus incipit existere, non mutatur status Dei internus, cum initium existentiæ mundi ab æterno fuerit in actu Dei creantis formali (1). Ergo in creatione externâ mutatur tantum status Dei externus, seu Deus tantum ac-

(1) Sic si homo solà voluntate posset operari et ad extra effectus producere, effectus hi ex primâ volitione ejus ponerentur pro intentione ipsius voluntatis sine aliâ volitione additâ. Sic v. g. qui hanc volitionem eliceret: *Volo, ut post tres horas pagina una scribatur,* effectum pro intentione suâ obtineret, si pagina scriberetur et quidem post tres horas; quod si vero citius scriberetur, non esset effectus illius volitionis, et si novam post tres horas volitionem ponere deberet, prima volitio, quatenus intendens scriptionem post tres horas, non operaretur. Ergo et Deus decernens ab æterno mundum cum initio existendi, hoc ipso, quod solâ volitione omnia faciat, huic æterno suo decreto nullum aliud concipi potest superaddere debere. Ergo mundus incipit existere vi æterni et immutabilis decreti, quatenus intendit mundum et quidem cum initio existendi creandum.

quirit relationem aliquam et externam creatoris denominationem, quia ante existentiam mundi creator proprie dici non poterat, cum ad relationem completam necesse sit, non solum ut subjectum, sed etiam ut terminus realiter existat (1).

SCHOL. Itaque ex disputatis hucusque mundum creatum et quidem *in* seu *cum* tempore creatum admittere necesse est. Ast *quamdiu jam existit?* Ecce quæstio ab incredulis ultimi seculi vehementer agitata, ut Moysem atque inde Scripturam sacram mendacii arguerent. Verum historiæ et annales populorum, observationesque tum astronomicæ tum geologicæ undequaque collectæ narrationi Moysis ita consentiunt, ut vel obstinatissimi deistæ et atheistæ manus victas dare cogantur. Hanc itaque quæstionem fusius tractare supersedemus. Qui plura cupit, consulat Cuvier (3), Buckland (4), Deluc, de Serres, Nonnotte aliosque.

SECTIO II.

DE NATURA MUNDI.

26. Vocabuli *natura* (græce φύσις) multiplex est acceptio. Usurpatur enim 1° pro rei cujusvis *essentiâ*. Sic alia bovis, alia equi dicitur esse natura ; 2° pro entis quâdam *determinatione ad aliquid*. Sic natura lapidis dicitur esse,

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. Art. 2. Pag. 286 et seqq.

(2) *Essai sur la théorie de la terre.*

(3) *La Géologie et la Minéralogie dans leur rapport avec la Théologie naturelle.*

ferri ad centrum terræ; 3° pro *viribus* et *potentiis activis* et *passivis* entis cujuslibet. Sic ille homo debilem, hic robustam dicitur habere naturam; et tandem 4° pro *collectione omnium virium*, quæ omnibus entibus hujus mundi tam materialibus, quam immaterialibus simul sumptis insunt, atque hoc sensu accepta natura vocari solet *natura universa*.

Porro harum virium essentiam intimam non cognoscimus, sed scimus eas secundum leges seu regulas aliquas agere, quæ *naturæ leges* dicuntur; et vel *metaphysicæ* sunt, quæ mutuas corporum et spirituum mutationes determinant, de quibus psychologia rationalis : vel *morales*, juxta quas liberæ creaturæ agere debent, ut finem suum assequantur, uti non furari; de quibus Philosophia practica; vel demum *physicæ*, de quibus speciatim Physica, universim Cosmologia tractat. Porro

Lex physica dicitur regula, quâ fit, ut in iisdem circumstantiis idem phænomenon (i. e. mutatio corporea sensus nostros afficiens) constanter producatur. Invariabilis phænomenorum ex his legibus consecutio *cursus naturæ* vocatur, et quoniam certo tempore, modo in iisdem circumstantis uniformi secundum dispositionem et nexum rerum, idem semper phænomenon consequitur, ordo quidam et successivus et coexistens enascitur, qui naturæ ordo appellatur, quatenus hunc ordinem natura in agendo servat.

His prænotatis tres potissimum quæstiones ad nostrum forum pertinentes hic resolvendæ occurrunt, nimirum : 1° an et quid sint leges naturæ, et inde, an eventus contra vel præter has leges in mundo corporeo sint 2° possi-

biles et 3° cognoscibiles; quas totidem capitibus expediemus.

CAPUT PRIMUM.

De existentiâ et essentiâ legum naturæ.

27. Etsi præter idealistas, quos in criterio sensuum externorum refutavimus, vix sint, qui de existentiâ legum naturæ non conveniant, tamen majoris claritatis causa sit sequens :

28. PROP. I. EXISTUNT IN MUNDO LEGES PHYSICÆ NATURÆ.

Prob. 1° Datur teste experientiâ externâ ordo naturæ : atqui ordo naturæ supponit necessario leges naturæ, seu rationes quasdam sufficientes, ob quas res ordinatæ sic vel sibi invicem succedant vel simul coexistant; ergo existunt leges physicæ.

Prob. Maj. Nam dantur constantes dierum noctiumque vicissitudines, variarum tempestatum anni successiones, immutabiles ab omni ævo solis astrorumque motus eademque suis temporibus distantia, fixa in generatione animalium plantarumque ratio et perpetua earundem in corporibus proprietatum constantia, et iisdem in circumstantiis causalitas etc.; ergo datur ordo naturæ.

2° Si nullæ extarent naturæ leges, nulla esse posset in hominibus providentia, nullum consilium, scientiæ nullæ, nec artes, nec ulla certa instituendæ vitæ aut curandorum corporum ratio etc. : atqui hoc dici nequit, quia 1° repugnat experientiæ propriæ et alienæ, et quia

2° sic Deus creaturis suis in necessariis defuisset, quod rursus ejus et bonitati et sapientiæ repugnat; ergo existunt leges naturæ universales et uniformes.

SCHOL. Philosophi, qui existentiam harum legum admittunt, disputant de earum *essentiâ*. Alii enim eas reponunt in essentiâ seu vi activâ et passivâ elementorum; alii in essentiâ mundi seu in certâ horum elementorum combinatione; alii demum in voluntate Dei, tanquam causâ immediatâ proximâ omnium mutationum in hoc mundo. Quâ in re, cum nihil certâ ratione stricte demonstrari possit (1), nobis pro nostro scopo sequens sufficiat

29. PROP. II. LEGES PHYSICÆ NATURÆ NON SUNT ABSOLUTE, SED TANTUM HYPOTHETICE NECESSARIÆ.

Prob. Nec essentia elementorum, nec essentia mundi est absolute necessaria; secus et elementa mundi et mundus ipse essent entia *a se*, adeoque immutabilia, vel necessariæ modificationes substantiæ infinitæ, quod fal-

(1) Et profecto quæstio hic non est, an essentia legum naturæ sit in elementis mundi vel in compositione mundi vel demum in viribus mundi vel ejus elementorum, seu, uno verbo, quæstio non est, *ubi*, sed *quid* sit essentia legum naturæ. Quid vero aliud leges naturæ, v. g. attractionis et gravitationis, aliquis dicet esse, quam ipsam voluntatem Dei, quà, uti voluit, ut res sint, sic voluit, ut ita sint, i, e, ut res variæ sub variâ proportione mutuâ et ordine, pro varietate et pro variâ distantiâ rerum, vario fixâ quâdam, uniformi et immutabili ratione agant? Quid enim dicet aliquis esse leges naturæ? Aliquid materiale? Sed materia agitur juxta certam legem, seu constituta ita est, ut sic agere debeat; non autem ipsa juxta eam sponte suâ agit. An aliquid spirituale? Sed quid spirituale? An spirituale quid creatum? Sed si creatum est, habebit ceu legem, juxta quam agat, vel præscriptam vel inditam suæ essentiæ voluntatem creatoris. Si autem increatum est, ergo est Deus ipsiusque sola et unica voluntas juxta æternas ipsius veritatis mathematicæ et possibilitatis rerum internæ rationes res omnes volens constitutas.

sum et absurdum est ex Sectione præcedenti; ergo ratio sufficiens *essentiæ physicæ* (1) tum elementorum tum mundi in liberâ Dei creantis voluntate reponenda est, qui et elementis in statu physico aliam dare essentiam v. g. majorem intensitatem virium etc., et ex elementis hujus essentiæ aliam combinationem et proportionem, adeoque aliam essentiam mundi constituere potuisset; ergo etiam leges naturæ, sive in elementorum sive in mundi essentiâ repositæ dicantur, a liberâ voluntate Dei, tanquam ultimâ ratione sufficiente pendent, adeoque non absolute, sed hypothetice tantum necessariæ sunt.

30. OBJ. Leges naturæ morales absolute necessariæ sunt; ergo et leges physicæ.

R. *C. Ant. N. Cons.* et *parit.* Nam leges morales illæ sunt, sine quibus provide gubernari et ad finem suum dirigi creatura rationalis non posset; ergo sicut Deus creaturam rationalem necessario provido gubernat, ita et istas leges ferre necessario debuit. Fundantur nempe hæ leges essentialiter in sanctitate et justitiâ divinâ; adeoque æque necessariæ sunt, ac Deus ipse. Ast aliud plane est de legibus physicis, quæ in nullâ perfectione divinâ necessario fundantur, sed a liberâ ejus voluntate dependent, quæ mundum sicut omnino non creare, ita etiam sub aliâ modificatione creare adeoque aliis legibus physicis subjicere potuit salvis suis perfectionibus, uti v. g, si loco ab oriente, sol cursum suum inciperet ab occidente, vel ignis minori ardore vel majori ureret.

(1) Id est, prout in physicâ et actuali existentiâ nunc sunt; quia scilicet Deus res singulas juxta alias etiam rationes veritatis et juxta possibilitatis internæ gradus varios constituere potuisset.

CAPUT II.

De possibilitate miraculi.

31. Eventus seu effectus, qui habet rationem sufficientem in viribus naturæ, *effectus naturalis;* qui vero superat vires omnis creaturæ secundum universales naturæ leges agentis, *effectus supernaturalis* vocatur. Effectus autem supernaturales duplicis generis sunt. Alii *iisdem in adjunctis perpetuo eveniunt*, ut adeo adjuncta hæc universales quædam leges esse videantur, quas Deus sibi ipse libere posuerit. Sic semper creatur anima humana, cum corpus ita jam organisatum est, ut actiones vitales exerceri possint. Alii *nullis certis adjunctis* statisque legibus *alligati sunt*, sed modo ac tempore insolito contingunt, et percepti ab hominibus admirationem excitant. Porro

Effectus sensibilis supernaturalis insolitus dicitur *miraculum*, et triplex distinguitur, nempe *miraculum* 1° *contra naturam;* cum in naturâ non solum non est causa efficiens, sed est dispositio contraria effectui, uti in miraculo Josue: *Sol sta;* 2° *supra naturam;* si in naturâ non causa efficiens, sed nec contraria dispositio est, uti resurrectio mortui; 3° *præter naturam;* si a naturâ quidem produci posset, sed non eo modo, quo miraculum, uti subitanea sanatio morbi inveterati solo vocis imperio.

Miracula *contra* et *supra* naturam dicuntur primæ *classis* et *quoad substantiam*, ea vero *præter* naturam secundæ *classis* et *quoad modum*.

Magnum autem discrimen est *inter miraculum* et *effec-*

tum mirabilem. Effectus enim mirabilis est, cujus causam quidem non novimus; ast ex quo non judicamus, eam naturæ non inesse; uti si quis rudis primâ vice experiatur ictum electricum, vel phænomena phantasmagoriæ.

His præmissis quæritur, an effectus supernaturalis seu miraculum sit possibile, ad quod responsum dabit sequens

32. PROP. MIRACULUM INTRINSECE ET EXTRINSECE EST POSSIBILE.

Prob. 1° Miraculum est *possibile a*) *Intrinsece*. Nam essentia tum elementorum tum mundi adeoque et leges naturæ dependent a liberâ voluntate Dei; ergo uti Deus initio potuisset aliam elementis vel mundo essentiam physicam dare, ita et nunc potest ejusdem effectum suspendere vel eandem modificare aut adeo immutare ex speciali ratione; ergo.... *b*) *Extrinscese*. Nam quidquid non repugnat perfectionibus divinis, est extrinsece possibile: atqui miraculum non repugnat perfectionibus divinis. Si enim repugnaret, esset, ut volunt adversarii, vel quia miraculum argueret in Deo mutabilitatem, vel quia nullum finem Deo dignum haberet; atqui miraculum 1° non arguit in Deo mutabilitatem, quia uti leges naturæ, ita et hanc ab iis exceptionem ab æterno statuit, uti etiam S. Thomas docet (1); 2° habei finem Deo dignum, qualis est manifestatio suæ voluntatis homini faciendà, contestatio alicujus veritatis, approbatio virtutis manifestior et quæ magis hominem percellat; id quod,

(1) Part. I. Quæst. 105. Art. 6. ad. 3: *Dicendum, quod Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi rescrvaret, quod ipse aliquando aliter ex causâ esset facturus. Unde cum præter hunc ordinem agit, non mutatur*.

uti pulchre exponit S. Augustinus (1), et naturæ divinæ et naturæ humanæ quam maxime congruit ; ergo....

2° Certissimum est, Christum a mortuis resurrexisse, Lazarum resuscitatum esse etc. nec minus certum est, hæc esse absolute supra naturam ; ergo de facto dantur miracula : sed *de fieri ad posse fieri* valet illatio ; ergo miracula sunt possibilia.

3° Si Deus nullum in mundo effectum posset producere, nisi per et juxta leges naturæ, ab iis dependeret et in potentiâ suâ constringeretur : atqui hoc est absurdum ; ergo....

OBJECTIONES.

33. OBJ. 1° Leges naturæ fluunt *vel* ab essentiis rerum, *vel* a voluntate Dei : atqui in neutro casu miraculum est possibile, ergo.....

Prob. Min. 1° Quod essentiis rerum repugnat, est impossibile : atqui miraculum in primo casu repugnat essentiis rerum, ergo..... 2° Voluntas Dei est immutabilis ; ergo et leges naturæ, si ab eâ fluunt.

R. *D. Maj.* Leges naturæ fluunt *vel* ab essentiis rerum

(1) Tract. 24. in Joan. N. 1 : *Miracula, quæ fecit Dominus J. C. sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quæ videri oculis possit, et miracula ejus, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano, secundum suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus, et tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia majus, sed quia rarum est.*

immediate et mediate a voluntate Dei, *vel* immediate a voluntate Dei, *C. Maj.* Fluunt ita ab essentiis rerum, ut ne mediate quidem et ultimato voluntati Dei innitantur, *N. Maj.* et *N. Minore N. Cons.* Dein

Ad prob. *Min.* 1° R. *D. Maj.* Quod essentiis rerum repugnat absolute, ut circulus quadratus, est impossibile, *C. Maj.* Quod repugnat solum hypothetice, *N. Maj.* et pariter *D. Min. N. Cons.* Miraculum repugnat tantum hypothetice essentiis rerum, seu sub hac conditione, si secundum vires sibi inditas agant; ast cum non fiat vi rerum naturali, sed supernaturali, non repugnat; supernaturaliter enim possibile est, quod physice est impossibile; ergo.....

Ad 2um *C. Ant.* Quia voluntas Dei est certe immutabilis, sed *D. Cons.* Leges naturæ ab eâ fluentes sunt immutabiles pro ratione voluntatis divinæ, *C. Cons.* Absolute *N. Cons.* Nam voluntas Dei sicuti leges, ita et exceptiones ab illis, seu miracula ab æterno voluit. Cæterum concesso etiam toto argumento nihil sequitur contra thesim. Nam cum miraculum patratur, leges non immutantur, sed manent, quod sunt, et plerumque effectus producitur sine concursu legum naturalium, aut ad summum earum effectus suspenditur. Sic lex physica est, ut homo in ignem ardentem projectus comburatur; an jam hæc lex immutata aut abolita est, ex quo tres pueri Babylone in fornacem ardentem missi, et ex igne illæsi egressi sunt? Sic lex physica est, ut mortui et jam semiputridi non resurgant; an forte, ex quo Lazarus resuscitatus est, jam nemo mortuus in sepulchro manet? (1)

(1) Recte igitur observat Bergier; *Traité Hist. et Dogm. de la vraie*

OBJ. 2° Deus nullum habet finem se dignum patrandi miraculum ; ergo est impossibile.

Prob. Ant. Finis, si quis esset, esset in favorem hominum : atqui absurdum est dicere, ens infinitum in gratiam aliquot formicarum in luto reptantium invertere æternum ordinem immensarum legum, ait Voltarius (1) ; ergo.....

R. *N. Ant.* et *Cons.* Ad prob. *C. Maj. N. Sup. Min.* Supponit enim, per miraculum ordinem naturæ inverti : atqui cum Christus Lazarum suscitavit, aut oculos cæci nati aperuit, non major in ordine naturæ inversio orta est, quam cum chirurgus lethali vulneri aut oculorum defluxioni medetur, totaque differentia sita est in vi a Christo supernaturali, a chirurgo naturali impensâ ; *essentiale* autem est legibus naturæ utrique vi cedere, ut adeo inversio oriretur ; si non cederent.

CAPUT III.

De cognoscibilitate miraculi.

34. Possibile esse miraculum tum ex præcedenti capite patet, tum ita per se manifestum est, ut ipse Rousseau (2) eâ de re ita pronuntiet : « Potestne Deus facere mira-

religion, tom. V. « *On parle très-improprement, quand on dit, qu'un miracle viole, dérange, interrompt, change, bouleverse les lois de la nature ; il ne fait que suspendre l'effet particulier d'une de ses lois, le reste de l'univers va son train comme auparavant.* » Et S. August. : *De civit. Dei*, Lib. XII. Cap. 8. « *Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique conditoris conditæ cujusque rei natura sit ?* »

(1) Dict. philosoph. Art. *Miracles.*

(2) *Lettres de la Montagne.*

cula, i. e. legibus, quas ipse posuit, derogare. Quæstionem hanc serio agitare, si non absurdum, certe impium foret; qui negative responderet, non puniri, id enim nimis decorum insano foret, sed includi cum amentibus deberet.» Ast idem (1) negat miraculum posse cognosci, et cum ipso et cetera incredulorum caterva contra cognoscibilitatem miraculorum insurgit, et quam alibi negat, hic etiam ipsorum dæmonum existentiam in auxilium advocat. Quare sit:

35. PROP. Miraculum etiam quoad nos est cognoscibile.

Prob. 1° Cognoscimus, quid in certis adjunctis per vires naturæ fieri debeat, quid fieri non possit; ergo si ejus oppositum factum esse cognoscimus, cognoscimus etiam, id factum non esse per vires naturæ, adeoque per vires supernaturales seu per miraculum: atqui factum esse miraculum, seu aliquid contra id, quod per vires naturæ fieri debuisset, certo cognoscere possumus experientiâ propriâ et alienâ; ergo miraculum etiam quoad nos est cognoscibile

Prob. Ant. Uniformi enim et constanti experientiâ nonnullas cognoscimus naturæ leges. Sic scimus, corpus exanime et putridum non redire ad vitam, liquida componere se ad libellam, vires rerum esse limitatas, nec posse producere effectum, quocum nullam habeant proportionem, et nisi debito modo sint applicatæ subjecto, vel sine sufficienti temporis morâ etc.; ergo cognoscimus, quid in certis adjunctis per vires naturæ fieri possit.

2° Miracula, si quæ fiunt, certe ad aliquem finem

(1) Ibidem *Lettre* 3.

fiunt, seu Deus per ea intendit manifestare suam voluntatem : atqui si vera a falsis discerni non possunt, omnino finem nullum habere possunt Deo dignum ; ergo miracula vel sunt externe impossibilia, vel sunt cognoscibilia : atqui externe impossibilia non sunt, cum Deus manifeste sapientes fines habere possit producendi effectus supernaturales insolitos ex dictis Capite præcedenti; ergo sunt etiam cognoscibilia.

OBJECTIONES.

36. OBJ. 1° J. J. Rousseau loc. cit. Non novimus omnes naturæ leges; ergo scire non possumus utrum effectus, qui pro miraculo habetur, non proveniat à legibus naturæ : potest enim evenire vi quarundam legum naturæ nobis incognitarum.

R. *C. Ant. N. Cons.* Nam eo ipso, quod miraculum possibile esse asseratur, etiam quoad nos cognoscibile esse debet; siquidem secus nullus ejus faciendi esset Deo finis : atqui ipse Rousseau absurdum et impium dicit esse negare possibilitatem miraculi; id quod dici certo etiam potest de possibilitate extrinsecâ ; ergo....

Rationem additam *Nego*. Nam

1° Quivis homo sentit se *invincibiliter ferri a*) ad exspectandum in datis circumstantiis, nisi miraculum interveniat, certum eventum, et huic exspectationi tota humana prudentia et industria, imo et jura v. g. hæreditatis aliquo defuncto (1), innituntur; *b*) ad judicandum, adesse inter-

(1) Si enim vel suspicari possemus, dari leges aliquas incognitas, vi quorum mortui resurgant, quo jure hæredes statim a morte in hæreditatem succederent? Sed nimirum ea est, ipsorum adeo incredulorum,

ventum supernaturalem, seu miraculum fieri, quando in iisdem circumstantiis constanter et uniformiter idem semper, et semel tantum contrarius obtinetur effectus. Unde ita : *Vis hæc universalis* inclinans homines ad hæc judicia est ipse sensus communis : atqui si hæc ipsius judicia essent falsa, inprimis ratio non esset ratio, utpote inclinans ad perpetuum et invincibilem errorem ; et dein Deus homini sufficienter non providisset, cum homo tantum per assensum his judiciis præstitum possit providere futuro, cavere mala etc., imo et erroris in re magni momenti hominique necessariâ, qualis est religio, propter quam maxime miracula fiunt, autor esset ; ergo hæc ipsius judicia falsa esse non possunt : atqui si existant leges incognitæ, quarum interventu contrarius in datis casibus eventus obtineat, fallunt hæc judicia ; ergo absurdum est admittere *hujusmodi* leges incognitas (1).

vis quasi instinctiva rationis, ut cum mortuus sepeliri videtur, surrecturus, nisi per miraculum, non cogitetur, et si resurgeret, omnes etiam increduli, id non legi incognitæ, sed divinæ operationi tribuerent.

(1) Hac ratione refutantur etiam ii, qui putant, miracula in legibus generalibus a Deo præordinata esse (*). Hujus opinionis fuit Mallebranche, *Medit.* 8, et quamvis in opere : *Recherche de la Vérité*, tom. II. duo miraculorum genera distinguat, unum eorum, quæ a legibus generalibus, alterum eorum, quæ speciali Dei voluntate eveniant, tamen ibidem ultimi generis miracula sapientiam et immutabilitatem Dei fere dedecere arbitratur. — Ulterius etiam progreditur Hauteville : *Relig. chrét. prouvée par les faits*, liv. I. chap. 6. auctor ceteroquin bonæ notæ, contendens, miracula esse effectus legum naturalium, sed incognitarum, ut adeo

(*) Ceterum etiam hoc admisso semper hujusmodi eventus legibus generalibus præordinatus esset verum miraculum : esset enim *effectus supernaturalis*, si leges hæ, uti vult etiam Mallebranche, fundentur immediate in voluntate Dei ; esset *effectus insolitus*, siquidem non juxta rationem virium naturæ consuetam producatur, sed per exceptionem et] ad finem quemdam specialem : ut adeo leges hæ, quibus hujusmodi effectus præordinatus dicitur, generales relate ad hunc effectum hoc solum sensu vocari possint, quod non aliâ quâdam volitione Deus voluerit ordinarios naturæ effectus, et aliâ hunc effectum extraordinarium, sed utrosque æternâ et unicâ volitione complexus sit.

2° Si sunt *ignotæ* hæ leges, quâ ratione Prophetis, Apostolis aliisque viris sanctis innotescere potuerunt? Innotuisse enim ex eo patet, quod effectus legibus cognitis contrarios præviderint et prædixerint, et illi secundum eorum prædictionem vel preces evenerint. Cæterum miracula vera nunquam sunt solitaria, sed tot ac tantis vestiuntur circumstantiis, ut, sicut ait S. Augustinus, si quis decipiatur, prudenter et secundum sanam rationem decipiatur, adeoque deceptionis auctor Deus esset.

Inst. Certum est ex modernâ Physicâ experimentali, plura naturaliter evenire, quæ antea vel a doctis pro miraculis fuissent habita, et forte, quæ nunc ut miracula celebrantur, post seculum cognoscentur nonnisi effectus naturales fuisse; ergo.....

R. *N. Ant.* Objectio posset valere, si ageretur de *effectu mirabili*, sed neutiquam de miraculo; hujus enim veritas non ex effectu solo, sed sæpe, imo fere semper ex circumstantiis et ex modo, quo fit, simul dijudicanda est. Quis, etiam modernorum Physicorum, vel unicum miraculum, ut tale a doctis et indoctis olim habitum, exhibere potest, quod nunc mere effectus naturalis fuisse cognoscatur? An vel unius miraculi Christi vel Apostolorum detecta est causa physica? Chemia multos miros effectus producit: ast sane nunquam solo vocis imperio;

juxta ipsius singularem opinionem vis faciendi miracula consistat in cognitione momenti, quo effectus illi eveniant.—Mirum igitur non est, horum vestigiis institisse Bonnet in suo opere: *Recherc. philos. sur les preuves du Christian.* chap. 6.

Confer. de hac re disputationem inter Leibnitzium et Clarckium: *Oper. Leibnitz.*, tom. II.—*Recueil de Maizeaux*, tom. I.—Vide etiam Wolfium, *Metaphys.* §. 633-638.

et quo profundius naturam quis scrutatur, eo clarius intelligit, miracula vires creatas superare.

OBJ. 2° Ut quid miraculum dicatur, debet esse à Deo: atqui nunquam scimus esse a Deo, cum esse possit ab Angelis bonis vel malis, quorum vires, etsi nostris multo superiores sciamus, tamen quousque se extendant, ignoramus; ergo.....

R. *D. Maj*. Debet esse a Deo immediate vel mediate, *C. Maj*. Præcise semper immediate, *N. Maj*. et hinc *Min. Cons*. et *Conseq*. Nam Angeli boni vel mali, si possint, certe non sine dependentiâ a voluntate Dei possunt naturæ leges impedire, vel effectum his contrarium producere; ergo quantæcunque sint vires spirituum, ultimato causa principalis miraculi semper Deus est.

Inst. Potest a dæmone produci effectus, qui, quin in se sit, nobis tamen videatur supra vel contra naturæ leges; ergo nunquam cognoscere possumus, verumne sit miraculum.

R. *Tr. Ant. N. Cons*. Nam dijudicari potest veritas miraculi ex *fine*, ob quem fit. Deus nempe, si patrat miraculum, *quà sapiens*, necessario habet finem, et *quà sanctus*, finem honestum et bonum; unde in casu allato aut simili ita ratiocinamur. Effectus *a*, qui non potest provenire, nisi aut a Deo, aut a dæmone; est ad finem *b*: atqui finis *b* est bonus; quippe non solum non contradicit rationi, sed illam perficit et inservit homini ad perfectiorem finis ultimi consecutionem; ergo a Deo est, vel vice versâ, ut patet. Dixi *Tr. Ant*. Nam si homo rectâ utens ratione et petito a Deo auxilio invincibiliter judicat esse miraculum, Deus permittere nequit, ut ita decipiatur

necessario, et quin medium ullum suppeditet errorem evitandi, secus fieret ipse auctor erroris (1).

OBJ. 3° Saltem miraculum antiquitatis cognoscibile non est. Nam testes sunt generatim homines rudes : atqui rudes non sunt judices idonei miraculorum ; ergo...(2)

R. *N. Ant.* Ad prob. *Tr. Maj. D. Min.* Rudes non sunt testes idonei de *facto*, ad quod observandum nullâ re opus, quam sanis sensibus, *N. Min.* Non sunt idonei de *veritate* miraculi dijudicandâ. *C. Min.* et *N. Cons.* Duo sunt in miraculo distinguenda : 1° quid sit factum : 2° utrum datum factum sit miraculum ; primum rudis, sicut doctus testari potest ; alterum examinare doctorum est.

SECTIO III.

DE PERFECTIONE MUNDI.

37. Erant Philosophi nonnulli, qui duce Leibnitzio in Germaniâ et Mallebranchio in Galliâ contenderent, omnia in hoc universo perfectissime disposita, atque adeo mundum hunc præsentem omnium possibilium optimum

(1) Hæc responsio valet etiam contra eos, qui dicunt, diabolum posse se transformare in Angelum lucis et sub specie boni malum finem intendere. Quamvis enim fateamur, diabolum id posse, negamus tamen ita posse, ut in miraculo publico facto ad confirmationem alicujus doctrinæ et invocato prius Dei nomine nullum medium homini suppeditetur detegendi fraudem.—Confer. Bergier : *Deisme refuté par lui-même*. Germanice : *Der Deist.* Epist. 12.

(2) Ita fere Hume : *Essais philosophiq.*—Voltaire : *Quest. sur l'Encyclopédie : Miracles.*

esse ; unde eorum circa mundi perfectionem systema *optimismus* vocari solet.

Hoc autem est eorum principium. Deus est quidem liber in creando, sed ex hypothesi, quod velit creare, tenetur 1° *juxta Leibnitzium* (1) optimum eligere, quia nihil est sine ratione sufficienti, ratio autem, cur hunc potius, quam alium mundum Deus elègerit, alia esse non potest, quam hujus mundi perfectio omnium maxima ; tenetur 2° *juxta Mallebranchium* (2) suam et quidem quam maximam gloriam intendere, adeoque, cum major gloria ex perfectiori mundo in eum redundet, mundum perfectissimum condere.

Antequam quæstionem aggrediamur, prænotandum est : *perfectionem rei* esse *ejusdem habilitatem ad finem* (3), et hinc eo perfectiorem rem esse, quo excellentior est *finis*, ad quem tendit, et quo *major habilitas* seu *exactior modus*, quo tendit ; adeoque rem in suo genere absolute perfectissimam seu optimam esse eam, quæ ad finem excellentissimum tendit habilitate maximâ. Sic horologium, cujus finis est indicare temporis divisiones, relate ad hunc finem adeoque *perfectione relativâ*, erit perfectum, si exacte indicet horas ; perfectius, si æque exacte præter horas etiam minuta indicet, et demum in suo genere perfectissimum, adeoque perfectum *perfectione absolutâ*, si exactissime omnes possibiles temporis divisiones indicet. Quod si hoc postremum horologium inexacte indicet istas temporis divisiones, priora vero exacte suas horas vel mi-

(1) Princip. philosoph.—*Essai de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal.*

(2) *De la recherche de la vérité.—Traité de la nature et de la grâce.*

(3) *Ont.* Part. I. Cap. 4. Pag. 209 et seq.

nuta, erit illud quidem perfectius *ratione finis*, hæc vero perfectiora *ratione modi* tendendi ad finem, ast neutrum absolute perfectum.

Ex dictis duo nobis examinanda sunt, ut de perfectione mundi recte judicemus; prius est *finis*, *ob* vel *ad* quem creatus est; posterius est *modus*, quo ad eum tendit, seu *perfectio* ejus *relativa*.

CAPUT PRIMUM.

De fine mundi.

38. Finis mundi ultimus duplex distinguitur, hic sedulo discernendus, nempe *finis operantis*, seu ob quem Deus mundum creavit, et *finis operis* seu ad cujus consecutionem mundum ordinavit (1).

Finis Dei operantis in omnibus suis operibus alius esse nequit, nisi *gloria ipsius intrinseca*; *finis operis* vero *gloria ejus extrinseca*. Est autem

Gloria intrinseca universim sumendo judicium certum, quo bona, quæ in nobis esse certo cognoscimus, vera bona esse judicamus, ex quo judicio sequitur amor, complacentia in nobis, et ex hoc interna lætitia et jucunditas. Unde *gloria Dei intrinseca* est complexus omnium perfectionum divinarum, quatenus Deus illas infinitas adæquate cognoscens infinite seipsum amat, et ex hoc amore infinito gaudio perfunditur et beatissimus est (2).

(1) Vide *Ontol.* Part. III. Cap. 2. Art. II.—I. Pag. 310.
(2) Si itaque Deo desit vel unica perfectio, jam gloria ejus intrinseca non esset absoluta. Et cum omnes perfectiones in Deo identificentur et sint unum et simplicissimum esse, quævis perfectio, utpote quæ a cæteris

Gloria vero *extrinseca* est idem illud judicium de nostris bonis ab aliis factum, quibus certo constet ex actionibus nostris, illa bona nobis inesse; illæ ergo actiones nostræ *manifestant gloriam nostram intrinsecam*, et quà ratio sufficiens, cur hæc ab aliis cognoscatur, *promovent gloriam extrinsecam*. Unde *gloria Dei extrinseca* est idem ille complexus divinarum perfectionum, quatenus ad extra manifestatæ ab aliis plus minusve cognoscuntur et amantur. His præmissis sit:

39. PROP. I. FINIS DEI CREANTIS MUNDUM EST GLORIA EJUS INTRINSECA, SEU EXERCITIUM LIBERTATIS DIVINÆ.

Prob. 1° Finis operantis semper debet esse aliquod bonum. Nihil enim appeti potest ab ente intelligente, quod bonum non sit: secus appeteret nihil, cum omnis realitas aliquid boni, et solus defectus realitatis seu nihilum malum sit (1). Unde sic: Quidquid est appetibile, est appetibile vel ratione sui, vel ratione medii ad aliud: ergo Deus mundum vel ratione sui, i. e. mundi, vel ratione medii voluit: atqui Deus non voluit mundum ratione sui. Existentia enim mundi respectu Dei nihil boni in se continet: cum secus ante ejus existentiam non fuisset summe bonus sibique sufficientissimus. Ergo Deus voluit mundum ut medium ad finem: atqui nullus alius finis Deo dignus esse potest, nisi Deus ipse; ergo finis Dei creantis est Deus ipse seu gloria ejus intrinseca. Et vero

perfectionibus realiter non sit distincta, realiter spectata est tota Dei gloria intrinseca. Hinc dum finem Dei creantis reponimus in exercitio libertatis seu in libertate Dei necessario in actu positâ, recte dicimus, finem Dei operantis in creando mundo esse gloriam Dei intrinsecam.

(1) *Ontol.* Part. I. Cap. 4. — III. Pag. [illegible] et seqq.

2° Finis seu motivum actionis divinæ non potest esse aliquid Deo extrinsecum : secus Deus in actione suâ ab aliquo extrinseco fuisset dependens ; quod repugnat ; ergo est quid Deo intrinsecum : sed quidquid est Deo intrinsecum, est Deus ipse seu pertinet ad ejus gloriam intrinsecam ; ergo finis actionis divinæ est gloria ejus intrinseca. Insuper

3° Finis Dei creantis debuit esse talis, qui æque subsisteret, etiamsi ad non-creandum Deus sese determinasset. Secus deficiente fine Deus in creando liber non fuisset, i. e. si ad creandum fuisset, ad non-creandum vero nullus fuisset Deo finis, Deus utpote infinite sapiens et hinc non potens agere absque fine, non potuisset non creare, adeoque ad creandum necessitatus fuisset ; ergo finis seu motivum, propter quod Deus se determinavit ad creandum, debuit esse hujus modi, ut eodem potuisset etiam determinari ad non-creandum. Atqui talis finis alius esse non poterat, quam ipsum exercitium divinæ libertatis, ut complens gloriam Dei intrinsecam ; ergo hæc unice est et esse potest finis operantis Dei in creatione hujus mundi.

OBJECTIONES.

40. OBJ. Gloria Dei intrinseca consistit in cognitione suæ infinitæ perfectionis, quam Deus habet et quâ beatissimus est : atqui evidenter creatio nihil conducit neque ad istam cognitionem, neque ad beatitudinem inde fluentem ; ergo gloria ejus intrinseca non potuit esse finis creationis.

R. C. *Maj.* D. *Min.* Creatio spectata relate ad terminum seu ad entia, quæ existentiam accipiunt, nihil conducit, *C. Min.* Creatio relate ad subjectum, seu quatenus est actus Dei, quo suam libertatem exercet, nihil conducit, *N. Min.* et *Cons.* Nam inter infinitas Dei perfectiones, quarum contemplatio beatitudinem ejus essentialiter constituit, est certo etiam ejus libertas : atqui de naturâ est divinæ libertatis, ut Deus agat. Deus enim liber non est ad agendum vel non agendum, cum agere evidenter sit melius, quam non agere, adeoque actio perfectio sit, quâ carere Deus non potest; ergo essentialiter ad ejus gloriam intrinsecam pertinet exercitium libertatis : atqui libertatem exercuit in creando; ergo creatio, quatenus est actus Dei, conducit ad gloriam Dei intrinsecam, adeoque sub hoc respectu est appetibilis, et solus finis Deo dignus et intrinsecus (1)

(1) Hinc patet, quo sensu dici possit, Deum esse *necessario causam*. Scilicet eatenus, quatenus necessario actum aliquem relativum ad terminum extrinsecum ponere debet, ut libertatem exerceat : ast nullatenus, uti vult D. Cousin, quasi Deus *necessario creet*, i. e. mundum existere faciat. Quod Deo necessarium est, est, ut agat et quidem, utpote necessario actu liber, ut agat ad extra adeoque ut ponat vel *volitionem* vel *nolitionem* creaturæ. Ast nullatenus necessarium est, ut ponat præcise *volitionem* mundi adeoque ut creet, cum *nolitio* creationis sit æque actus et quidem actus relativus ad extra. Uterque enim actus entitative et in Deo spectatus est positivus et ita etiam exprimi potest. *Volo*, ut mundus sit; vel : *Volo*, ut mundus non sit; unde patet, negativum non a parte actûs, sed a parte termini inveniri.

His adnotatis juvabit jam animadvertere, quam misere D. Cousin confundat in Deo *necessario agere* cum *necessario creare*. Sic enim ille habet : *Histoire de la philosophie*, *cours de* 1828, 5e *leçon*, page 26. *Dieu, s'il est une cause, peut créer, et s'il est une cause absolue, il ne peut pas ne pas créer.* — Et pag. 27 : *Son caractère éminent étant une force créatrice absolue qui ne peut pas ne pas passer à l'acte, il suit, non que la création est possible, mais qu'elle est nécessaire; il suit que Dieu créant sans cesse et infiniment, la création est inépuisable et se maintient constamment.* Eandem confusionem inter necessariam actionem ad extra et necessariam creationem conservat, et insuper libertatem

Inst. Deus suam libertatem æque exercuisset per non-creationem, quam per creationem; ergo finem aliquem

a coactione cum libertate *a necessitate* æque miserabiliter confundit in *Fragments philosoph.* 1838. Page XXI. ubi tamen simulat, quasi retractare velit ea, quæ de necessitate creationis olim edixerat. Ita enim habet: *Reste la nécessité de la création. A la réflexion je trouve moi-même cette expression assez peu révérencieuse envers Dieu, dont elle a l'air de compromettre la liberté, et je ne fais pas la moindre difficulté de la retirer; mais en la retirant, je la dois expliquer. Elle ne couvre aucun mystère de fatalisme : elle exprime une idée qui se trouve partout, dans les plus saints docteurs comme dans les plus grands philosophes. Dieu, comme l'homme, n'agit et ne peut agir que conformément à sa nature, et sa liberté même est relative à son essence. Or, en Dieu surtout la force est adéquate à la substance, et la force divine est toujours en acte; Dieu est donc essentiellement actif et créateur. Il suit de là qu'à moins de dépouiller Dieu de sa nature et de ses perfections essentielles, il faut bien admettre qu'une puissance essentiellement créatrice n'a pas pu ne pas créer, comme une puissance essentiellement intelligente n'a pu créer qu'avec intelligence, comme une puissance essentiellement sage et bonne n'a pu créer qu'avec sagesse et bonté.* Dein pag. XXVI. *Entre le juste et l'injuste, entre le bien et le mal, entre la raison et son contraire, Dieu ne peut délibérer, ni par conséquent vouloir à notre manière.... Conçoit-on, en effet, qu'il ait pu prendre ce que nous appelons le mauvais parti? Cette supposition seule est impie. Il faut donc admettre que quand il a pris le parti contraire, il a agi librement sans doute, mais non pas arbitrairement et avec la conscience d'avoir pu choisir l'autre parti.* Quibus verbis clare ostendit, per *libertatem* se aliud non intelligere, quam spontaneitatem seu *libertatem a coactione*, et hanc solam se Deo attribuere; negare autem Deo *libertatem a necessitate*, quam ipse vocat liberum arbitrium.

Quam multo clarius, et ad refellendum totum hoc Cousinianum commentum aptissime, et vero ex ideâ ipsâ omnipotentiæ divinæ ratiocinatur D. Thom. *Cont. gent.* Lib. II. Cap. 23. dicens: *Quidquid non implicat contradictionem, subest divinæ potentiæ : multa autem non sunt in rebus creatis, quæ tamen, si essent, contradictionem non implicarent, sicut patet præcipue circa numerum et quantitatem et distantiam stellarum et aliorum corporum, in quibus si aliter se haberet ordo rerum, contradictio non implicaretur. Multa igitur subsunt divinæ potentiæ, quæ in rerum naturâ non inveniuntur. Quicumque autem eorum, quæ potest facere, quædam facit et quædam non facit, agit per electionem voluntatis, et non per necessitatem naturæ. Deus igitur non agit per necessitatem naturæ, sed per voluntatem.* Quid ad hoc ratiocinium respondebit vel omnino respondere poterit D. Cousin? Anne Deus forte ita necessario hunc numerum actualem et quantitatem et distantiam stellarum et aliorum corporum creavit, ut non habuerit *la conscience d'avoir pu choisir* etiam alium majorem vel minorem numerum etc. corporum?

alium habere debuit, cur crearet potius, quam non crearet.

R. *C. Ant.* Nam etsi Deus non creasset, non ideo non egisset; fuisset enim in hac hypothesi in Deo determinatio ad non-creandum, quæ *in se* spectata non est minus realis actio, quam determinatio ad creandum, et mutatus fuisset tantum terminus actionis divinæ, i. e. obtinuisset non-creatio loco creationis. Sed *N. Cons.* Nam 1° si finis vel motivum aliquod fuisset in Deo determinans ad creandum potius quam ad non-creandum, creatio non a solâ determinatione voluntatis divinæ determinata fuisset, adeoque voluntas divina præter se causam suæ determinationis habuisset, quod est absurdum; et 2° sufficit exercitium libertatis quà ratio sufficiens creationis. Etenim, cum ad finem aliquem obtinendum non sunt, nisi duo media perfecte æqualia, utrumvis assumatur, assumitur ex amore et motivo finis, neque ullum potest esse motivum, cur alterum alteri præferatur. Si enim esset aliquod motivum, cur alterutrum præferendum censeremus, jam duo media contra hypothesim non essent respectu nostri æqualia. Jam vero Deus necessario agens, cum deberet sibi proponere finem actionis suæ se dignum, finemque istum haberet in exercitio suæ libertatis, habuit duo media exercendæ libertatis, creationem scilicet et non-creationem; ista vero duo erant respectu Dei perfecte æqualia, ergo nullum habere potuit motivum, alterutrum præponendi, et finis utriusvis non potuit esse, nisi exercitium suæ libertatis. Si enim necesse habeo aliquo ire ex duabus viis, sub omni respectu æqualibus, cur unam præ alterâ eligam, ratio alia non est, quam liberrima electio.

41. PROP. II. **Finis generalis mundi seu operis est gloria Dei extrinseca in determinato gradu.**

Prob. 1° Deus est *absoluta bonitas* et *sanctitas :* atqui *a*) *quà absoluta bonitas* non potest creare, quin manifestet partem suæ bonitatis. Nam quà absoluta bonitas Deus est summum *esse*, omne *esse* eminenter in se continens sive quà interna possibilitas rerum ut summe intelligibilis, sive quà externa ut omnipotens; ergo dum creat, necessario id, quod creatur, seu creatura et Dei omnipotentiam quà causam efficientem et ipsius divinæ essentiæ intelligibilitatem quà causam exemplarem exhibet, nec minus per suam harmoniam et mediorum ad finem subordinationem Dei et sapientiam et summam pulchritudinem quasi in effigie conspiciendam præbet; ergo Deus quà absolute bonus, dum creat, necessario bonitatem suam ad extra manifestat. *b*) *Quà absoluta sanctitas* non potest non exigere, ut bonitas manifestata laudetur et ametur. Sanctitas enim Dei est *amor essentialis ordinis;* ergo vi sanctitatis vult rem quamvis pro suæ naturæ dignitate et amabilitate æstimari et amari : atqui nihil dignius, melius et amabilius, quam perfectiones divinæ; ergo vi sanctitatis vult, ut hæ perfectiones ad extra manifestatæ cognoscantur et amentur (1). Ergo Deus posito, quod velit creare, necessario vi bonitatis et

(1) Attendendum hic est, non velle Deum, ut res repræsentantes seu creaturæ *propter seipsas* amentur, sed ut id ametur, quod per eas repræsentatur. Sicut princeps, qui optime de patriâ suâ meritus, victorias de hostibus relatas depingendas curaret et depictas publico exponeret, certe non vellet, ut oculi mentesque aspicientium in ipsis tabulis conquiescerent, sed ut id æstimarent et admirarentur, quod per picturas repræsentatur, atque ita ad gratum animum amoremque erga principem accenderentur.

sanctitatis suæ debet velle suam gloriam extrinsecam; ergo hæc est finis mundi seu operis.

2° Finis, quem operans operi suo præstituit, debet esse *a*) operante dignus et *b*) naturæ et constitutioni operis respondere: atqui *a*) Deo, utpote enti infinito, nihil finiti est dignum; ergo cum præter Deum omnia necessario finita sint, nihil præter ipsum Deum tanquam finis mundo præstitui potuit. Cum vero finis mundo constituendus non possit esse aliquid Deo intrinsecum, ne aut mundo non-existente aliquid intrinsecæ perfectionis Deo defuisset, aut eo existente aliquid intrinsecum Deo accessisset, extrinseca solum gloria Dei seu divinarum perfectionem manifestatio finis operis esse potuit. *b*) Naturæ et constitutioni mundi idem finis perfecte respondet. Ordo enim mundi legumque constantia sapientiam conditoris, varietas rerum earumque perfectionum, quarum aliquæ solum *esse*, aliæ *esse* et *vivere*, cæteræ *esse*, *vivere* et *sentire*, reliquæ insuper et *intelligere* habendo, miro prorsus modo cum invicem conspirant, sapientiæ, pulchritudinis et bonitatis divinæ, quarum sunt repræsentatrices quasi imagines, manifestum documentum exhibent; ergo finis mundi est gloria Dei extrinseca.

Ast cum perfectiones Dei sint infinitæ, non possunt adæquate manifestari et cognosci ab entibus creatis et hinc necessario finitis; ergo finis mundi est gloria Dei extrinseca *in determinato gradu*.

OBJ. Si Deus propter gloriam suam omnia creavit, vel ambitiosus est, vel superbus, vel proprio amore ducitur; ergo.... Ita fere Voltarius.

R. *N. Ant.* et *Cons.* Deus enim creavit omnia ad glo-

riam suam ex necessitate perfectissimæ suæ naturæ; et ibi nulla est ambitio vel superbia, ubi nulla recipitur utilitas ex cognitione propriæ suæ gloriæ, uti si quis bona sua manifestat aliis, ut hi ex eâ manifestatione aliquam utilitatem habeant, ipse vero ex eâdem realiter acquirat nihil : atqui Deus realiter nihil acquirit neque ex manifestatione suorum attributorum neque ex laude et amore hominum (1).

Itaque finis *cui* creationis est ipsa creatura, i. e. præcipue homo ; seu Deus libere creans mundum per necessariam consequenter manifestationem suæ bonitatis intendit bonum creaturæ.

Schol. Quæ hucusque diximus, de *fine ultimo generali* omnium rerum creatarum simul sumptarum intelligenda sunt, non vero de fine proximo et immediato particulari cujusque rei in specie. Non enim omnia eodem modo vel eodem gradu easdem Dei perfectiones manifestant, sed res quævis naturâ suâ tendit proxime ad finem aliquem specialem, quem adimplendo concurrit ad finem generalem. Sic v. g. entia rationalia speciatim et proxime destinantur *naturâ suâ* non solum, ut manifestent, quævis in suo determinato gradu, per-

(1) Et vero, ut absurditas hujus objectionis vere Voltarianæ magis pateat, supponatur aliquis paterfamilias liberorum suorum amantissimus proprio labore instituere suos infantes, ipsisque communicare suas varias scientias variasque artes et industrias, hoc fine, ut hi sui infantes ipsum ut virum vere instructum magis venerentur et ut eorum amantissimum magis filiali amore redament : haud ignarus, per hujusmodi venerationem et amorem vinculum totius familiæ magis constringi et felicitatem liberorum augeri et stabiliri :—Hunc jam patrem familias quis unquam ambitiosum, superbum vel proprii amoris mancipium vituperare audeat, cum omnia, quæ facit, ad utilitatem et emolumentum liberorum cedant, ipsa etiam veneratio et amor, quo liberi eum prosequuntur?

fectiones divinas; sed, quà intellectu prædita, etiam ad hoc, ut perfectiones divinas sive in se, sive in entibus irrationalibus manifestatas agnoscant, ament, et inde beentur; ergo finis proximus hominis est beatitudo obtinenda per liberum obsequium agnitionis et amoris Dei: finis autem ultimus creationis est gloria Dei extrinseca. Quod si homo peccando nolit, quà ens rationale, finem *suum proximum libere* implere, implebit, quia Deus fine suo frustrari nequit, *necessario finem ultimum* creationis, manifestando pœnâ suâ justitiam, sanctitatem etc. Dei, Sed de hoc speciatim in Psychologiâ.

CAPUT II.

De perfectione relativâ mundi

42. *Perfectio* dijudicanda est *ex fine* et *ex modo tendendi ad finem;* finis autem, ut patet, *non operantis*, sed *operis* efficit *perfectionem rei*, et quidem *absolutam*, si finis et modus ad eum tendendi, *relativam* vero, si non finis sed modus ad eum tendendi sit optimus. Quibus prænotatis sit

43. PROP. I. Mundus hic nequit dici optimus seu perfectissimus perfectione absoluta

Prob. 1° *Positive.* Tum mundus iste esset perfectissimus perfectione absolutâ, si divinas perfectiones eo gradu manifestaret, ut eæ magis manifestari non possent; atqui mundus eas in tali gradu manifestare non potest; ergo....

Prob. Min. Manifestatio divinarum perfectionum supponit: 1) aliquid, quod manifestetur; 2) aliquid, quod

manifestet, et 3) ens creatum, cui manifestetur, siquidem Deus per creationem non sibi manifestat suas perfectiones: atqui manifestatio divinarum perfectionum in summo gradu possibili repugnat

1° *Rei, quæ manifestatur*, i. e. perfectionibus divinis. Nam divinæ perfectiones sunt intensive infinitæ; ergo in majori semper gradu manifestari possunt, quin unquam ad ultimum gradum perveniri possit, cum secus iste gradus esset limes intensionis divinarum perfectionum. Repugnat

2° *Rei, quæ manifestat*, i. e. creaturæ. Nam quodlibet creatum est necesario finitum: atqui quolibet finito minus finitum est possibile et creabile; minus finitum autem, quantum de se seu naturâ suâ, plus perfectioni manifestat, quam magis finitum; ergo nullum finitum adeoque nec mundus perfectiones divinas in summo gradu possibili manifestare potest. Repugnat demum

3° *Enti, cui manifestatur*. Nam nullum ens intelligens creatum esse potest, quod ita cognoscat perfectiones divinas, ut nihil amplius ex eis cognoscibile supersit, cum secus Deum, utpote adæquatam de eo habens cognitionem, comprehenderet; ergo et nulli enti creato manifestatio divinarum perfectionum in summo possibili gradu fieri potest; ergo....

Prob. 2° *Negative.* Si dici posset mundus hic absolute perfectus, esset, quia Deus in hypothesi determinationis ad creandum teneretur vel ad optimum ex parte operis juxta Leibnitzium, vel ad summam suam gloriam extrinsecam juxta Mallebranchium: atqui neutrum dici potest. Si enim ex aliquo capite ad opus perfectissimum adeoque

etiam ad maximam gloriam extrinsecam teneretur, procul dubio ex sapientiâ ; atqui ex hoc capite non tenetur. Ad duo enim titulo sapientiæ tenetur opifex, scilicet ad finem sibi perfectissimum et ad media huic fini consequendo aptissima : atqui finis Dei erat gloria ejus extrinseca , i. e. exercitium libertatis ; huic autem consequendo medium æque aptum erat creatio mundi minus perfecti, quam perfectioris, siquidem per solam actionem Dei ad extra obtineatur, quiscunque demum sit terminus illius actionis ; ergo Deus ad mundum perfectiorem non tenetur

Et vero Deus nihil creare potest, quin aliquid suæ bonitatis manifestet, adeoque gloriam extrinsecam quærat ; ergo si creatione hujus mundi maximam quam poterat gloriam quæsivit, nihil amplius superest gloriæ extrinsecæ, quod obtinere, ac proin nihil bonitatis, quod manifestare, adeoque nihil, quod creare possit ; sed si Deus nihil amplius præter hunc mundum creare potest, exhausta est ejus omnipotentia, quod est absurdum ; ergo Deus non tenetur ad maximam gloriam extrinsecam, adeoque mundus hic dici nequit perfectissimus perfectione obsolutâ.

OBJECTIONES.

44. OBJ. 1° Voluntas Dei necessario exequitur id, quod divina sapientia judicat esse agendum : atqui divina sapientia id judicat esse agendum, quod est melius ; ergo.....

R. *C. Maj.* et *D. Min.* Divina sapientia id judicat esse agendum, quod est melius Deo, *C. Min.* Quod est melius

creaturis, *N. Min.* et *Cons.* Deus quidem quâ ens sapientissimum suique amantissimum necessario appetit id, quod sibi est melius, et hinc, quia Deo melius erat exercere libertatem, quam non exercere, Deus necessario eam exercuit. Ast si Deus necessario exequitur id, quod melius est creaturis, debuisset ipsis etiam, cum melius sit existere quam non existere, necessario existentiam conferre ac proin ne circa ipsarum quidem creationem liber fuisset.

Confundunt in his et similibus objectionibus *finem Dei operantis* cum *fine operis*. Verum quidem est, opificem ex sapientiâ teneri, ut sibi, non vero, ut etiam operi finem perfectissimum præstituat, nisi forte, ut fere evenit in rebus humanis, finis operis indivisibiliter connectatur cum fine operantis. Quod si locum non habeat, sufficit sapientiæ opificis, ut opus tantum habeat perfectionis, quantum sufficit illius fini. Sic v. g. si quis horologium eo tantum fine conficiat, ut sibi ad horarum indicationem deserviat, modo has exacte indicet, quis opificis sapientiam redarguat, eo quod opus perfectius non fecerit? Ergo a pari, cum Deus eo tantum fine creaverit, ut exerceret libertatem, hanc autem exerceret æque per creationem minus perfecti, quam perfectioris, quid est, cur teneretur ad creationem perfectioris?

Inst. 1° Deus non est liber ad malum morale; ergo neque ad minus bonum præ majori eligendum. Opus enim perfectius perfectiorem probat opificem.

R. *C. Ant.* et *N. Cons.* Disparitas enim est; malum nempe morale cum sanctitate Dei pugnat, ast eligere minus perfectum præ perfectiori, modo fini statuto congruat, nullam involvit imperfectionem in Deo, se solo

sufficientissimo. *Rat. addit. D.* Opus perfectius opificem perfectiorem probat, i. e. plus manifestat opificis præstantiam, *Conc.* Probat semper majorem in opifice peritiam, *Neg.* Nam certe quivis opifex semper nec agit, nec tenetur agere secundum omnem suam peritiam.

Inst. 2° Sed Deus necessario amat suas perfectiones; ergo et illud plus amat, quod eas perfectius repræsentat adeoque id etiam creat.

R. *D. Ant.* Deus necessario amat suas perfectiones *in se*, *C. Ant. In creaturis expressas, Subd. Consequenter* ad creationem seu supposità creatione, *C. Ant. Antecedenter* ad creationem, *N. Ant.* Alioquin Deus eas necessario creasset, adeoque liber in creando non fuisset.

OBJ. 2° Aut Deus non scivit, aut non potuit, aut non voluit mundum perfectissimum condere : atqui nihil horum dici potest ; ergo....

R. *C. Maj. N. Min.* Deus nec scit, nec potest, adeoque nec vult mundum perfectissimum condere, cum creatio mundi perfectissimi sit intrinsece impossibilis, siquidem de naturâ sit entis creati habere limites, et de naturâ entis habentis limites, ut possibile sit aliquid ipso perfectius.

OBJ. 3° Mundus hic est plene conformis ideæ divinæ : atqui hæc certe est perfectissima ; ergo et mundus est perfectissimus.

R. *D. Maj.* Mundus est plene conformis ideæ divinæ, i. e. est talis, qualis in ideâ divinâ repræsentatur, *C. Maj.*, i. e. est tam perfectus, quam perfecta est idea divina *in se* seu *subjective* spectata, *N. Maj.* et *D. Min.* Idea divina de

mundo est perfectissima *in se* seu *subjective* spectata, *C. Min.* Cum sit ipsa intelligentia divina, adeoque Deus ipse. Est perfectissima etiam *objective* spectata, quasi mundus, qui in eâ repræsentatur, seorsim et prout creabilis est consideratus, sit absolute perfectissimus, *N. Min.* Nam singula entia mundi, in se et prout creabilia sunt spectata, sunt plus minusque perfecta, quod adeo demonstrat differentia perfectionis inter animam belluinam et humanam; ast relate ad actum subjecti cognoscentis, quod omnes possibiles gradus intensionis, connexiones et relationes cujusque rei cum omnibus aliis possibilibus intuetur, adeoque stricte loquendo nonnisi unicam, sed adæquatam ideam habet, omnia entia tam hujus mundi, quam omnia alia possibilia nonnisi unicum sunt objectum, i. e. Deus ipse, ut perfectissime intelligibilis et a se cognitus, adeoque nec differentia in iis, ac proin nec varia perfectio obtinet (1).

45. PROP. II. MUNDUS HIC EST PERFECTISSIMUS PERFECTIONE RELATIVA.

Prob. Id dicitur perfectissimum perfectione relativâ, quod ad finem sibi præstitutum quam optime conspirat; ergo mundus hic, cum ejus finis sit gloria Dei extrinseca in determinato gradu, erit perfectissimus perfectione relativâ, si divinas perfectiones eo gradu manifestat, quo Deus vult: atqui mundus necessario perfectiones divinas eo gradu manifestat; ergo....

(1) Vide etiam *Ontol.* Part. II. Sect. 1. Object. Inst. 2. et 3. Pag. 226, 227 et seq. Cæterum hoc argumentum fere simile est huic; quod alicui, qui prospectum pulcherrimum et in ejus ambitu miserrimam casam præ oculis haberet, fieri posset. Ista casa est plene conformis ideæ tuæ: atqui idea tua complectitur pulcherrimum prospectum; ergo ista casa est pulcherrimus prospectus.

Prob. Min. Cum Deus ad finem eligit medium, necessario eligit aptissimum. Si enim id non faceret, vel *non posset* vel *non sciret,* sed *non vellet :* sed *non posse* repugnat omnipotentiæ ; *non scire* intelligentiæ, *non velle* sapientiæ et sanctitati ; ergo necessario eligit medium ad finem aptissimum : atqui Deus elegit hunc mundum ut medium ad manifestandas in determinato gradu suas perfectiones; ergo mundus in eo gradu eas aptissime manifestat, adeoque est perfectissimus perfectione relativâ.

Schol. Hæc demonstratio *a priori* est omnino invicta, ita quidem, ut licet singula entia pervestigare eorumque cum reliquis connexionem ad finem communem intimius cognoscere non valeamus, inconcussa tamen semper maneat propositionis veritas et argumentis ab experientiâ petitis nequidquam impugnetur.

OBJECTIONES.

46. OBJ. 1° Singula entia hujus mundi possent esse perfectiora : ergo et totus mundus posset esse perfectior.

R. *D. Ant.* Possent esse perfectiora perfectione *absolutâ*, si alium finem Deus præfixisset, *C. Ant.* Perfectione *relativâ*, seu stante hoc fine, *N. Ant.* Singula entia ut *media* spectari debent relate ad eum, ad quem destinata sunt, finem, qui est divinarum perfectionum *in tali præcise gradu* manifestatio ; sed sic considerata nequeunt esse nec perfectiora quam reipsa sunt, cum secus in *majori* gradu ; nec deteriora, cum secus *in minori* gradu divinas perfectiones manifestarent, adeoque ad finem hunc non essent aptissima

OBJ. 2° Peccata potius ad contemptum Dei vertunt, quam ad ejus gloriam; ergo non omnia in mundo tendunt ad gloriam Dei, adeoque mundus posset esse relative perfectior.

R. *D. Ant.* Peccata, si spectentur relate ad malitiam et intentionem hominis libertate suâ abutentis aut spectato fine proximo hominis, potius in contemptum Dei vertunt, *C. Ant.* Si spectentur, prout a Deo permittuntur, et prout sunt actus, cum reliquis mundi entibus ad communem finem, i. e. ad aliquam Dei perfectionem manifestandam, connexi, *N. Ant.* et *Cons.* (1) Omnia enim entia, atque adeo peccata hoc sensu intellecta, ad gloriam Dei manifestandam necessario dirigi vidimus tum in Scholio Capitis præcedentis, tum in probatione *a priori* modo expositâ. Idem etiam *a posteriori* intelligere possumus: 1° ex pluribus casibus, uti v. g. in exemplo Josephi Ægyptiaci, in cujus vitæ cursu scelera fratrum variæque calamitates, quas innocenter ille pertulit, ita consequebantur, ut ea a Deo gloriæ suæ causa permissa fuisse etiam nobis pateat; et 2° ex eo, quod Deus peccata remittendo misericordiam, eadem puniendo potestatem, justitiam etc. manifestet.

RECAPITULATIO.

47. Mundus iste creatus est; ergo omnia entia mundi sunt contingentia seu *ab alio* adeoque vel immediate vel mediate a causâ primâ producta et ab eâ maxime dependentia; unde existit in mundo *nexus dynamicus* seu causarum efficientium. Sed omnia entia mundi proxime ad

(1) Vide etiam infra in Theodicea, Sect. III. Cap. 2. Art. 5. ad object.

finem sibi specialem et per hunc necessario ad finem ultimum communem tendunt; ergo existit in mundo etiam *nexus teleologicus*, seu causarum finalium. Porro Deus, quà causa prima necessario exercens suam libertatem, sed tanquam terminum suæ actionis libere eligens creationem, necessario tamen seipsum seu gloriam suam extrinsecam constituit ut finem operis; ergo Deus est et causa prima simul et finis ultimus totius creationis, ac proin *nexus* entium *dynamicus* ab eo incipiens, cum *nexu teleologico* in eo conjungitur, *nexuque cosmico* inde orto *universum* hoc ordinatum *unum* ac vere κόσμος seu *mundus* efficitur (1).

Itaque ex rationis etiam lumine intelligitur divinum illud effatum Apoc. 1. 8. « *Ego sum* α et ω, *principium et finis.* » Et illud, quod altiori afflatu inspiratus docet Salomon Prov. 16, 4. « *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* »

(1) Atque hoc sensu unice ratio ad unitatem illam, quam tam absurde per pantheismum statuere satagunt, pervenire potest, quæ non minus exigentiæ intellectûs, quam fidei satisfaciat: quatenus, ut ait Dionys. Areopag.: *De divinis nominibus*, Cap. V. N° 10. παντῶν οὖν ἀρχὴ καὶ τελευτὴ τῶν ὄντων ὁ προών: omnium, quæ sunt, principium et finis est ille, qui (præ reliquis) *est*.

PARS SECUNDA.

PSYCHOLOGIA.

48. Quæstio, quæ in hac parte Metaphysices per Psychologiam rationalem seu transcendentalem resolvenda proponitur, est : *Quid est homo?* Hæc autem quæstio, quatenus ad eam omnes ab ipsâ naturâ impelli se sentiunt, respicit tum intimiorem naturam et essentiam animæ, tum ejus cum rebus extra se connexionem, seu homo relate ad animam suam necessario vi naturæ suæ impellitur ad cognoscendum, si fide ipsi datum non sit, viâ scientiæ, quid sit principium in homine cogitans et appetens in se, et quamnam cum rebus extra se habeat relationem. Unde suâpte naturâ in duas Sectiones tota Psychologia rationalis dividitur, quarum 1ma *de animâ in se et absolute spectatâ*; 2da *de animâ relative spectatâ* aget.

Ast cum omnia, quæ hic tractanda occurrunt, experientiam effugiant atque solâ ratione seu ratiocinio resolvenda sint : ratiocinium autem quodvis postulet vel principium aliquod rationis per se notum, vel factum aliquod, in quo fundetur, patet, Psychologiam rationalem ab experimentali seu a facto aliquo empirico, per aliquod ex præstabilitis in Logicâ criteriis certo, inchoandam esse. Id autem factum in libertate reponimus (1).

(1) Non hoc sensu, quasi libertas sit primum, quod in homine percipitur, vel quasi fundamentum et radix cæterarum hominis facultatum. Libertas enim potius complementum earum est, easque præsupponit et quasi ex iis componitur, et hinc uti ultimo loco, ita etiam primo poni potest pro ordine, quem quisque elegerit. Nos itaque analyticâ methodo usi libertatem tanquam factum primo stabilimus, et dein decomponendo ad singula quasi ejus constitutiva progredimur

SECTIO PRIMA

DE ANIMA IN SE ET ABSOLUTE SPECTATA.

49. Animadvertimus per experientiam, nos ita plerumque agere, ut possimus etiam non agere vel agere contrarium, atque per hanc agendi libertatem nos maxime a brutis distinguimus. Ex hac porro experientiâ ratiocinando facile deducitur, principium in homine liberum seu animam esse substantiam essentialiter non solum immaterialem seu omnis compositionis physicæ expertem, sed etiam spiritualem, atque adeo de se immortalem; unde dein æque facile concluditur ad ejus essentiam metaphysicam.

Quatuor itaque capitibus tota hæc Sectio absolvi potest, in quorum 1° *libertas*, in 2° *immaterialitas*, in 3° *spiritualitas*, in 4° *essentia metaphysica animæ* expendenda erit

CAPUT PRIMUM.

De libertate animæ humanæ.

50. Voluntas est *vis animæ, quâ se ipsa sponte suâ ad bonum appetendum, aut ad malum aversandum cum advertentiâ rationis determinare potest* (1).

Itaque ad omnem actum voluntatis necessario requiritur, ut anima cum *motivo*, cum *advertentiâ rationis*,

(1) Vide *Psych. Emp.* Part. II. Pag. 83.

et *suâ sponte* se determinet. *Motivum* (alliciens, non determinans) hic dicitur *bonum* pro volitione, *malum* pro nolitione, quatenus experientiâ teste bonum in genere *necessario* appetimus, malum in genere *necessario* aversamur, adeoque nihil velle possumus, quod non sub aliquo respectu (sensitivo vel rationali) bonum; nihil nolle, quod non sub aliquo respectu malum sit. *Advertentia rationis* vero in eo consistit, ut bonum, quà bonum, vel malum, quà malum cognoscat, ut adeo omnis actus voluntatis (non omnis appetitio) præsupponat actum intellectûs, juxta illud Philosophorum : *Ignoti nulla cupido ;* vel : *Nihil volitum, nisi præcognitum. Spontaneitas* autem excludit omnem concursum principii efficientis extrinseci ad determinationem volitionis vel nolitionis. Unde :

1° *Voluntas non potest cogi*, i. e. contra inclinationem propriam *a vi externâ* determinari, neque *a*) *quoad actus elicitos*, i. e. eos, qui immediate à voluntate procedunt ; uti volitiones vel nolitiones. Nam eatenus cogeretur in his actibus, quatenus eos eliceret contra suam propensionem adeoque nolens, sed volens et nolens sunt contraria ; ergo..... Neque *b*) *quoad actus imperatos* ; i. e. eos, qui mediante voluntatis imperio ab aliis animæ facultatibus v. g. a memoriâ, a vi motrice, ponuntur. Nam actus imperatus poni nequit sine actu elicito ; ergo cum in hoc cogi voluntas non possit, nec potest in illo. Potest tamen vis inferri alicui organo ordinarie voluntati subjecto ; sic cogi quis potest ad sedendum, cum vellet ambulare ; ast hic voluntas non cogitur.

2° *Voluntas potest tamen necessitari*, i. e. invincibiliter a propriâ inclinatione ad unum determinari ; sic necessi-

tamur ad amandum bonum in genere et ad malum in genere odio habendum.

51. His præmissis intelligitur, ad libertatem animæ non sufficere, ut voluntas *immunis* sit *ab omni coactione*, cum secus liberi essemus etiam in amando bonum in genere; sed necessario requiri, ut sit *immunis ab omni etiam necessitate;* atque hæc immunitas dicitur *libertas indifferentiæ*, quæ proin definiri potest : *Potentia animæ activa, qua habitis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere vel agere contrarium.*

Hæc autem libertas pro diversitate terminorum, quos anima libere potest eligere, distinguitur.

1° *In libertatem contradictionis*, i. e. eligendi alterutrum ex terminis contradictoriis, v. g. amorem vel non-amorem; *contrarietatis*, i. e. eligendi alterutrum ex terminis contrariis, v. g. amorem vel odium; *specificationis* i. e. eligendi unum ex terminis diversis, v, g. studium vel ambulationem

2° *In libertatem proximam vel remotam* (immediatam vel mediatam); prout expedita est immediate vel tantum mediate ad aliquid agendum. Sic flumen trajecturus habet libertatem *proximam* trajiciendi, si navis jam parata ad manum sit; *remotam* vero, si navis non adsit, sed possit haberi.

52. Hujusmodi libertatem indifferentiæ animæ humanæ inesse negarunt 1° antiqui fatalistæ (1), qui omnia lege

(1) Hi jam supra *Cosmol.* Sect. I., directe refutati sunt, et per propositionem hic positam indirecte, ast non minus valide urgentur. Obsoletum autem *fatum astrologicum*, quod post Assyriorum et Chaldæorum somnia juniores Platonici et Origenistæ commenti sunt, quasi nempe nexus

necessitatis regi docuere, et a quibus inter recentiores non absonat Spinoza (1) et Hobbesius (2); 2° plures recentiores, maxime ex Protestantibus, uti Clarkius (3), Lockius (4), Collinus (5) etc. qui, prout libertatem animæ definiunt, vix aliam, quam libertatem a coactione admittunt; demum 3° Leibnitzius ejusque asseclæ passim docentes, rationem sufficientem volitionum aut nolitionum repetendam esse a motivo extrinseco, i. e. a repræsentatione majoris vel minoris boni, ac proinde nos eligere semper id, quod est optimum; unde deducunt inter duo bona æqualia neutrum a nobis eligi posse, inter duo autem bona inæqualia necessario melius a nobis eligi; cum hac autem necessitate existere libertatem posse, eo quod hujusmodi necessitas sit tantum moralis. Contra quos omnes sit sequens

53. PROP. ANIMA HUMANA IN PLERISQUE SUIS ACTIBUS GAUDET VERA LIBERTATE INDIFFERENTIÆ.

Prob. 1° EX SENSU INTIMO. Ea libertas in homine est agnoscenda, quam testatur sensus intimus nobis inesse: atqui sensus intimus testatur nobis inesse libertatem

quidam necessarius adesset inter eventus terrestres humanasque actiones et diversum situm motumque astrorum, speciatim et directe refutare operæ pretium non est, eo magis, quod commentum hoc stabilità libertate humanà per se corruat.

(1) *Ethic.* P. 2. Prop. 48.

(2) *L. de lib. et necess.*

(3) *Dans la réponse à la 2e lettre d'un savant de Cambridge*; in quo responso aperte edicit, libertatem aliud non esse, quam spontaneitatem, quæ omnibus viventibus insit, et quæ in entibus rationalibus libertas dicatur.

(4) *Essais philos. sur l'entend. humain.* Tom. 2. Chap. 21. § 22 et seqq.

(5) *Recherche philosophique sur la liberté de l'homme.*

agendi vel non agendi, seu libertatem indifferentiæ; ergo....

Prob. Min.

a) Per sensum intimum mihi conscius sum, ita me, v. g. brachium movere, ut possim sistere, ita ambulare, ut possim non ambulare. sic quidem, ut a priori disponere ac prædicere valeam actus meos liberos; ergo per sensum intimum cognosco me esse liberum.

b) Nemo certe est, qui perpetrato scelere stimulos conscientiæ non sentiat ac se ipse non accuset: atqui hi stimuli aliunde oriri nequeunt, quam ex intimo libertatis sensu et persuasione certâ, consultius se agere potuisse. Quis enim se condemnat in iis, quæ vitare non potuit? Quis de rebus per somnum factis aut de motibus rationem prævenientibus se reum fatetur? Ergo....

c) Entia revera libera non possent vividiorem experiri sensum libertatis, quam nos experimur (1). Nam ens aliquod de libertate sua indifferentiæ seu de potentiâ agendi vel non agendi vel agendi contrarium certius fieri non posset, quam si 1) clarissime distingueret ea, quæ in se necessario, ab iis, quæ a se libere fiunt; si 2) datâ occasione volendi vel nolendi experiretur in se, quod non obstantibus quibuscunque motivis extrinsecis, pro libitu suo ad alterutrum determinare se possit; et demum 3)

(1) Hoc argumentum affert etiam d'Alembert: *Mélanges de litterature*, tom. IV. n° 7. *Des êtres véritablement libres n'auraient pas un sentiment plus vif de leur liberté, que celui que nous avons de la nôtre: nous devons donc croire que nous sommes libres.*

si electione aliquâ factâ, rebus prospere succedentibus de electione suâ sibi gratularetur eamque approbans similiter in posterum se acturum proponeret; in adversis contra se accusaret electionemque factam reprobaret et in posterum vitare statueret. Atqui nos clarissime distinguimus ea, quæ in potestate nostrâ non sunt, uti torqueri siti vel fame, ab iis, quæ ab arbitrio nostro pendent, uti v. g. etiam in siti, bibere vel non bibere. Sentimus, etiam maximis motivis propositis, si agimus, ita nos agere, ut possimus etiam non agere. Gratulamur nobis sæpe, sæpe fortassis etiam accusamus nos de electione factâ, et juxta hujus successum pro futuro proponimus. Ergo per sensum intimum certi reddimur, nos esse liberos et quidem libertate indifferentiæ.

d) Si libertatem mentis nostræ per sensum intimum non cognosceremus, ne ideam quidem libertatis indifferentiæ habere possemus. Omnes enim cognitiones acquirimus vel immediate per rationem vel mediate per sensus : atqui ratio solam ideam τοῦ *esse simpliciter* immediate percipit, uti infra videbimus (1); per sensus vero externos ideam libertatis acquirere est impossibile : hi enim non referunt nisi actum physicum externum, non vero naturam hujus actûs; ergo....

2° Ex divinis attributis (2). Ea libertas agnoscenda est, quâ negatâ tollitur Dei justitia et bonitas : atqui negatâ in homine libertate indifferentiæ tollitur

(1) Sect. 2. Cap. 1. Art. 2.

(2) Argumentum hoc est maxime contra Leibnitzianos, qui Deum ejusque attributa, ut religio docet, etiam philosophice assumunt.

a) *Justitia Dei*. Nam justitia Dei relativa consistit in eo, ut reddat hominibus secundum meritum vel demeritum: atqui sublatâ libertate indifferentiæ non datur locus nec merito nec demerito. Hâc enim libertate sublatâ ita agerent homines, ut non possent non agere: sed qui agit, ut non possit non agere, nec laudis nec vituperii, nec meriti nec demeriti dignus aut capax est; ergo sublatâ libertate indifferentiæ non est, ubi exerceatur Dei justitia neque in præmiis neque in pœnis decernendis; ergo....

b) *Bonitas Dei*. Nam bonitas certe exigit, ut nullâ hominibus imponat mandata per se impossibilia et nociva: atqui sublatâ libertate indifferentiæ mandata Dei essent impossibilia et nociva. Illa enim mandata sunt impossibilia et nociva, quorum transgressio ponitur, et quæ tamen ita violantur, ut omnino non violari non possint: atqui sublatâ libertate indifferentiæ, quotiescunque mandata Dei transgrederentur, homines ita essent affecti, ut non possent ea non transgredi, et tamen ob transgressionem, pœnis subjacerent; ergo mandata Dei essent impossibilia et nociva, adeoque tolleretur Dei bonitas; ergo....

3° Ex fine legum humanarum. Nam si in homine non datur vera a necessitate libertas, leges, præmia ac pœnæ, quibus omnis respublica continetur, finem *adæquatum* non consequuntur. Finis enim *adæquatus*, quem legislatores in constituendis legibus decernendisque præmiis ac pœnis sibi præstituunt, non solum est, ut homines ad actus bonos impellantur et a malis efficacius arceantur, sed etiam, ut propter actiones præteritas condigno præ-

mio aut pœnâ afficiantur : atqui hic finis sine libertate indifferentiæ obtineri nequit, cum illæ solum actiones ex sensu communi sint imputabiles adeoque præmio vel pœnâ dignæ, quæ pro arbitratu agentis poni vel non poni possint, quemadmodum patet ex actione amentis, cui ea non imputatur ; ergo....

4° Ex SENSU NATURÆ COMMUNI. Nam 1° omnes populi omni tempore existentes in libertate et quidem indifferentiæ agnoscendâ unanimiter consenserunt, uti probant simul et consultationes et deliberationes de rebus gerendis institui solitæ, et pacta inita, et differentia ab omnibus agnita inter bonas et malas actiones etc. : atqui hæc unanimis consensio provenire nequit, nisi ex sensu naturæ communi ut infallibili veritatis criterio; ergo.... Et ne dicant, hunc sensum ex ignorantiâ aut ex defectu attentionis provenire ; 2° omnes etiam veteres Philosophi in libertate asserendâ ita convenerunt, ut ipsi adeo fatalistæ, saltem plures, uti Epicurus (1) et plerique Stoici (2) libertatem fato eximerent ; alii vero, uti Cicero (3), ita eandem defenderent, ut cum modum, prævisionem Dei cum eâ conciliandi non invenirent, illam tollerent, ut hanc stabilirent; recentiores vero, qui ore negant, eandem totâ suâ agendi ratione stabiliunt. Namque certe hortantur et ipsi suos, uxorem, prolem, domesticos, ut honestatem et fidelitatem colant ; puniunt, si quid deliquerint· cavent,

(1) Qui, teste Lucretio, ut hominum libertatem defenderet, *clinamen* illud Atomorum confinxit.

(2) Id est, præter paucos, qui Cleanthem secuti sunt, cæteri voluntatem humanam fato exemerunt, cum Platonicis hac in re, ut refert Plutarchus, (*De placit. phil.* L. 1.) fere unanimes.

(3) Variis in locis in *L. L. de fato* et *de Divinat.*

ne quid ignominiæ vel damni sibi accersant (1), quæ omnia intimam libertatis convictionem præsupponunt ergo..... (2)

OBJECTIONES.

54. OBJ. 1° Ex sensu intimo non probatur libertas. Nam sensus intimus testatur tantum nos agere, sed non refert modum actionis seu libertatem ; ergo.....

R. *N. Ass.* et *Prob.* Nam si testetur sensus intimus nos inter agendum eligere et volitiones aliquas ita ponere, ut possimus etiam oppositas ponere, refert modum actionis nostræ adeoque libertatem ; omnis enim electio supponit deliberationem et libertatem ; atqui sensus intimus testatur nos sæpissime inter agendum eligere atque ita certas volitiones ponere, ut illas possimus omittere vel contrarias ponere ; cum sane solum eo teste noscamus, alio modo nos ferri in amorem bonorum particularium, alio in

(1) Pulchre hoc ipse exponit Voltaire, (Disc. en vers sur la liberté) dicens :

> Vois de la liberté cet ennemi mutin,
> Aveugle partisan d'un aveugle destin ;
> Entends comme il consulte, approuve, délibère ;
> Entends de quel reproche il couvre un adversaire ;
> Vois comme d'un rival il cherche à se venger,
> Comme il punit un fils et le veut corriger ;
> Il le croyait donc libre ? Oui, sans doute, et lui-même
> Dément à chaque pas son funeste système.
> Il mentait à son cœur, en voulant expliquer
> Ce dogme absurde à croire, absurde à pratiquer ;
> Il reconnaît en lui le sentiment qu'il brave :
> Il agit comme libre, et parle comme esclave.

(2) S. Thomas ex ipso intellectu humano vel intellectu finito quocunque libertatem indifferentiæ seu liberum arbitrium metaphysicâ conclusione deducit, *Cont. gent.* Lib. II. Cap. 48.—4° et 5°.

amorem boni in genere ; et ea ; quæ necessario in nobis fiunt, distinguamus ab iis, quæ a nobis fiunt libere.

Inst. 1° Sentire libertatem actûs, esset sentire facultatem non agendi : atqui dum agimus, non possumus sentire facultatem non agendi ; ergo.....

R. *C. Maj. N. Min.* Sentimus enim, talia esse motiva, quæ potentiam nostram ad actum determinant, ut ad eum invincibiliter non trahant, sicuti v. g. invincibiliter trahimur ad nolendam nostram infelicitatem. Uno verbo, talem sentimus facultatem agendi, non quidem in se, ut potentiam in nullo actu positam, sed quando est in actuali exercitio, qualis est, scilicet indifferentem, ancipitem quandoque et ad utrumlibet sui determinatricem.

Inst. 2° *Spinoza* (1). Sensus intimus non potest probare libertatem. Nam si lapidi cadenti communicaretur cognitio et conatus versus terram labendi, hic lapis putaret, se a seipso ad lapsum determinari adeoque libere cadere : atqui tamen in hoc judicio falleretur ; ergo et nos sensus intimus de libertate fallere potest. In hoc enim solo omnis humana libertas consistit, quod homines sui appetitûs sint conscii, et causarum, a quibus determinantur, ignari.

Omissis multis absurdis, quæ in hac hypothesi continentur, et quæ aliàs jam refutata sunt,

R. *N. Ant.* Ad prob. *D. Maj.* Lapis iste putaret, se libere cadere, si simul perciperet, se omittere pro libitu lapsum posse, *C. Maj.* Secus, *N. Maj.* et *C. Min. N. Cons.* In hoc enim vis sensûs intimi quoad libertatem consistit, quod sentiamus, non solum, nos ad bonum aliquod

(1) Epistol. pag. 584.

ferri, sed ita ferri, ut possimus etiam resistere et bonum illud non eligere. Unde lapis iste conveniret cum humanâ *appetitione*, quæ libera non est, sed non cum humanâ libertate; siquidem hujusmodi lapis, utut vellet, omittere lapsum non posset, nos autem, etsi non appetitum boni alicujus, tamen ejusdem electionem omittere posse sentiamus.

OBJ. 2° Omnes animæ operationes ad quatuor revocari possunt, nempe ad perceptiones, judicia, volitiones et actus illis consentaneos: atqui in nullâ harum libertas sita esse concipi potest. Objecta enim necessario percipimus, prout sese menti offerunt; sed prout ea percipimus, de iis judicamus; prout judicamus, volumus; prout volumus agimus. Ergo nulla concipitur libertas in totâ serie operationum nostrarum.

R. *Tr. Maj. N. Min.* Nam 1) Etsi objecta, prout sese offerunt, percipiamus, possumus tamen etiam ad libitum ad ea attendere, vel alio divertere attentionem, adeoque datur libertas in perceptionibus, ac proin in judiciis; sed datur 2) etiam libertas in volitionibus; licet enim videamus meliora perceptionis ope, licetque ea probemus per judicium, nihilominus sæpe per voluntatem deteriora sequimur (1), et contra id agimus, quod agendum esse fatemur; ergo.....

Inst. Leibnitziani. 1° Saltem voluntas libera non est *a necessitate*, si a principio efficiente externo ad actum determinari debet: atqui ita est. Voluntas enim ad volendum vel nolendum indifferens est; ergo.....

R. *C. Maj. N. Min.* Ad prob. *D. Ant.* Voluntas est

(1) Uti jam Ovidius canit: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Metamorph. Lib. 7. vers. 19 et 20.

indifferens *indifferentiâ activâ et electionis*, *C. Ant. Indifferentiâ passivâ*, *N. Ant.* et *Cons. Indifferens* scilicet in genere dicitur, quod nondum est determinatum ad unum. Ast indifferentia duplex est; *passiva*, vi cujus quidpiam ex se inhabile est ad mutandum propriâ vi statum suum; sic, v. g. materia indifferens est ad motum vel ad quietem, cera ad hanc vel illam formam induendam etc.; et *activa*, si quid seipsum determinare statumque mutare propriâ vi potest; sic anima nostra in actu primo proximo posita, nondum est determinata ad unum, sed teste sensu intimo seipsam determinat vi propriâ, quod libertatem non tollit, sed stabilit.

Inst. 2° Atqui anima non potest se determinare, nisi prius moveatur ab alio, i. e. a bono, ut motivo; sine quo agere nihil potest; ergo libera non est ab omni necessitate.

R. *D. Min. Subspt.* Nisi prius moveatur a bono, i. e. nisi præcedat aliqua cognitio objecti et boni alicujus in objecto, quo alliciatur appetitus, *C. Min. Subspt.*, i. e. nisi volitio ipsa ab illo bono determinetur. *N. Min. Subspt.* Itaque indiget quidem anima ad determinationem bono aliquo ab intellectu percepto tanquam necessario prærequisito, *sine quo non: Ignoti* enim *nulla cupido;* et hoc quidem bono cognito necessario etiam sequitur aliqua ejus appetitio ob innatam ad bonum in genere inclinationem; verum hanc appetitionem voluntas suspendere, coercere, imo etiam in aversionem mutare potest. Cum enim illud bonum, quod in præsenti statu animæ repræsentari potest, sit finitum, vel si infinitum, nonnisi obscure et inadæquate cognitum ejusque consecutio cum difficultate

conjuncta; semper repræsentatur mixtum cum aliquo reali vel apparenti malo; ergo ad illud anima non necessario trahitur, sed potest attendere vel ad rationem boni, illudque eligere, vel ad rationem mali, illudque aversari.

Inst. 3° Quidquid dicatur, semper ratio boni ultimato percepta determinat volitionem. Nam præter hujus boni repræsentationem nulla ratio sufficiens volitionis cogitari potest: atqui repugnat volitio sine ratione sufficiente; ergo.....

R. *N. Ass.* Ad prob. *N. Maj.* Nam ipsum *exercitium spontaneitatis* est ratio sufficiens volitionis aut nolitionis. Quod si vero porro quæratur, quæ sit ratio sufficiens *hujus exercitii*, alia dari nequit nec esse, quam ipsa natura libertatis, in eo consistens, ut voluntas, habitis omnibus ad agendum requisitis, agere aut non agere aut contrarium agere ex æquo possit, ut adeo sit vis suiipsius determinatrix, non quidem ex parte objecti absque ullo motivo, sed absque *determinante* et *invincibili.* Atque hanc nobis libertatem inesse evincunt omnia argumenta supra allata.

Inst. 4° Ergo saltem semper requiritur aliquod motivum. Unde sic: Ille non est liber a necessitate, qui inter duo æqualia eligere nequit, et inter duo inæqualia necessario assumit, quod est melius: atqui, prout ex concessis sequitur, homo 1) inter duo æqualia eligere nequit; inter æqualia enim nulla est ratio vel motivum, unum præ alio eligendi, et 2) inter duo inæqualia necessario eligit, quod est melius; cum beatitudinis sit necessario amans, melius autem plus beet, quam minus bonum; ergo.....

R. *D. Ant.* Semper requiritur motivum *alliciens* ut necessarium objectum appetitûs, *C. Ant.* Ut motivum *determinans et ineluctabile*, *N. Ant.*

Deinde *C. Maj.* et *N. Min. quoad primum memb.* Nam in hypothesi æqualitatis objectorum ipsa pro ratione voluntas est, ejusque spontaneitas, seu facultas, scipsam per activitatem intrinsecam ad unam actionem præ aliis per eandem vim possibilibus determinandi. Voluntas enim teste sensu intimo non est quasi instrumentum mere passivum, quod inter vires æquales necessario stat in æquilibrio, quin illud valeat abrumpere, sed vi agendi intrinsecâ pollet, ex duobus æqualibus, eâ solum de causâ, quod sibi libeat eam vim exercere utrumvis eligendi.

Demum *D. Min. quoad secundum memb.* Voluntas inter duo inæqualia necessario eligit, quod est melius sub *omni respectu*, *C. Ant.* Quod est melius sub *aliquo tantum respectu*, *N. Ant.* Nam eo ipso, quod objectum aliquod non sit melius sub omni respectu, intellectus pro suâ in cognoscendo amplitudine potest duo illa bona sibi repræsentare ut duo meliora sub diversis respectibus considerata; voluntas autem inter duo illa meliora sese determinat ipsa ad alterutrum, prout vult, vi spontaneitatis, sed non determinatur etiam a repræsentatione majoris boni. Nempe in præsenti statu omne honum sub diversis respectibus est vel majus alio bono vel minus, et plerumque quidem, quod melius est secundum rationalem, non est melius secundum sensitivum appetitum; et si quid secundum utrumque appetitum sit bonum, melius etiam animæ videri potest exercitium suæ libertatis;

ergo anima, licet necessario suæ beatitudinis amans, remanet semper libera in electione quorumlibet objectorum: libera, inquam, seu potens eligere hoc vel illud, vel etiam utrumque respuere. Unde *N. Cons* (1).

Inst. 5. Intellectus, quo objecta sub diverso respectu consideramus, est potentia necessaria: atqui voluntas necessario amplectitur id, quod intellectus ultimato melius judicat; ergo et voluntas necessario se determinat.

R. *C. Maj.* Cum reapse intellectus sit potentia, quæ habitis omnibus ad agendum requisitis actionem omittere, i. e. objectum rite applicatum non possit non percipere. Sed *D. Min.* Voluntas necessario amplectitur id, quod intellectus speculative melius judicat. *N. Min.* Quoties enim non accidit, ut videamus meliora probemusque, deteriora sequamur. Quod intellectus *practice* judicat melius, *Subd. Min.* Et judicium hoc practicum supponit jam electionem voluntatis, ac proin eam liberam relinquit, *C. Min.* Non supponit, *N. Min.* Judicium enim practicum est illud, quod pensatis omnibus definitive pronuntiat objectum esse actu eligendum, unde determinationem voluntatis non præcedit, sed concomitatur vel subsequitur; paucis: judicium practicum est ipsa libera determinatio voluntatis ad objectum per intellectum perceptum amplectendum, quæ certe determinatio electionem voluntatis præsupponit.

(1) Fatendum quidem est, nos generatim et practice, majus bonum præ minori eligere, et si rationabiliter seu juxta dictamen rationis semper ageremus, semper etiam, quod melius est quoad nos, seu quod nos facilius ad finem nostrum ducit, eligeremus: ast ex hoc non sequitur, nos etiam, dum melius eligimus, necessario et ita illud eligere, ut non possimus minus bonum eligere, vel nos necessario dictamen rationis sequi. Experientia utique contrarium probat.

OBJ. 3° Amor beatorum in cœlo bonum infinitum intuitive cognoscentium, etsi actus sit necessarius, est tamen laude dignus ac moraliter honestus; ergo sine libertate a necessitate dantur actus moraliter honesti et laude digni.

R. *D. Ant.* Amor beatorum in cœlo est honestus et laude dignus *ratione objecti*, *C. Ant. Ratione meriti*, *N. Ant.* Laude dignus est ratione objecti, i. e. Dei, quatenus objectum hoc est maxime congruum menti humanæ veram felicitatem naturaliter appetenti, uti et arbor fructus sibi naturales producens ratione objecti laude digna est; ergo laude dignus est, quatenus perfectus et quidem perfectior est, quam amor quicunque in hac vitâ exercitus. Ast non est formaliter honestus aut laude dignus *ratione meriti*; cum enim liber non sit, etsi quam maxime voluntarius, nequit ad laudem vel ad præmium imputari, neque Sancti per illum amplius quidquam merentur.

Generatim hic adnotantum est, *operari libere* non esse semper et in omnibus melius, quam *operari voluntarie et necessario.* Regula enim perfectionis postulat, ut objectum pro suâ dignitate ametur; quare si objectum sit bonum summum, purissimum et summe necessarium, summâ etiam necessitate amari debet; si contra sit minus bonum, non purum nec necessarium, illius amor in dominio diligentis est, ac proin etiam omitti potest. Ita Deus seipsum necessario, alia extra se libere amat, et tamen et præcise propterea actus illius est semper in se ac sub omni ratione perfectissimus; quia se ceu bonum summum necessario; finita vero, utpote relate ad

Deum indifferentia, indifferenter, i. e. libertate indifferentiæ amat. Unde proportione habitâ idem etiam de voluntate creatâ dicendum est; nempe actus ejus esse laude dignos vel ratione objecti et naturali in illud tendentiâ, vel ratione libertatis, objectum moraliter melius seu perfectius præ minus bono eligentis.

NB. Objectiones ex præscientiâ Dei contra libertatem humanam fieri solitæ alibi expendentur.

55. Corol. Ex dictis de libertate patet, animam humanam liberam non esse neque circa bonum summum perfecte cognitum amandum, neque circa bonum finitum *sub respectu boni* appetendum, vel malum finitum *sub respectu mali* aversandum; sed liberam esse ab omni necessitate tum circa summum bonum imperfecte cognitum, tum circa bonum quodcunque finitum, quod eo ipso, quod sit finitum, semper aliquid mali, ad quod attendi potest, admixtum habet adeoque animam non necessitat. Bona autem quæcunque objectum voluntatis adeoque libertatis esse non possunt, nisi cognoscantur; et quidem cum bona sint alia sensibilia, alia insensibilia, nisi cognoscantur facultate sibi correspondente, i. e. sensibus vel ratione; unde libertas necessario præsupponit facultatem cognoscendi; ex hac autem facile deducitur immaterialitas et spiritualitas animæ, uti ostendet

CAPUT II.

De immaterialitate animæ humanæ.

56. Erant tum olim, tum modernis etiam temporibus Philosophi, qui negarent, animam esse immaterialem et

simplicem. *Epicurus* certe existimabat mentem humanam esse subtilissimum aliquod corpus pernicissimo motu agitatum, v. g. aerem vel ignem vel purioris sanguinis guttam vel aliud quid ex quatuor elementis sublimi quodam modo compositum. *Aristoteles* crassiora existimans quatuor vulgaria elementa, quam ut ex iis conflari potuerit anima humana, finxit quintum aliquid quatuor elementis longe subtilius, quod idcirco vocavit *quintam essentiam* seu materiæ quasi complementum et perfectionem (ἐντελέχειαν) (1). *Spinoza* animam non quidem corpus dixit, sed corporis modificationem, duplex attributum corpori humano attribuens, cogitationem nempe et extensionem. *Lockius* (2) animam quidem credit esse immaterialem, sed id solâ revelatione sciri posse contendit; materiæ enim saltem divinitus tribui posse cogitationem. *Helvetius* (3) omnia veterum recentiorumque materialistarum portenta recoquit. Idem fere sentiunt *de la Mettrie* asserens, cogitationem esse solum modificationem medullæ cerebralis (4), et *Hobbesius*, cogitationem et sensationes quascunque repetens ab actione,

(1) Vide hanc Aristotelis aliorumque antiquorum philosophorum de mentis humanæ naturâ sententiam apud Ciceronem : *Tuscul. Quæst.* Lib. I. No 9. 10. 11. Edit. 2a: Jos. Vict. Le Clerc. Paris: 1826.— Quid vero Aristoteles per ἐντελέχειαν proprie intellexerit, cum ipse vocem hanc nullibi definierit, adhuc hodiedum inter eruditos criticos magna lis est. Cicero eam definit *quamdam continuatam motionem et perennem.* — Quidquid hac de re sit, cum Aristoteles plura habeat, quibus immaterialitatem et vero spiritualitatem animæ humanæ adstruere videatur; alia quædam autem, quæ in dubio relinquant mentem, quid proprie de naturâ animæ humanæ senserit : liberum etiam cuique erit, eum materialistis annumerare vel a materialismo ipsum excusare.

(2) *Essai sur l'entendement humain.* Lib. 4. Cap. 3. §. 6.

(3) *De l'esprit.*

(4) Huc etiam referri meretur, quod Voltarius : *Lettres philosoph.* asserere non erubuit : *Je pense et je suis corps, je n'en sais pas davantage.*

quam objecta externa imprimunt, et reactione subtilissimarum partium corporis, uti v. g. cordis (1).

Hi omnes communi nomine vocantur *materialistæ*, quia nullas in hoc mundo, nisi materiales substantias admittunt, ut ita etiam animam humanam corpoream, in partes dissolubilem atque adeo cum corpore interituram esse concludant. Hinc materialistæ, uti nos, definiunt

MATERIAM *substantiam compositam et inertem*;

SPIRITUM vero *substantiam ab intrinseco activam intelligendi ac volendi facultate præditam* (2). Unde sic :

57. Anima humana est libera ab omni necessitate : atqui talis libertas concipi nequit, nisi in substantiâ activâ intelligendi ac volendi facultate præditâ (uti ex Capite præcedenti patet); ergo anima humana est substantia intelligendi ac volendi facultate prædita : atqui quod intelligit ac vult, est essentialiter immateriale seu simplex; ergo anima humana est substantia essentialiter immaterialis. Itaque duo hic probanda : 1) animam esse substan-

(1) Quod si lubeat introspicere Ephemerides Lutetiæ Parisiorum edi cœptas anno 1837. «*Journal des applications de la physiologie animale à la physiologie sociale, par l'observation exacte*» invenies nostris etiam temporibus materialismi non solum consectaria hinc inde proponi, sed materialismum stricte dictum systematice tractari. Nam et intellectuales mentis facultates omnes, imo etiam morales et sociales hominis institutiones in diversis cerebri partibus constituunt, illasque omnes ad activitatem cerebri, quæ effectuum et materialium et immaterialium productrix sit, revocant auctores illarum Ephemeridum, quorum præcipui numerantur Place, Bérigny, Florens, uterque Broussais, pater et filius aliique.

(2) Quod si quis hanc spiritûs definitionem a priori animæ humanæ applicari nollet, admittet tamen, animam esse id in nobis, quod cogitat, judicat, vult, etc. Id vero in præsenti sufficit; ex illis enim operationibus demonstrabitur, animam esse ab intrinseco activam et ab omni materiâ discretam.

tiam, et quidem 2) substantiam essentialiter immaterialem. Quare sit:

58. PROP. I. ANIMA HUMANA EST SUBSTANTIA.

Prob. 1° Substantia est ens per se subsistens et modificationum capax: atqui anima humana est ens per se subsistens et modificationum capax; ergo est substantia.

Prob. Min. Anima tum eo ipso, quod sit libera, tum teste sensu intimo potest hanc vel illam cogitationem aut volitionem habere vel non habere vel habere contrariam; ergo est modificationum capax: atqui modificationes seu accidentia extra substantiam esse non possunt (1); ergo id, in quo sunt illæ cogitationes et volitiones, seu anima humana est substantia. Et vero

2° Substantia est subjectum perdurabile accidentium, Unde sic. Si anima humana non est subjectum *perdurabile* accidentium sensationum cogitationum et volitionum, seu si sensationes cogitationes et volitiones nostræ non sunt semper *in eodem principio* (2) sentiente, cogitante

(1) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. Art. 1. Pag. 285.

(2) Hoc argumentum est etiam contra eos, qui triplex diversum subjectum sive tria diversa operationum principia in homine agnoscere voluerunt, et cum antiquioribus distinxerunt ψυχὴν, animam, πνεῦμα, spiritum, et νοῦν, mentem. Tria enim hæc non esse, nisi diversas ejusdem subjecti facultates, probat diversarum operationum, quæ fiunt in homine, conjunctio in unam conscientiam earumque reminiscentia seu recognitio. Nec majus fundamentum videtur habere hypothesis, quà anima tenuissimo quodam æthere perpetuo circumdata esse exhibetur, quem ætherem seu tenuissimum corpusculum Græci εἴδωλον, Latini *vehiculum* animæ vocarunt. Ad absurdum certe mysticismum hæc doctrina ducere potest et reapse jam deducit, ut patet sive ex opere D. Kerner: *Die Seherinn von Prevorst*, sive ex recentioribus operibus gallicis, quæ tractant de magnetismo animali, et in quibus mediante illo æthere animæ humanæ cum spiritibus cœlestibus commercium exhibetur ut ei connaturale et ab humanâ voluntate dependens.

aut volente, fieri non posset, ut ex sensatione cogitatione vel volitione aliquâ præsenti conscii essemus de simili olim habitâ : atqui sensu intimo constat, nos sæpissime occasione unius sensationis cogitationis vel volitionis in mentem revocare similem olim habitam, atque hanc sæpe etiam nobis invitis in nobis excitari; ergo anima est subjectum perdurabile accidentium ; adeoque substantia. Demum

3° Si anima non sit substantia, erit juxta Spinozam accidens seu modificatio corporis : atqui non est modificatio corporis. Nam esset modificatio *vel* constans *vel* mutabilis : atqui anima non est

a) *Modificatio corporis constans*, seu constanter eadem. Nam factâ mutatione in modificatione rei corporeæ hæc modificatio non potest manere eadem. Sic figura rotunda vel quadrata non potest manere eadem, si vel minimum mutetur : atqui sensu intimo constat, animam varie mutari, ergo non potest esse modificatio corporis constans. Sed neque potest esse

b) *Modificatio mutabilis*. Nam modificatio mutabilis ea est, cui abscedenti alia succedit a priori distincta ; ergo hæc prioris vel priorum conscia esse nequit ; atqui sensu intimo nobis constat, animam nostram præcedentium suarum modificationum consciam esse ; ergo ipsa non est modificatio mutabilis..... ergo nullatenus est modificatio (1).

59. OBJ. Anima iisdem mutationibus subjacet, quibus ipsum corpus : ægrotat enim, puerascit et senescit etc.

(1) Confer. Bergier ; *Dictionn. de Théolog.* Art. *Spinosisme.*

cum corpore; ergo anima non est substantia a corpore distincta, sed vel corpus vel corporis modificatio.

R. *D. Ant.* Anima iisdem mutationibus semper et eodem modo subjacet, *N. Ant.*, cum certe abscisso brachio vel pede corpus fit minus, quin anima minuatur vel mutiletur. Anima mutationibus corporis afficitur, *C. Ant.* et *N. Cons.* Fit nempe vi unionis animæ cum corpore a Deo statutæ, ut occasione variarum corporis modificationum etiam anima varias experiatur affectiones, ut per eas suiipsius bono sciat consulere. Non itaque anima, sed corpus solum, animæ instrumentum, ægrotare, puerascere vel senescere dici potest; puer enim gravis et constans esset, si ipsi experientia et indurata membra viri, et senex, ut juvenis, audiret et videret, si ipsi oculi et nervi juvenis darentur.

Inst. Ex variâ organorum compositione, imo a qualitate cibi potûsque, a climate etc. dependent facultates animæ ipsique mores hominum : atqui hæc probant invicte animam esse corpoream ; ergo.....

R. *D. Maj.* Dependent sub aliquo respectu, *C. Maj.* Sub omni respectu, *N. Maj.* Quid enim, si vel opifex ab instrumentis, quibus utitur, in exercitio suæ artis dependet, anima a corpore, quocum arctius conjungitur, quam artifex cum instrumentis, non dependeat? Itaque concedimus, pro variâ organorum perfectione et evolutione etiam varias esse facultates animæ liberiusque vel minus liberum exercitium ejus activitatis ; pariterque, a constitutione corporis et temperamento physico multum dependere characterem, ut pro vario temperamento homo sit vel ad voluptates vel ad iram vel ad melancholiam etc.

magis minusve propensus; ast hæc omnia explicari possunt ex unione animæ cum corpore, cum aliunde probatum sit animam esse substantiam, nec esse posse corporis accidens.

60. PROP. II. ANIMA HUMANA EST SUBSTANTIA ESSENTIALITER IMMATERIALIS SEU SIMPLEX.

Prob. 1° Anima humana ex capite præcedenti est substantia cognoscendi et volendi facultate prædita : atqui quod cognoscit et vult, est essentialiter immateriale seu omnis compositionis physicæ expers; ergo.... Et vero

Prob. Min. Si anima esset composita ex partibus realiter distinctis, vel una pars vellet, altera cognosceret, vel quævis pars et vellet et cognosceret : atqui neutrum dici potest. *Non primum.* Nam *a*) pars, quæ vult, debet necessario etiam cognoscere; nihil enim volitum, nisi præcognitum; et *b*) si una pars, v. g. *A* tantum vellet, altera, v. g. *B* tantum cognosceret, *A* solarum volitionum, *B* solarum cognitionum sibi conscia esset : atqui tamen teste sensu intimo principium in nobis operans utrarumque, et volitionum et cognitionum, sibi conscium est, cum cognitiones a volitionibus discernat, discernere autem sine utrarumque conscientiâ non possit; ergo.... *Non secundum.* Si enim quævis pars et vult et cognoscit, jam *totidem* erunt animæ, atque adeo non compositum seu materia, sed simplex cognoscendi et volendi facultate præditum est; ergo.... (1)

(1) Idem argumentum fieri potest ex variis sensationibus, quas anima teste sensu intimo simul habet, sibi mutuo comparat, unam alteri præfert etc. Quod argumentum tanti ponderis visum est ipsi Bayle : *Op. tom. I. p.* 110, ut asserat : *On peut dire que cette preuve est une démonstration aussi as-*

Prob. 2° Anima humana est essentialiter capax cogitandi : atqui materiæ essentialiter repugnat cogitare ; ergo anima est essentialiter immaterialis seu simplex.

Probatur Minor.

A. Materia est essentialiter composita : atqui composito essentialiter repugnat cogitare i. e. conceptus, judicia et ratiocinia formare ; ergo materiæ essentialiter repugnat cogitare. Major patet et admittitur ab ipsis materialistis.

Prob. Min. per partes, et quidem

a) *Composito essentialiter repugnat sive idea sive conceptus,* seu *notio tam objecti simplicis, quam compositi.* Nam sit materia composita v. g. ex tribus partibus. *a. b, c.* huic jam repugnat

1° *Idea, seu notio objecti simplicis,* v. g. perceptio unitatis, veri vel pulchri simpliciter, nexûs inter prædicatum et subjectum. Nam idea hæc esset vel *tota in singulis partibus,* et tum non una, sed tres essent ideæ, nec compositum seu materia, sed tantum partes simplices cogitarent seu ideas haberent : vel esset *in unâ ex his partibus,* et tum materia esset partim activa, partim non activa seu vis cogitandi esset v. g. in *a,* non vero in *b* et *c* et hinc non materia cogitaret, sed tantum illa pars materiæ : vel demum idea esset *divisa in singulis partibus,* et tum idea unitatis, veri vel nexûs *esset simplex,* quia dividi non potest. Quis enim unquam cogitare sibi potest dimidium vel quartam partem veri vel nexûs inter prædicatum et subjectum ? Et simul *non esset simplex,* quia reapse exis-

surée que celle des géomètres, et si tout le monde n'en sent pas l'évidence, c'est parce que l'on n'a pu ou que l'on n'a point voulu s'élever au-delà d'une imagination grossière

teret divisa in diversis partibus, quod aperte repugnat. Ergo composito adeoque materiæ repugnat idea seu notio objecti simplicis. Sed eidem æque repugnat

2° *Conceptus seu cognitio objecti compositi*, v. g. domûs, hominis etc. Nam rursus vel *singulæ partes objectum totum* conciperent, et tum totidem sunt conceptus, et quidem non materiæ, sed partibus proprii; vel *una tantum pars* conciperet objectum, et tum rursus pars et non materia conciperet; vel demum *quævis pars materiæ unam objecti compositi partem*, v. g. hæc fenestram, illa portam etc. conciperet, et tum cogitarentur singulæ quidem partes objecti, sed totum objectum non conciperetur : nam sicuti ad objectum compositum præter partes necessario requiritur earundem conjunctio in unum, ita etiam ad conceptum objecti compositi eadem conjunctio in unum requiritur : atqui hæc conjunctio in unum intelligi nequit, nisi ab uno eodemque ente omnes partes adeoque totum objectum concipiatur ; ergo repugnat composito et hinc materiæ etiam conceptus objecti compositi ; ergo omnis notio.

b) *Composito essentialiter repugnat judicium et ratiocinium.* Nam judicare et ratiocinari est comparare prædicatum cum subjecto sive immediate sive mediante tertiâ ideâ : atqui hujusmodi comparationes fieri non possunt a principio composito. Ut enim fiant hæ comparationes, duplex vel triplex idea debet reperiri in eodem subjecto : atqui si principium judicans vel ratiocinans est compositum, jam non idem subjectum habet duplicem vel triplicem illam ideam. Vel enim duplex aut triplex illa idea in unâquâque principii judicantis parte reperiretur, vel

una ideâ in unâ, alia in aliâ parte. Si *primum* : tum tot dantur judicia vel ratiocinia, quot dantur partes principii judicantis vel ratiocinantis. *Si secundum* : tum nullum fieri posset judicium vel ratiocinium; siquidem nulla pars esset, quæ ideas vel inter se, vel cum tertiâ comparare posset. Omnis enim comparatio supponit aliquam notitiam eorum, quæ comparantur (1). Ergo composito essentialiter repugnat judicium vel ratiocinium; sed ex probatione præcedenti eidem repugnat etiam omnis notio; ergo composito adeoque materiæ essentialiter repugnat cogitare.

B. Si materia cogitat, cogitandi facultatem, assentientibus etiam materialistis habet vel *ex naturâ suâ*, vel ex *configuratione suâ*, vel *ex suo motu*; nihil enim aliud in materiâ conceptibile est: atqui materia facultatem cogitandi non habet

a) *Ex suâ naturâ*, seu præcise, ut est materia. Nam si materia, quatenus est materia, cogitaret, cogitaret omne id, quod est materia (marmor, paries, lutum etc.), quod adeo est absurdum et communi sensui oppositum,

(1) Eodem modo ex facultate comparandi immaterialitatem animæ invicte deducit D. Laromiguière : *Leçons de philosophie*, dicens : *Une substance ne peut comparer qu'elle n'ait deux sentiments distincts ou deux idées à la fois. Si la substance est étendue et composée de parties, ne fût-ce que de deux, où placerez-vous les deux idées? Seront-elles toutes deux dans chaque partie, ou l'une dans une partie et l'autre dans l'autre? Choisissez, il n'y a pas de milieu. Si les deux idées sont séparées, la comparaison est impossible; si elles sont réunies dans chaque partie, il y a deux comparaisons à la fois, et par conséquent deux substances qui comparent, deux ames, deux* MOI, *mille, si vous supposez l'ame composée de mille parties. On ne peut donc regarder l'ame composée et matérielle, sans lui ôter la faculté de comparer ou d'admettre dans l'homme pluralité de* MOI, *pluralité de personnes. Or, l'ame compare, et il n'y a dans l'homme ni pluralité de* MOI, *ni pluralité de personnes; donc l'ame n'est ni composée ni matérielle.*

ut id nullus adhuc materialista asserere ausus sit; ergo materia non cogitat ex naturâ suâ; sed neque

b) *Ex suâ configuratione.* Nam figura seu configuratio materiæ nihil dicit præter extensionem majorem minoremve certo quodam modo terminatam, cui nomen trianguli, quadrati etc. tribuimus : atqui evidenter nihil horum est cogitatio subjective spectata. Nam certe cogitatio conceptibilis non est, ut aliquid triangulare, quadratum, aut quomodocumque figuratum, sed ex conceptu suo omnes possibiles figuras necessario excludit. Imo nos conceptus trianguli et quadrati simul habemus; ergo si principium in nobis cogitans sit materiale, cogitans per configurationem suam, una eademque materia esset simul triangularis et simul quadrata. Demum multa percipimus seu cogitamus, quæ nullam figuram habent. Ergo materia non cogitat ex suâ configuratione; sed neque

c) *Ex suo motu.* Si enim materia cogitaret vi motûs sui, cogitaret vel *vi motûs cujuscumque*, vel *vi motûs talis* : atqui neutrum dici potest; ergo.... Non cogitat *vi motûs cujuscumque*; secus cogitaret quælibet materia, simul ac in motu posita esset; cogitaret motum scamnum, motus lapis etc., quod vel ipsis materialistis absurdum est. *Non vi motûs talis*, motus enim a motu differt vel celeritate vel directione vel combinatione : atque nihil est in quovis horum, quod vel minimam nobis ansam præbeat suspicandi, inde oriri cogitationem. Secus enim lapis v. g. prout majore vel minori vi, ad orientem vel occidentem, motu simplici vel composito, motu interno vel externo moveatur, cogitaret vel non cogitaret, quod sane non minus absurdum est; ergo materia facultatem cogitandi ex

nullo suo attributo essentiali habet; adeoque est essentialiter incapax cogitandi (1).

OBJECTIONES.

61. OBJ. 1° Ut certo pronuntiaremus, materiam esse cogitandi incapacem, necesse foret, ut omnes proprietates materiæ cognosceremus : atqui omnes non noscimus ; ergo....

R. *N. Maj*. Nam certo pronuntiamus, triangulum non esse quadratum, etsi neutrius omnes proprietates noscamus. Nempe, quamvis non omnes rei alicujus proprietates noscamus, id tamen certo scimus, nullam rem in se habere posse proprietates repugnantes, seu se mutuo excludentes ; ergo cum novimus alicui rei certam aliquam proprietatem convenire, eo ipso novimus, huic oppositam ei inesse non posse : atqui certo novimus omnem

(1) Melius forte fuisset, non tot argumenta congerere ad refutandum materialismum, et materialistis simpliciter obtrudere *argumentum ad hominem*, quale ipsis obtrudit auctor operis : *Les Helviennes*, tom. II. pag. 271 et seqq. dicens : *Vain sage, je t'en crois sur ta parole. Oui, il n'est rien en toi qui mérite plus mon admiration et mes respects que la vile matière. Tu raisonnes comme elle rend ses sons, lorsque le vent l'agite. Le même mécanisme dirige ta plume et la main de l'automate. Machine comme lui, tu n'as pas plus de droit que lui à mes hommages. Comme la brute, esclave du mouvement et du destin, tu n'as rien qui élève ton essence audessus de la sienne..... Voltaire, Helvétius, Lucrèce, La Mettrie, Fréret, Diderot, non, vous n'avez ni ame ni esprit ; toute mon erreur était de vous combattre, comme si la raison avait eu chez vous quelque empire.... Mais quoi ! vain sophiste, ton orgueil se révolte et s'indigne. Ton humiliation est donc dans ta doctrine. Tes disciples ne peuvent que t'offenser en s'en tenant à tes leçons. Tes dogmes les plus chers deviennent ton outrage, si tu viens à bout de m'en convaincre. Sois donc du moins d'accord avec toimême. Ou ne m'annonce plus que l'esprit de l'homme n'est qu'une chimère et un fantôme, ou laisse-moi te mépriser et te regarder du même œil que la vile matière.* Vere alia argumenta materialistæ vix mererentur.

materiam esse compositam, composito autem non minus opponi cogitationem, quam triangulo quadratum; ergo...

Inst. 1° Deus potest per suam omnipotentiam conferre composito cogitationem; ergo non repugnat compositum cogitare.

R. *N. Ant.* Nam Deus non potest facere, quod in se repugnat.

Inst. 2° Cogitatio repugnaret composito, quia est simplex: atqui materiæ competunt aliæ proprietates simplices, uti sunt existentia. motus, gravitas etc.; ergo et cogitatio eidem convenire potest. Ita Voltarius.

R. *Tr. N. Sup. Maj. Min.* Recensitæ enim proprietates nec simplices sunt, nec quid à materiâ distinctum, sed existentia, motus etc. materiæ non est, nisi ipsa materia existens, mota etc. adeoque quot partes sunt, tot sunt existentiæ. motus etc.

Inst. 3° Saltem Deus potest spoliare aliquam substantiam extensione et hinc compositione, ipsique substituere cogitationem; ergo eadem substantia poterit esse successive cogitans et materia.

R. *N. Sup. Ant.* Supponit enim objectio extensionem seu compositionem recipi in substantiâ singulari, dum tamen est necessario qualitas relativa, i. e. exurgens ex pluribus: hinc est, ut materia non possit spoliari omni extensione, quin eo ipso cesset esse materia.

OBJ. 2° Vires plurium corporum ita possunt conspirare, ut inde vis communis exoriatur, ergo a pari vires cogitandi singularum partium materiæ ita possunt conspirare, ut inde vis una cogitandi in composito exurgat, atque adeo compositum cogitet

R. *C. Ant. N. Cons.* et *parit.* Nam vires quidem, corporum motrices, ita conspirare possunt, quia ad terminum ipsis externum tendunt, atque per hoc solum, quod terminus externus sit, fieri potest, ut plures vires ad eundem tendant et per hanc ad eundem terminum tendentiam conspirent. Ast vires cogitandi sunt immanentes, et, utpote vires *sibi* repræsentativæ, tendunt ad terminum enti, in quo sunt, *internum;* quodvis enim ens *sibi* repræsentat, *sibi* cogitat, non alteri. Hinc fit, ut tot sint termini, quot entia viribus cogitandi instructa, ast nullus omnibus communis; unde nec communis tendentia, neque adeo virium conspiratio locum habere potest. Itaque plura entia sive complete, sive incomplete cogitantia nunquam efficient unum ens cogitans, sed tantum aggregatum plurium cogitantium.

Inst. 1° Necesse non est, ut partes sint cogitantes: namque in horologio nulla pars in se continet potentiam indicandi horas, et tamen indicatio ista oritur ex conspiratione partium; ergo etiam in composito, licet nulla pars cogitandi potentiam habeat, ex earum conspiratione cogitatio oriri potest.

R. *N. Ant.* Ad prob. *C. Ant.* et *N. Cons.* et *parit.* Nam etsi in horologio nulla pars habeat potentiam indicandi horas; hæc tamen potentia exoritur ex potentiis secum ejusdem speciei, i. e. ex motu et configuratione aliquâ; ergo etiam cogitatio, si coalescere posset ex aliquâ combinatione, foret ex combinatione qualitatum ejusdem secum speciei, i. e. cogitationum. Nam uti impossibile est, ut numerus millenarius componatur, non ex numeris, sed v. g. ex sonis, coloribus, aut aliâ quâvis re toto genere a se diversis, ita impossibile est, ut cogitatio exur-

gat ex qualitatibus partium toto genere a se diversis ; uti a motu, figurâ, vel aliâ simili qualitate materiæ.

Inst. 2° Potest ex non-compositis oriri compositum, ex non-extensis extensum, ex non-rotundis rotundum etc.; ergo etiam ex non-cogitantibus cogitans.

R. *C. Ant. N. Cons.* Nam licet ens simplex neque compositum, neque extensum sit, est tamen componens et propterea initium compositi et extensi; cum ideæ compositi et extensi pluralitatem duntaxat involvant; quemadmodum unitas, etsi numerus non sit, cum tamen numeri initium sit, potest cum pluribus simul collectis numerum constituere, cujus idea pariter aliud non continet, quam unitatum pluralitatem. Sunt ergo prædicata extensi et compositi externa partibus et relativa ad notionem aggregati. Contra cogitatio est internus entis cogitantis modus, qui solum a vi ipsi internâ effici potest. Unde si quod ens cogitandi incapax sit, hæc incapacitas etiam in collectione plurium talium perseverat, uti ens contingens etiam in collectione non fit ens necessarium. Rotunditas item et quælibet alia figura est etiam qualitas relativa exurgens ex certâ positione partium.

OBJ. 3° Anima sibi repræsentat extensa; ergo est extensa.

R. 1° *Retorquendo.* Anima concipit res inextensas, Deum, veritatem, unitatem etc.; ergo inextensa est.

R. 2° *C. Ant. N. Cons.* Quia si anima extensa esse debet, ut sibi res extensas repræsentet, tanta ejus extensio esse debet, quanta est extensio objecti repræsentati, adeoque, cum anima sibi repræsentet cœli hemisphærium, ejus extensio extensionem hemisphærii æquare deberet, quo quid absurdius dici potest?

Inst. 1° Objectum ingentis magnitudinis in exiguo spatio repræsentari potest; ergo nec animæ extensio tanta esse debet, quanta est extensio objecti.

R. *D. Ant.* Objectum ingentis extensionis potest in exiguo spatio repræsentari, uti v. g. magnum ædificium in parvâ chartâ, *quoad proportionem et dispositionem partium, C. Ant.* Etiam *quoad magnitudinem realem, N. Ant.* Ast anima, dum extensum aliquod, v. g. ingens ædificium contemplatur, non solum proportionem ac dispositionem partium, sed totam ædificii magnitudinem sibi clare ac distincte repræsentat; ergo sicut imago aliqua picta, ut totam objecti sui magnitudinem et extensionem exhibeat, tantæ prorsus extensionis sit oportet, quantæ est objectum, ita et anima, si extensa esse debeat, ut sibi repræsentet extensa, tantæ sit oportet extensionis, quantæ objecta suæ repræsentationis.

Inst. 2° Speculum etiam minimum repræsentat res ingentes etiam *quoad magnitudinem realem;* ergo in subjecto non requiritur extensio æqualis extensioni objecti.

R. *N. Ant.* Speculum objecta nullatenus *repræsentat,* sed reflectendo radios luminis est solum occasio, cur imago objecti ad oculos perveniat; unde etiam fit, ut pro variâ concavitate speculi, et hinc foci distantiâ et anguli magnitudine varietur magnitudo objecti. Verum etiamsi speculum objecta *repræsentaret,* ea tamen non repræsentaret, nisi per varias sui partes, ita ut singulæ speculi partes singulas partes objecti, nulla autem totum objectum exhiberet. Ast anima unico intuitu totum objectum sibi repræsentat, adeoque ex probationibus supra allatis necessario simplex est.

Inst. 3° Saltem anima in diversis partibus corporis diversa operatur ; ergo extensa est et partes habet.

R. *C. Ant. N. Cons.* Ex antecedenti enim plane oppositum sequitur. Eadem nempe indivisibilis anima est, quæ per oculos videt, per aures audit etc.; et si alia animæ pars colores videret, alia sonos audiret etc., jam (ex prob. allatâ) impossibile esset colorem et sonum inter se comparare et per judicium latum ab invicem discernere.

OBJ. 4° Quidquid augetur vel minuitur, est compositum : atqui variæ affectiones animæ, uti dolor, gaudium etc. augentur et minuuntur ; ergo sunt compositæ ipsæ adeoque et earum principium.

R. *D. Maj.* Quidquid augetur vel minuitur *quoad extensionem*, est compositum, *C. Maj.* Quidquid augetur vel minuitur *quoad intensionem* seu *vim intrinsecam*, *N. Maj.* et *D. Min.* Affectiones animæ augentur *quoad extensionem*, *N. Min.* *Quoad intensionem* seu *vim intrinsecam*, *C. Min.* et *N. Cons.* Ut enim compositionem affectionum animæ probent, non sufficit probare, alias aliis esse vividiores, sed probare necesse esset, eas in partes dividi posse. Porro si varii gradus, v. g. doloris, tanquam partiales dolores compositi materiales considerentur ,tam exiguus esset dolor in singulis partibus materiæ, ut levissimum ac pene nullum sui sensum faceret, adeoque nihil esset in nobis, quod intensitatem doloris sentiret.

Inst. Animæ affectiones etiam *quoad extensionem* augentur et minuuntur. Nam certe homines alii aliis plus cogitant : atqui ubi datur plus, dantur partes ; ergo.....

R. *N. Ass.* Ad prob. *D. Maj.* Homines alii aliis plus,

i. e. *objective plura* cogitant, *C. Maj.* i. e. *majore intrinsece cogitatione*, *N. Maj.* et *D. Min.* Ubi dantur plura, ibi dantur partes *in objecto cogitationis*, *C. Min.* *In ipsâ cogitatione*. *N. Min.* Itaque potest quidem in unâ eâdemque re unus plura v. g. plures perfectiones, relationes etc. quam alter cogitare, ut adeo ejus cogitatio *objective* plura comprehendat, ast propterea ipse actus intrinsece percipiens non minus est simplex; atqui iste actus plura objecta vel plures objecti partes in unum colligens est proprie et *entitative sumpta* cogitatio; ergo cogitatio et hinc ejus principium necessario simplex est.

Corol. Ex essentiali immaterialitate animæ sic stabilitâ sequitur

I° Absurdam esse opinionem *a*) Stoicorum (1) cum aliis veteribus (2), quos deinceps secuti sunt Manichæi (3) et nostris fere temporibus Spinosa (4) et pantheistæ aliqui recentiores, docentium, animam humanam esse quandam portiunculam vel animæ cujusdam mundanæ, vel divinæ naturæ. Etenim anima ista mundana universum mundum vivificans est vel *materialis* vel *immaterialis*. *Si materialis;* ergo nec ipsa potest cogitare, nec consequenter cogi-

(1) Stoicorum nonnullos errori huic turpissimo adhæsisse ex Senecâ et Epicteto discimus Stoicis, quorum ille: *Oper. Tom. II. Epist.* 66 ita habet: *Ratio autem nihil est aliud, quam in corpus humanum pars divini spiritûs mersa.* Hic vero: *Animi*, ait, *ita sunt devincti Deo, ut particulæ sint ejus et ab eo quasi avulsi.*

(2) De quibus Cicero, *Somn. Scip.* et *De nat. deor.* lib. I. c. 12, scribit: *Animum prisci Deum esse dixerunt et ex universâ mente divinâ animos esse delibutos;* et quos graviter arguit, quod non viderint *distractione humanorum animorum discerpi et lacerari Deum, et cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram.*

(3) Uti testatur S. August. *Sup. Genes. ad litt. L.* 7. *c.* 17.

(4) Ethic. Part. 2. Prop. 11. Corol.

tandi facultatem animæ humanæ impertiri; ergo nec hæc erit pars animæ istius mundanæ. *Si immaterialis;* ergo est simplex; ergo nec animas humanas tanquam partes habere potest. Eodem modo evincitur, animas humanas neque ex naturâ divinâ emanare. Nam divina natura certe simplex est; et dein si anima humana est emanatio quædam divinæ naturæ, omnia vitia et defectus animæ humanæ tribui deberent naturæ divinæ, uti jam S. Augustinus (1) contra Manichæos arguit, dicens : *Si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere.* Et rursus : *Non est pars Dei anima..... quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius* (2). *b*) Eorum, qui docuere, animas humanas alias ab aliis *traduci* (propterea *traduciani* dicti) seu velut flammam a flamma propagari (3). Nam ad omnem physicam propagationem requiruntur partes, quarum aliquæ communicentur remanentibus aliis : anima autem partes non habet. Unde sequitur

II° Animam humanam necessario creari seu a Deo actuari ex nihilo sui et subjecti. Est enim anima ens simplex et ab alio; sed ens simplex oriri nequit nisi per creationem (4); ergo.....

Quando autem anima humana creatur? Chaldæi et

(1) Contra Fortunatum Manich. Disp. n. 11.

(2) Epistola 166, n° 3.

(3) Hujus sententiæ fuerunt Tertullianus et Apollinaristæ hæretici, propterea maxime, quod per eam facilius putabant explicari posse propagationem peccati originalis. Ast non adverterunt, si hæc sententia vera esset, filios parentum fidelium, utpote qui per baptismum a peccato originali jam mundati essent, non debere nasci huic peccato obnoxios, contra ac fides docet.

(4) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 2. Art. 3. Pag. 282 et seqq.

Ægyptii, Pythagorici (1), Socrates et Plato (2), quibus (exceptâ tamen metempsychosi) etiam Origenes (3) adhæsit, docuere, animas humanas longe ante mundum conditum creatas, postmodum propter prioris vitæ scelera in corpora tanquam in carceres detrusas fuisse: easque, quæ etiam in hoc statu a scelere non abstinent, in alia continuo deterioris conditionis corpora statim a morte immitti ad ulteriorem pœnam luendam. Atque hoc est somnium multiplicis transmigrationis animarum sive *metempsychosis*, adeo apud veteres celebratæ. Inter recentiores rejectâ metempsychosi animas ab origine primi hominis omnes a Deo creatas fuisse docuit Leibnitzius, atque exinde systema harmoniæ præstabilitæ effinxit (4).

Verum hæc animarum ab antiquo creatio inprimis nullo fundamento nititur. Rationes certe, quas afferunt, nullius momenti sunt. Nam et ærumnæ, quibus animæ corporibus sociatæ subjiciuntur, non præsupponunt per se culpam in priori aliquâ vitâ commissam, ita ut secus cum bonitate et sapientiâ divinâ componi non possent; et Deus, etsi novas continuo animas creet, propterea non quasi nunquam quietem habens concipi debet, cum nutu unico et æterno voluntatis suæ creet omnia suo ordine consecutura, quæcunque creat. Dein *metempsychosis* insuper etiam absurda est. Nam *a*) pœna criminum, quorum nulla prorsus memoria habetur, non habet rationem pœnæ, præsertim præservativæ, ex cujus intuitu metempsychosis tamen statuitur; *b*) animæ, in quo de-

(1) Conf. Cudworth: *Syst. intell.* c. 5.
(2) Uti habetur tum in Phædone, tum præcipue in Timæo.
(3) Teste S. Augustino: *Lib. de Civit. Dei.* 11. cap. 11.
(4) Essai de Theodic. P. 1. § 91. Confer. etiam Synops. hist. philos. Period. III. Epoch. 2.

terius corpus migrare coactæ fuerint, eo majorem peccandi occasionem et fomitem nanciscentur; ergo et pœna hæc injusta foret, et transmigrationis in deteriora continuo corpora nullus finis esset. Demum *c*) stabilitâ metempsychosi perit essentiale discrimen inter homines et bruta, neque hæc dominio nostro subjici, aut, illæsis juribus naturæ, in usum nostrum converti ullâ ratione possent.

Itaque, etsi naturali rationis lumine stricte probari nihil possit de tempore creationis animæ humanæ, est tamen non solum revelationi consonum, sed et rationi congruum, animas humanas tum creari, cum corpus ad actiones vitales sufficienter organizatum est, cum finis physicus animæ sit animare corpus, ante unionem cum corpore autem finis nullus cognoscatur, ob quem existat (1).

(1) Unde jam S. Thomas *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 118. Art. 3. dicit: *Animæ non sunt creatæ ante corpora, sed simul creantur, cum corporibus infunduntur.* Atque id deducit ex eâ ratione, quod animæ vel naturale est uniri corpori vel non. *Si primum*; ergo (si in principio temporum creatæ sint animæ) ante unionem Deus eam in statu innaturali, i. e. cum tendentiâ ad istam unionem sine actuali unione, reliquisset, quod esset insipiens ex parte Dei, cum tendentia ista nullum haberet finem ante actualem unionem. *Si secundum*, i. e. si animæ unio cum corpore non est naturalis, ratio istius unionis erit ergo ponenda *vel in voluntate* animæ volentis uniri corpori; quod esse nequit, cum nulla ratio sit, cur aliquando velit, quod prius noluit: *vel contra voluntatem*, et tum unio ista esset pœna, id quod rursum absurdum esse patet ex iis, quæ de metempsychosi dicta sunt. Ergo unionis istius ratio in solâ voluntate Dei animam ad eam unionem ordinantis constituenda est, adeoque anima tum creatur, quando corpori infunditur.

CAPUT III.

De spiritualitate animæ humanæ.

62. Ex capite præcedenti patet, animam humanam, utpote omnis compositionis physicæ expertem adeoque simplicem, neque materiam proprie dictam esse, neque consequenter dissolvi vel interire posse; id quod contra materialistas stricte sumptos abunde sufficeret; cum hi propterea tantum omnia in hoc mundo materiam dicant esse, ut exinde omnium rerum atque adeo ipsius animæ humanæ dissolubilitatem et naturalem cum corpore interitum eruant.

Ast anima humana non solum simplex est: simplicia enim sunt etiam elementa materiæ, sed est insuper substantia spiritualis seu spiritus, i. e. *substantia ab intrinseco activa intelligendi ac volendi vi prædita*, cujus proin operationes neque elemento materiæ simplici attribui, neque per aliquem motum elementis istis extrinsecum vel per quandam, ut vult de la Mettrie et Hobbesius, mutuam eorum actionem et reactionem explicari, neque adeo animæ belluinæ ullatenus convenire possunt. Itaque hoc Capite, ut materialistæ penitus refutentur, demonstrandum superest, animam humanam 1) substantiam non solum simplicem, sed etiam spiritualem esse: unde dein facile fluit, 2) eam naturâ suâ seu de se esse immortalem. Quare sit

63. PROP. I. ANIMA HUMANA EST SUBSTANTIA ESSENTIALITER SPIRITUALIS.

Prob. Anima humana, utpote *libera libertate indiffe-*

rentiæ ex Capite primo hujus Sectionis, est principium essentialiter præditum internâ activitate, ita ut *vi propriâ* et *absque concursu principii efficientis extrinseci* ad hoc vel ad illud et quidem *cum advertentiâ rationis* se determinare seu operari possit: atqui hujusmodi principium tum 1) *in se* essentialiter est distinctum ab omni elemento materiæ; tum 2) per operationes suas essentialiter distinctas ab omni actione et reactione elementorum materiæ; tum demum 3) per intellectum et voluntatem etiam ab ipsâ animâ belluinâ; ergo est principium spirituale.

Prob. Minor. per partes. Hujusmodi principium est *essentialiter distinctum*

1° *In se ab omni elemento materiæ.* Elementa enim materiæ (ex communi omnium definitione et conceptu) sunt essentialiter inertia seu intrinsecâ activitate destituta, ita ut ex propriâ ab intrinseco determinatione statum suum mutare nequeant, sed ad hoc indigeant principio efficiente extrinseco; ergo elementis materiæ et animæ humanæ insunt attributa essentialiter contradictoria, adeoque et ipsa essentialiter distincta sunt. Attributa enim fluunt ex essentiâ, ex eâdem autem essentiâ contradictoria fluere non possunt; ergo anima est essentialiter distincta ab omni etiam elemento materiæ, adeoque est spiritualis.

2° *Per operationes suas essentialiter distinctas ab omni actione et reactione elementorum materiæ.* Nam

a) Si operationes animæ humanæ dependent ab actione et reactione materiali elementorum, deberent quà effectus exacte esse proportionatæ suis causis : atqui nullatenus

sunt proportionatæ. Nam verba quædam submissâ voce dicta, v. g. inimicus prope est, gladio in te irruit etc. efficiunt, ut homo inermis totis viribus currat, dum contra clamor et strepitus forensis eundem ne loco quidem moveant. Ergo operationes animæ nullatenus sunt proportionatæ materiali actioni vel reactioni elementorum adeoque ab hâc essentialiter distinctæ : sed operationes essentialiter distinctæ supponunt principium essentialiter distinctum ; ergo anima humana est ab omni materiâ essentialiter distincta adeoque spiritualis.

b) Anima humana potest judicare contra impressiones sensuales ; sic v. g. baculo dimidiatim in aquam immerso impressio materialis fit, quasi sit fractus, cum tamen judicium omnino oppositum feramus : atqui si operationes animæ essent solum actio impressa et reactio elementorum seu subtilissimarum partium corporis, impossibile esset in dato casu judicare baculum non fractum; ergo..... (1).

c) Anima humana potest cum altero de arbitrariâ vocum significatione convenire : sic si vox latina Deus coram Arabe proferatur, hic merum sonum audit, nec quidquam intelligit, potest tamen cum Latino convenire, vocem Deus significare ens perfectissimum : atqui, si cogitatio vel intellectio sit mera actio et reactio elementorum, sic convenire nequit. Conventione enim factâ Arabs per vocem Deus eandem impressionem adeoque actionem et reactionem elementorum patitur, ac ante conventionem;

(1) Simili modo argumentatus est S. Augustinus (Soliloq. Lib. 2. Cap. 31) dicens : *Quare conficitur, ut aliud simus nos, aliud sensus : siquidem cum ipse fallitur, possumus nos non falli.*

ergo cogitatio seu intellectio supponit necessario principium intrinsece intelligens adeoque spirituale. Demum

d) Si operationes animæ essent solum effectus organici alicujus motûs et affectionis cerebri (1), diversa quoad physicum sonum et consequentem inde impressionem materialem verba non possent eundem sensum in animâ parere : atqui voces istæ Deus, Θεός, Dieu, Iddio, Dios, Gott, Bog, etc. utut diversos motus in sensibus et per consequens diversas affectiones in cerebro producant, tamen in eo, qui harum linguarum gnarus est, eandem absolute ideam pariunt ; ergō datur in homine principium intrinsece intelligens et quoad intelligentiam ab omni materiali concursu immune.

3° *Per intellectum et voluntatem etiam ab animâ belluinâ.* Ea enim sunt essentialiter distincta : quæ habent attributa essentialiter distincta : atqui anima humana et belluina habent attributa essentialiter distincta. Nam

a) *Anima humana essentialiter gaudet intellectu et voluntate.* Etenim operationibus suis longe ultra sensus et phantasiam assurgit, atque extra sphæram rerum sensibilium egressa, res ab omni sensuali impressione remotissimas, uti rerum essentias, nexus et relationes, verum, bonum, justum, Deum ipsum ejusque attributa illimitata, *intelligendo* assequitur ; *volendo* vero, sensuum illecebras

(1) Uti vult Broussais in opere jam citato cum suis collaboratoribus. Juxta ipsum enim : *Les fonctions du cerveau produisent l'intelligence.* Ephem, n° 2. Et : *C'est le système nerveux, qui perçoit, sent, raisonne, veut, prévoit, etc.... les phénomènes intellectuels sont aussi le résultat de l'action d'une matière nerveuse...* Nam... *la matière nerveuse, dans un certain état, produit par son action tous les phénomènes intellectuels chez les animaux aussi bien que chez l'homme.* Vide *Propositions de pathologie. Commentaires. De l'irritation et de la folie.* Eundem crudum et putidum materialismum non minus docet in aliis suis operibus medicalibus.

æque ac molestias et dolores contemnere, ac cœlestibus et pure intellectualibus delectationibus gaudere potest (1); ergo.... Contra

b) Anima belluina caret intellectu et voluntate. Nam si bruta haberent intellectum et voluntatem, possent *a*) abstractas generum et specierum ideas atque principia evidentiæ intelligendo, eo ipso etiam vocabulis arbitratu suo instituendis uti vel saltem aliis signis non mere naturalibus, sed arbitrariis suos sensus explicare. Possent *b*) ea saltem bruta, quæ inter homines continuo versantur, vocabulorum significationem assequi. Possent *c*) artes suas perficere atque adeo novas invenire etc. Atqui nihil horum faciunt; ergo.... (2) Egregie ad rem nostram Cartesius (3). *Observatu dignum est*, inquit, *nullos reperiri homines adeo hebetes et stupidos, ne amentibus quidem exceptis, ut non possint diversas voces apte construere at ue ex iis orationem*

(1) Pulchre id ipsum exponit jam Tullius (*De Offic.* Lib. 1. Cap. 4), observans : *Inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat; similitudines comparat, et rebus præsentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt.*

(2) Breviter, sed energice non minus, quam pulchre hoc totum argumentum exponit etiam Rousseau, dicens : *Qu'on me montre un autre animal sur la terre qui sache faire usage du feu et qui sache admirer le soleil. Quoi! je puis observer, connaître les êtres et leurs rapports; je puis sentir ce que c'est qu'ordre, beauté, vertu; je puis contempler l'univers, m'élever à la main qui le gouverne; je puis aimer le bien, le faire, et je me comparerais aux bêtes? Ame abjecte, c'est ta triste philosophie qui te rend semblable à elles; ou plutôt tu veux en vain t'avilir. Ton génie dépose contre tes principes, ton cœur bienfaisant dément ta doctrine, et l'abus même de tes facultés prouve leur excellence en dépit de toi.*

(3) Dissert. de Method. nº 5

componere, quâ cogitationes suas patefaciant : contra vero nullum esse aliud animal, quantumvis perfectum aut felici sidere natum, quod simile quidquam faciat. Hocque ex organorum defectu non contingit ; videmus enim picas et psittacos easdem, quas nos, voces proferre, nec tamen sicut nos, loqui posse, i. e. ita, ut ostendant, se intelligere, quid dicant : cum nihilominus homines a nativitate surdi et muti sicque non minus, sed potius magis quam bruta destituti organis, quibus alii in loquendo utuntur, soleant propriâ industriâ quædem signa invenire, quibus mentem suam aperiant iis, quibuscum versantur, et quibus vacat ipsorum linguas addiscere : id autem non tantum indicat, bruta minori rationis vi pollere, quam homines, sed plane esse rationis expertia. Ergo anima humana non solum ab omni elemento et esse quocunque materiali, sed etiam ab animâ belluinâ est essentialiter distincta, et, utpote intellectu et voluntate proprie dictâ prædita, essentialiter intrinsece activa adeoque spiritualis (1).

OBJECTIONES.

64. OBJ. 1° Deus potest ens simplex materiæ spoliare inertiâ, ipsique tribuere activitatem intrinsecam atque

(1) Quis igitur non miretur sive ignorantiam, profecto nostris temporibus non ignoscendam, sive summam impudentiam eorum, qui cum Diderot dicere non erubescunt *qu'un chien ne diffère de l'homme que par l'habit.* Id tamen saltem æquivalenter asserere non puduit D. Broussais, qui in opere : *Cours de phrénologie*, expressis verbis æqualitatem inter homines et bestias affirmat : *Il est temps*, inquit pag. 594, *de faire disparaître le mur d'airain que les métaphysiciens ont élevé entre l'homme et les animaux.* Et pag. 68-72 : *Il est ridicule de supposer qu'un être intelligent réside dans l'intérieur de la tête.* Nam, uti habet pag. 656-657 : *Le signe esprit représente un phénomène de l'action cérébrale.*

adeo intellectum; ergo ens simplex materiæ potest fieri spirituale.

R. *N.* vel *D. Ant.* Substitutâ aliâ essentiâ, adeoque alio ente, *C. Ant.* Secus, *N. Ant.* Nam activitas intrinseca non est modus, cum a substantiâ abesse nequeat manente eâdem substantiâ, sed est attributum et quidem, ut Capite sequenti videbimus, primarium et constitutivum animæ humanæ. Cæterum *transmisso Ant. N. Cons.* Posito enim, elemento simplici materiæ tribui activitatem intrinsecam, hoc elementum jam necessario cessaret esse elementum materiæ. Elementum enim materiæ est illud, quod potest venire in compositionem materiæ, seu constituere collectionem inertem et prorsus passivam, qualis materia est: atqui repugnat ens simplex intrinsece activum constituere collectionem inertem et mere passivam; ergo semper manet verum, ens simplex materiæ, quâ tale, non posse fieri spirituale, adeoque ens simplex materiæ et animam humanam sibi contradictorie opponi.

OBJ. 2° Omnes animæ facultates, ipse adeo intellectus, ad sensibilitatem reducuntur: atqui sensibilitas et ipsa sensatio non est nisi reactio cerebri vel cordis contra impressiones ab objectis externis factas in organa sensoria; ergo anima humana non ab omni esse materiali distincta est. Ita Hobbes, Condillac, Tracy aliique sensistæ moderni

R. *N. Maj.* Nam profecto neque facultas, quâ anima convenire potest cum alio de sensu vocis, vel judicare contra impressiones acceptas (ex supra probatis), neque intellectus ad sensibilitatem reduci possunt; dum enim sentio, affectionem passive experior; dum vero sensatio-

hem intelligo, vel ejus conscius fio, mentem active dirigo ad affectionem, ita ut intellectio sit effectus animæ agentis, cum contra sensatio sæpissime proprium actum mentis antevertit. Et vero quo sensu perciperemus ideas genericas justitiæ, virtutis etc. an oculo? an tactu? etc. (1). Dein *D. Min.* Sensibilitas et sensatio *externa* et *materialis* non est, nisi reactio cerebri vel cordis contra impressiones factas, *C. Min.* Sensibilitas spectata ut *facultas appercipiendi sensationem externam*, et sensatio spectata, ut ipsa *apperceptio interna* externæ sensationis, *N. Min.*, quia hæc ex supradictis necessario præsupponit principium intrinsece activum.

OBJ. 3° Bruta plura agunt, quæ videntur supponere intelligentiam in ipsis; ergo anima humana a belluinâ distingui non videtur, nisi majori gradu intelligentiæ.

R. *N. Ant.* (2). Omnes enim actiones brutorum, quæ

(1) Vide etiam infra Sect. 2. Cap. 1. Art. 2.

(2) Qui ex eo, quod animalia faciant opera magnæ industriæ, ad eorundem animalium intelligentiam concludere voluerit, hic nimirum intelligentiam etiam maximam attribuere debebit *sive* plantis, quæ, quamvis cum radice sursum directâ plantentur, eam tamen mox, evitando etiam obstacula, deorsum et ad eam partem declinant, ubi plus alimenti ipsis proprii habetur; *sive* floribus, qui pluvià appropinquante folia contrahunt etc. etc. quod si vero in rebus vegetalibus, mineralibus etc. opera industriæ internæ earum structuræ vindicentur, quare non eidem structuræ et organisationi attribuerentur opera industria animalium? Unde eorum quidem animalium operibus, non autem ipsis animalibus intelligentiam inesse recte judicabimus.

Animalia vero intelligentiâ carere, præter ea, quæ in textu afferuntur, probat etiam eorum educatio, quæ tota quanta fundatur super sensione gratâ et ingratâ adeoque super principio mere sensitivo et instinctu. — Vide de hoc toto argumento ea, quæ egregie exponit D. Ph. Dufour in suo opere : *Essai sur l'étude de l'homme*, tome I. præsertim a pag. 179-273

Eodem modo ratiocinatur Eduard. Alletz in suo opere : *Essai sur l'homme ou accord de la philosophie et de la religion*, sect. 1. liv. 3. chap. 6

sæpe magnam videntur intelligentiam supponere, per *instinctum naturalem*, vel per *exspectationem casuum similium* explicari possunt. Est autem

Instinctus naturalis juxta recentiores ea organorum communisque sensorii constitutio animalibus congenita, vi cujus in certis rerum adjunctis certæ in ipsis sensationes ac proin etiam certæ appetitiones vel aversationes excitentur, quibus anima sine ullâ præviâ deliberatione vel ratiocinio ad quasdam actiones externas determinetur. Sic nos ex instinctu naturali sine ullo ratiocinio ad periculum lapsûs corpus ad æquilibrii leges libramus. Eidem instinctui, qui in animalibus pro diverso genere diversus esse potest, eæ actiones tribuendæ sunt, quæ uniformes dici solent, seu quæ ab omnibus animalibus ejusdem generis exercen-

pag. 113, dicens: *La preuve qu'il* (l'animal) *manque d'intelligence, c'est qu'il ne se trompe jamais.... Il n'y a que Dieu et la matière où se trouve la fixité : Dieu, parce qu'il a toute l'intelligence ; la matière, parce qu'elle n'en a aucune.*—Et pag. 114. *Le soleil ne parcourt-il pas, chaque jour, sa carrière avec une invariable régularité? ne se tient-il pas à une juste distance de la terre pour y verser la chaleur et non pas le feu, pour y faire tout éclore sans y rien consumer? Cette merveilleuse précision réveille l'action d'une pensée, mais on n'attribue pas cette pensée au soleil.*

La disposition des parties intérieures d'une grenade surpasse l'harmonie et la régularité des cellules de l'abeille ; pourquoi, de ce que l'ordre est une manifestation de l'intelligence, concluerait-on plutôt que cette intelligence est dans l'abeille que dans la grenade? Autant vaudrait-il attribuer la lumière de la pensée à cet automate, chef-d'œuvre de la mécanique, qui parcourt les touches d'un clavecin avec un art d'exécution si flatteur pour nos oreilles. Pourquoi jouissons-nous de son action sans lui en rapporter l'honneur? Parce qu'elle ne lui appartient pas, parce qu'il n'est pas libre, parce qu'il ne pourrait jouer ni mieux, ni plus mal qu'il ne joue, et que, ne le regardant lui-même que comme un instrument mélodieux, nous remontons plus haut pour trouver l'artiste

Buffon a eu tort de vouloir contester l'intelligence aux actions de l'animal ; car on ne peut nier qu'un grand nombre de ces actions ne soient éminemment intelligentes. Il aurait dû les confesser pour telles, en montrant que la raison, dont elles portent l'empreinte, ne réside pas dans l'animal, mais dans le créateur.

tur et maxime circa procurationem victûs, propagationem generis et suiipsius conservationem versantur, uti v. g. constructio nidorum in avibus, insidiæ in belluis rapacibus etc. Nam si ex ratione hæ actiones a bestiis ponerentur, inprimis non omnes eodem modo, parvulæ æque, quam senes agerent, eas successu temporis perficerent; et dein bestiæ paucorum dierum homines provectæ ætatis perspicacitate longe superarent, ùt v. g. apiculæ in construendis cellulis etc.

Exspectatio casuum similium vero, quando nimirum recurrentibus iis rerum adjunctis, quæ cum certis eventibus ante connexa erant, iidem rursus eventus expectantur, ope solius phantasiæ adeoque sine ullo rationis auxilio peragitur. Sic in cane, qui ob furtum semel fuste exceptus fuit; in iterato furto vix fuste ostenso phantasia repræsentat easdem imagines in præterito simili casu habitas atque inde per associationem sensationum dolorem olim post similes imagines secutum; unde ejulans rapide effugit: atqui hic nihil rationis se immiscet. Aliunde constat experientiâ, bruta, v. g. canem, si aliquo loco semel verberibus exceptus fuit, diuturno tempore locum hunc infamem per circuitus et fugam declinare, etiamsi nec minimum verberum periculum adsit: atqui, si ratiocinaretur, absente omni periculo locum non amplius timeret, sicuti homo vel stupidissimus absente omni periculo locum proprie nec timet amplius nec fugit (1).

65. Stabilitâ spiritualitate animæ ejusque in multis suis

(1) Videatur hac de re etiam D. de Bonald: *Recherch. philosoph. sur les premiers objets des connaissances humaines.* Tome 2. — De Maistre, *Soirées de Saint-Pétersbourg.* Tome 1. — P. J. C. Debreyne: *Pensées d'un*

operationibus independentiâ ab omni materiali concursu; jam facilis fit passus ad ejusdem *immortalitatem naturalem* demonstrandam. Est autem IMMORTALITAS NATURALIS *perpetua existentiæ et vitæ de se continuatio.* Itaque

1° *Immortalitas* non solum *existentiæ*, qualis et elementis materiæ competit, sed insuper *vitæ* perpetua continuatio est. *Vita* vero in actu primo est potentia cogitandi, appetendi, sentiendi, volendi, quæ vocantur operationes seu actiones vitales, suntque *vita in actu secundo.*

2° *Immortalitas naturalis* distinguitur ab *immortalitate essentiali* : *hæc* enim est, cum quid vi essentiæ suæ perpetuo existit et vivit, quo sensu solus Deus immortalis est : *illa* vero est, cum quid naturâ suâ tale est, ut nullâ vi creatâ existentiâ et vitâ privari possit. Quibus positis sit

66. PROP. II. ANIMA HUMANA EST NATURA SUA IMMORTALIS

Prob. Immortalitas naturalis est perpetua existentiæ et vitæ de se seu vi naturæ suæ continuatio : atqui anima humana vi naturæ suæ perpetuo debet *existere et vivere;* ergo....

Prob. Min. per partes.

1° *Anima humana vi naturæ suæ perpetuo debet* EXISTERE. Nam anima humana est ens simplex et prorsus imma-

croyant catholique, in articulo : *Notice sur l'ame des bêtes.* Opus hoc, præcipue contra modernos materialistas directum in lucem prodiit anno 1839, et maxime commendari meretur. Non minori commendatione dignum est opus eruditissimum D. Forichon : *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans leurs fondements. Paris,* 1840.

teriale ex Capite præcedenti : atqui ens simplex nequit interire, nisi per annihilationem (1); ergo si perit, debet annihilari : atqui a nullâ vi creatâ potest annihilari : ergo vi naturæ suæ perpetuo debet existere.

Dixi : *a nullâ vi creatâ potest annihilari.* Nam annihilatio entis est cessatio rationis sufficientis ultimæ ejus existentiæ ; ergo sicut nullum ens creatum efficere potest, ut *ponatur* ratio sufficiens ultima existentiæ alicujus entis, ita neque ullum efficere potest, ut eadem ratio sufficiens *cesset,* adeoque ut ens annihiletur ; ergo....

2° *Anima humana vi naturæ suæ semper debet* VIVERE. Nam vita animæ humanæ consistit in intrinsecâ activitate seu potentiâ activâ intelligendi et volendi : atqui hâc potentiâ a nullâ vi creatâ potest spoliari ; ergo vi naturæ suæ perpetuo debet vivere.

Dixi : *a nullâ vi creatâ potest spoliari potentiâ suâ intrinsece activâ,* et quidem *neque in actu primo, neque in actu secundo.* Non *a*) *in actu primo.* Nam activitas ista seu potentia activa ex Propositione præcedenti et Capite sequenti est ipsa essentia animæ humanæ quatenus spiritualis : sed destructâ essentiâ annihilatur ens ; ergo sicuti a nullâ vi creatâ anima potest annihilari, ita nec spoliari intrinsecâ activitate. Neque *b*) *in actu secundo.* Nam ut vis cogitandi et volendi ab omni actione impediri possit, deberet vel *impedimentum aliquod poni*, vel *tolli omne objectum cogitabile vel appetibile :* atqui neutrum a vi creatâ fieri potest. *Non tolli omne objectum ;* nam anima est sibi ipsa objectum intime præsens ; potest itaque se suasque mutationes et affectiones percipere , et ex iis me-

(1) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 2. Art. 3. Pag. 282.

diante ideâ τοῦ *esse simpliciter* ratiocinando ad suam contingentiam, atque hinc ad entis necessarii existentiam et varias ejus perfectiones pervenire; ergo..... *Non poni impedimentum;* id enim deberet poni inter animam et objectum, in quod tendit: sed inter animam et animam, quæ sibi ipsa potest esse objectum, in quod tendat, nihil interponi potest: ergo.....

OBJECTIONES.

67. OBJ. 1° Anima destructo corpore non potest *existere.* Nam anima ex naturâ suâ ordinatur ad efficiendam cum corpore substantiam completam; ergo destructo corpore ex naturâ animæ necesse est et ipsam perire.

R. *N. Assert.* Ad prob. *D. Ant.* Anima ex naturâ suâ ordinatur, i. e. essentialem aptitudinem habet ad efficiendam cum corpore substantiam *completam hominis; C. Ant.* i. e. Ex naturâ suâ debet necessario semper actu esse conjuncta cum corpore. *N. Ant.* Non enim essentialis necessitas actualis unionis cum corpore in naturâ animæ sita est, sed solum essentialis aptitudo ad hanc unionem; unde etiam dissoluto corpore, propterea ratione sui nullatenus imperfectior, existere potest.

Inst. 1° Omne, quod oritur, aliquando pereat necesse est: atqui anima cum corpore oritur; ergo et cum corpore peribit.

R. *D. Maj.* Omne quod *per generationem* vel compositionem quamcunque oritur, aliquando intereat necesse est vel saltem interire potest, *C. Maj.* Omne quod oritur *per creationem*, *N. Maj.* et *D. Min.* Anima cum corpore

oritur, sed modo plane diverso, nempe ipsa per creationem, corpus per generationem, *C. Min.* Eodem modo, *N. Min.* et hinc *Cons.* Omne quod per generationem oritur, compositum est, ac proin perire potest per dissolutionem, cujus ratio sufficiens in viribus naturæ esse potest; ens simplex vero, uti anima, non potest oriri nisi per creationem, ac proin neque interire nisi per annihilationem, cujus ratio sufficiens ex probatione allatâ omnes vires creatas superat.

Inst. 2° Ex variis morbis, quibus corpus afficitur, recte colligitur, illud esse naturâ suâ mortale; ergo a pari ex variis ægritudinibus animæ idem colligi potest.

R. *C. Ant. N. Cons.* et *parit.* Disparitas in eo est, quod morbi corporis tendunt ad dissolutionem partium et cum corpus dissolutis partibus intereat, recte ex morbis corruptibilitas et interitus corporis arguitur; contra ægritudines animæ nequeunt illi interitum afferre, cum anima, ut pereat, non dissolvi, sed annihilari debeat; ægritudines autem vim annihilandi in se non habeant.

OBJ. 2° Saltem anima destructo corpore non potest *vivere* seu operationes vitales exercere. Nam in iis pendet à corpore; viget eo vigente, deficit eo deficiente, uti patet in deliquiis etc., in quibus nequidem sui conscia est; ergo proprie immortalis non est.

R. *N. Ant.* Ad prob. *D. Ant.* In operationibus vitalibus anima pendet a corpore *ex naturâ suâ*, *N. Ant.* *Ex unione cum corpore*, quamdiu hæc durat, *Subd.* In aliquibus, *C. Ant.* In omnibus et semper, *N. Ant.* et hinc *Cons.* Certe ex eo, quod anima nostra aliquando deficiente corpore ad stupore et lethargum deducatur,

inferri nequit, id fieri ex naturâ animæ, cum secus id toties fieri deberet, quoties corpus lethargo vel languore opprimitur : atqui tamen constat, corpore vel in multis lethargo oppresso, vel in senibus ob debilitatem languente, animam multo etiam vegetiorem fuisse. Itaque id solum ex eo deduci potest, animam quamdiu corpori unita est, pro variâ hujus dispositione non semper eodem modo dispositam esse ad vitales actiones exercendas, uti nec peritissimus artifex eodem modo tractare potest instrumenta inepta, quo apta et commoda.

Inst. Ergo et animæ belluinæ sunt naturâ suâ immortales, siquidem et hæ destructo corpore vivere possint : atqui hoc est absurdum ; ergo.....

R. *N. Cons.* et *Rat. addit.* Nam animæ belluinæ destructo corpore vivere nequeunt. Etenim vita belluarum consistit in sensationibus seu in inferiori cognoscendi et appetendi facultate, quæ sine objectis sensibilibus in organa sensoria agentibus vel saltem sine concursu alicujus principii extrinseci nunquam ad actum secundum poterit transire ; ergo animæ belluinæ principium vitæ completum non habent in se ; ergo per se nec vivere possunt destructo corpore. Unde forte per destructionem organorum, sine quibus suas vitales actiones exercere non possunt, Deo occasio præbetur, animas belluinas, utpote finem existendi non amplius habentes annihilandi ; dixi : *forte* ; an enim, destructo uno corpore, nullum amplius finem existendi habeant à Deo præfixum, v. g. animandi aliud corpus, ignoramus.

CAPUT IV.

De essentiâ animæ humanæ.

68. *Essentia* rei duplex distinguitur (1) *physica et metaphysica*. *Prior* est complexus omnium determinationum in ente, ut sit hoc ens et non aliud, necessariarum. *Posterior* est id, quod a nobis in ente concipitur ut ratio sufficiens seu radix cæterarum determinationum. Porro *physicam essentiam animæ*, quantum a nobis cognosci potest, consistere in ejus libertate, immaterialitate, spiritualitate seu facultate intelligendi et volendi; et forte etiam, quod tamen stricte demonstrari posse non putamus, in actuali directâ cogitatione, ex præcedentibus satis patet. De *metaphysicâ* autem *essentiâ* animæ *quà spiritualis* inter se differunt Philosophi. Alii enim eam in simplicitate, alii duce Lockio in facultate cogitandi, alii cum Cartesio in actuali cogitatione, alii demum in activitate seu vi agendi intrinsecâ reponunt, quibus et nos adhæremus. Unde sit:

69. PROP. ACTIVITAS INTRINSECA EST ESSENTIA METAPHYSICA ANIMÆ HUMANÆ QUA SPIRITUS.

Prob. 1° *Positive.* Illud est essentia metaphysica seu attributum rei constitutivum, quod 1) rei, quam constituit, est proprium illamque ab omni aliâ distinguit; quod 2) est radix cæterarum proprietatum, et quod 3) continet id omne, quod in conceptu rei essentiali includitur. Atqui *activitas intrinseca* est 1) *spiritibus* ita *propria*, ut concepto ente, quod ex vi intrinsecâ non possit ad actum

(1) Vide *Ontol.* part. I, cap. 2 pag. 202 et seq.

transire, tollatur omnis idea spiritûs; per activitatem autem spiritus distinguitur ab omni non spiritu seu materiâ, quæ est quid prorsus iners et passivum; 2) est *radix* et fons *cæterarum spiritûs proprietatum*, quales sunt facultates intelligendi, volendi, sentiendi, recordandi, etc.: nam ea proprietas cæterarum est fons et radix, quæ cæteris in actu secundo positis est prior, seu sine quâ cæteræ non concipiuntur posse exerceri: atqui talis est activitas relate ad facultates intelligendi, etc.; ergo.... Et demum 3) *positâ activitate intrinsecâ* nihil amplius desideratur ad conceptum implicitum spiritûs; ergo activitas habet tres illas conditiones, adeoque est essentia metaphysica animæ humanæ quà spiritûs.

Prob. 2° *Negative*. Si essentia metaphysica spiritûs non sit activitas, erit *vel* simplicitas, *vel* facultas cogitandi aut ipsa actualis cogitatio: atqui essentia metaphysica spiritus non est 1) *simplicitas*, cum hæc non soli spiritui, sed juxta nos etiam elementis materiæ conveniat; neque ut radix cogitationis, activitatis, etc, concipi possit; nec 2° facultas cogitandi aut actualis cogitatio; nam neutrum horum est radix cæterarum spiritûs proprietatum v. g. voluntatis, sensitivitatis, activitatis etc. et dein facultas cogitandi et actualis cogitatio sunt species activitatis: atqui certe non genus in specie, sed species in genere adeoque facultas cogitandi et actualis cogitatio in activitate, non hæc in illis continetur; ergo activitas est essentia spiritûs metaphysica.

OBJ. Activitas supponit in notione animæ rationem substantiæ se priorem; ergo non est primarium animæ attributum.

R. *D. Ant.* Activitas supponit substantiam se priorem in notione animæ quà *entis*, *C. Ant.* Quà *spiritûs*, *N. Ant.* et *Cons.* Activitas quidem non est primarium attributum animæ *ut entis*; hic autem agitur de primario attributo animæ *ut spiritûs* seu quo anima constituitur in eâ specie substantiarum, quæ est spirituum.

Inst. Atqui activitas non est primarium animæ attributum ne quà spiritus quidem. Nam *a*) ex activitate non fluunt omnia spirituum attributa, uti v. g. voluntas; ergo.... *b*) activitas etiam brutis convenit; atqui hæc tamen non sunt spiritus; ergo....

R. *N. Min. Subspt.* Ad prob. *a*) *D. Ant.* Non omnia attributa spirituum fluunt ex activitate, i. e. activitate generice conceptâ non concipiuntur omnes species activitatis, *C. Ant.*, i. e. aliqua species activitatis seu aliquod attributum spiritui proprium concipi potest non præconceptâ activitate intrinsecâ, *N. Ant.* et hinc *Cons.* Unde fluit responsum ad probationem primam de voluntate. *b*) Activitas etiam brutis est communis, *D. Maj.* Eadem genere, *C. Maj.* Eadem specie, *N. Maj.* et *D. Min.* Bruta non sunt spiritus, i. e. nihil habent, quod sit spiritibus proprium, *N. Min.* Habent enim activitatem sensationis et appetitionis, per quam ab omni materiâ distinguuntur. Id est, non habent omne id, quod spiritui proprie dicto essentialiter competit, *C. Min.* Non enim habent activitatem intellectus et voluntatis. Unde etsi activitas animæ belluinæ et humanæ, quà *talis* præcise activitas, sit essentialiter distincta, non tamen quâ activitas simpliciter (1).

(1) Sic quamvis animalitas corporis humani ab animalitate corporis cervi vel equi omnino distinguatur, tamen essentia metaphysica corporis humani in animalitate simpliciter reponenda est, quia nimirum intimum

Porro conceptus hujus prærequiritur ad conceptum illius, cum prius sit concipere activitatem, quam concipere talem activitatem ; ergo activitas intrinseca, etsi non in se, tamen pro conceptu nostro, utpote qui intimam naturam spiritûs intelligere non possumus, est primarium attributum et hinc essentia metaphysica spiritûs adeoque et animæ humanæ quà spiritualis. Brutorum vero animas aliqui Philosophi dixerunt spiritus inferioris ordinis, alii vero, quibus et nos adhæremus, eas dicunt esse substantiam mediam inter spiritum stricte dictum et materiam (1).

SECTIO II.

DE ANIMA RELATIVE SPECTATA.

70. Anima, ut sit libera, necessario (ex Sectione præcedenti) cognoscit et appetit; unde relate ad *subjectum* seu animam deduximus ejus immaterialitatem, spiritualitatem atque essentiam metaphysicam. Ast omnis cognitio et appetitio præter subjectum cognoscens vel appe-

principium, quo animalitas corporis humani in suo *esse* specifico animalitatis constituitur, non plane concipimus.

(1) Quamvis et nos, modo recte intelligamur, animas brutorum ad classem spirituum revocare possemus, sed quibus intellectus et voluntas desit atque adeo vita cum corporis dissolutione pereat. Sequi in hac re liceret S. Gregorium Magnum, qui *Dialogor.* Lib. 4. Cap. 13. ita habet: *Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus : unum, qui carne non tegitur; alium, qui carne tegitur, sed non cum carne moritur; tertium, qui carne tegitur, et cum carne moritur. Spiritus namque est, qui carne non tegitur, angelorum; spiritus, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum; spiritus, qui carne tegitur, et cum carne moritur, jumentorum omniumque brutorum animalium. Homo itaque sic in medio creatus est, ut esset inferior angelo, superior jumento*

tens supponit *objectum*, quod cognoscatur vel appetatur; unde altera metaphysica quæstio oritur: *quomodo* nempe subjectum cognoscens vel appetens connectatur cum objecto cognito vel appetito, seu quomodo subjectum perveniat ad varia objecta sive cognoscenda sive appetenda. Quare duplici Capite hæc Sectio absolvi poterit, in quorum 1) de origine cognitionum, et in 2) de origine appetitionum agetur.

CAPUT PRIMUM.

De origine cognitionum.

71. Quæstio hæc, quamvis primo obtutu non adeo difficilis videatur, tamen tum per se obscura, tum tot tricis ob varias et diversissimas Philosophorum opiniones implicata jam est, ut ab accuratâ analysi cognitionum nostrarum necesse sit inchoare; ut deinceps, quæ sit juxta nostram opinionem singulorum cognitionis nostræ elementorum origo, et quomodo hæc elementa in unam cognitionem coalescant, perspicue, quantum fieri potest, elucescat. Itaque

72. *Objecta* cognitionum nostrarum sunt vel *sensibilia*, uti arbor quædam individua; vel *insensibilia*, ut esse, verum; vel *sensibilia ad instar insensibilium*, uti arbor in genere spectata, vel in individuo ut mere possibilis. Perceptio sensibilium *idea* vel *conceptus sensualis*; perceptio insensibilium *idea* simpliciter, *notio* vel *intuitus*; perceptio vero sensibilium ad instar insensibilium *conceptus* simpliciter, vel *conceptus stricte dictus*, aut, si sit conceptus genericus vel specificus, etiam *universalis*

vocatur. *Idea sensualis* et *conceptus stricte dictus* communi nomine etiam *cognitio* appellatur, dum agitur de rigorosâ vocis acceptione, quâ *cognitio* ab *ideâ* simpliciter seu *notione* distinguitur. Vulgari autem loquendi more *cognitio* sumitur *pro omni perceptione veritatis* sive immediatâ sive mediatâ. sive simplici sive compositâ. Hic autem, cum de inquirendo in originem et naturam cognitionum nostrarum agatur, verba rigorose in sensu definito accipienda sunt. — Quæritur itaque:

Quomodo perveniamus 1) *ad ideam sensualem*; 2) *ad ideam* simpliciter, et 3) *ad conceptus.*

73. Ad quam rem prænotare oportet, sæpe nos sentire impressiones ab objectis externis, quin tamen de iis cognitionem seu proprie dictam ideam sensualem habeamus. Ergo impressio et sensatio consequens distinguenda est ab ipsâ ideâ seu cognitione sensuali, *neque sensatio sola constituit per se jam cognitionem*. Sic cum in aperto campo versamur, plurima objecta nos circumdant, aguntque in organa nostra et consequenter impressionem aliquam in nobis producunt, quin tamen singulorum ideam sensualem proprie dictam seu cognitionem habeamus. Tum vero dicimus proprie rem aliquam nos cognoscere, cum eam ita percipimus, ut per proprias aliquas notas eam ab omni aliâ distinguamus, atque adeo implicite judicemus: *objectum hoc est ens tale*. Per τό *tale* intelligo itaque complexum eorum modorum, quibus objectum aliquod sensibile ab aliis rebus secernitur, et in se determinatur ac quasi circumscribitur, ut sit *tale ens* (individuum). Ergo omnis idea sensualis, ut sit vera cognitio, est *judicium* aliquod *implicitum*, ac propterea composita ex duobus quasi elementis, sed in unam conscientiam

unitis (1) : nempe *ex sensatione entis talis* et *ex ideâ entis vel τοῦ esse simpliciter*. Idea entis vel τοῦ *esse simpliciter* est norma, quâcum comparat et juxta quam dijudicat intellectus omne id, quod per sensus repræsentatur, et inveniens in eo conformitatem aliquam et similitudinem cum normâ omnis *esse*, illud affirmat ut *esse tale*, i. e. ut *ens talem* cum normâ *conformitatem seu similitudinem habens*, atque ita ideam τοῦ *esse simpliciter* cum sensatione *entis talis* sub unâ conscientiâ complectens format ideam sensualem, (2) tanquam conceptum et judicium implicitum.

Itaque, ut ad primam quæstionem, scilicet : *quomodo*

(1) Ut, quid per unionem duorum elementorum cognitionis *in unâ* vel *sub unâ conscientiâ* intelligam, hic statim initio justa capiatur notitia, animadverto, me per hoc aliud non velle, quam nos, dum implicite judicamus, aliquid esse ens tale, non habere seorsim conscientiam distinctam entis simpliciter et seorsim aliam conscientiam entis talis, sed utriusque unicam conscientiam. Distinctam enim utriuslibet elementi seorsim spectati conscientiam nonnisi studio et reflexione adhibitâ ex analysi rigorosâ cognitionis acquirit philosophus solus. — Sic, ut exemplo res declaretur, dum legimus vocem aliquam v. g. *turris*, non seorsim conscientiam distinctam habemus vel *singularum litterarum* et earum ad hanc vocem formandam *combinationis*, et conscientiam aliam seorsim significationis seu *ideæ*, quæ per hanc vocem repræsentatur, sed utriusque et *vocis* et *ideæ* unam conscientiam habemus ita, ut distinctam utriuslibet seorsim spectati conscientiam solum per attentionem peculiarem acquiramus. Quis vero jam me argueret, si dicerem, me, dum lego vocem *turris*, duplicem quidem habere notionem, scilicet *vocis* ipsius et *ideæ* per eam repræsentatæ, ast *unicam cognitionem* seu *unicum conceptum*, quia utramque illam notionem *sub unâ* vel *in unâ conscientiâ* conjungo? Atqui idem prorsus intelligo, dum dico, *ideam* τοῦ *esse simpliciter* et *sensationem entis talis* sub unâ conscientiâ concipi. Entia enim talia sunt quasi *litteræ* et *voces*, quæ repræsentant *ideas* τοῦ esse, veri, justi, pulchri etc. atque hinc fit, ut, quemadmodum vox *turris* sine notione *ideæ* per illam repræsentatæ nullam *cognitionem* efficeret, ita *entia talia* sine notione *idearum*, quas illa repræsentant, *sensationem* quidem, qualem etiam bestiæ habent, ast nullam *cognitionem* proprie dictam parere possint.

(2) Vide *Psych. Emp.* Sect. II. Cap. 1 et Cap. 2. Art. 1. Nota. Pag. 21 et seqq. et 28.

perveniamus ad ideam sensualem; respondeamus, respondere simul etiam oportebit ad secundam : *quomodo perveniamus ad ideam simpliciter*; quibus explicatis facile fluet responsio ad tertiam quæstionem : *quomodo perveniamus ad conceptus* stricte dictos ; cum hi per abstractionem ex ideis sensualibus formentur.

Ast alia insuper quæstio nostris temporibus summi momenti hic annectenda est ; videlicet, quomodo scire possimus, objecta cognitionum nostrarum independenter a nostrâ cognitione et extra mentem nostram habere *esse* aliquod proprium, et quale *hoc esse* sit, seu aliis verbis : quomodo probari possit *objectiva realitas cognitionum nostrarum*. Atque hæc est quæstio, quæ simul cum priori de origine cognitionum nostrarum ansam dedit periculosissimis nostrorum temporum systematibus, cum ex eâ male solutâ vel in empirismum et ex eo in materialismum et atheismum, vel in idealismum sive subjectivum, sive objectivum seu pantheismum modernum prolapsi sint

Itaque in hoc Capite, ut tota theoria cognitionis, quantum fieri potest, elucescat, in originem et objectivam realitatem cognitionum nostrarum ita inquiremus, ut distinctis articulis 1) de origine sensationum, 2) de origine idearum, et 3) de objectivâ realitate cognitionum nostrarum agamus.

ARTICULUS PRIMUS.

De origine sensationum.

74. Existere res sensibiles seu corpora extra nos, præter idealistas nemo negat. Ast etiam inter non-idealistas sunt philosophi nonnulli, qui putant, sensationes nos-

tras non à corporibus, sed immediate a Deo oriri, negantes, ullam inter animam et materiam intercedere posse actionem, vel ullas ex mutuo earum influxu oriri posse sensationes. Quapropter hic inquirendum, *unde* seu *quomodo* sensationes acquiramus, aut in quo consistat harmonia illa inter animam et corpus, quam *commercium animæ cum corpore* vocant, vi cujus cum certis in corpore motibus certæ in animâ affectiones, et vicissim cum certis in animâ affectionibus certi in corpore motus existant. Sunt autem tria circa eam rem celebriora systemata.

I. Est systema causarum occasionalium, etiam systema assistentiæ vocari solitum, auctoribus Cartesio (1) et Mallebranchio (2), juxta quod commercium corpus inter et animam in eo situm est, quod Deus secundum certas leges sibi libere præstitutas pro occasione motuum corporis sensationes analogas in animâ, et pro occasione affectionum animæ motus analogos in corpore ipse immediate producat. Nam juxta Mallebranchium non solum corpora non possunt esse causa ullius rei, sed nec animæ etiam, nobilissimæ illæ substantiæ, quidquam possunt, nisi Deus eas immediate afficiat, nec sentire, neque vero vel minimum corpus movere, eo quod nulla sit connexio necessaria inter voluntatem v. g. movendi brachium, et ipsum motum brachii.

II. Est systema harmoniæ præstabilitæ, quod à Leib-

(1) Cartesium tamen aliqui putant pro influxu physico potius stetisse. Conf. Storchenau: *Psych.* Part. II. Sect. II. cap. 5. nº CCI. Schol.
(2) *Recherche de la vérité*, Liv. VI. Part. II. Chap. 3.

nitzio (1) excogitatum et a Wolfio (2) illustratum his tribus potissimum capitibus continetur : *a*) anima humana ingenitâ sibi efficacitate omnes suas actiones peragit, quin ullo modo dependeat ab impulsionibus in organa sensuum factis, ita quidem, ut omnes sensationes, appetitiones affectionesque, quæ in nobis enascuntur, experiremur, etsi nullas ab extra commotiones, imo etsi nullum corpus haberemus. Perceptiones nempe juxta ipsos continuâ serie ab animâ producuntur ita, ut quilibet animæ status semper in præcedenti statu sufficientem sui rationem habeat et ipse sit ratio sufficiens subsequentis : unde animam *automaton incorporeum et spirituale* vocant ; *b*) *corpus humanum* dicunt *automaton materiale*, cujus nempe motiones omnes ex solâ mechanicâ ejusdem structurâ proveniant, quin ad eas quidquam anima conferat; ut adeo juxta Wolfium, Archimedes eadem ingeniosissima geometriæ scripta composuisset, etiamsi animam non habuisset ; *c*) ut jam explicent, quâ ratione duo ista automata, anima et corpus, quorum alterum ab altero nullatenus dependet, in suis actionibus usque adeo conspirent, docent ita : Deus, priusquam dissimiles has naturas conjungeret, prænovit omnem seriem mutationum affectionumque tam in animâ, quam in corpore futurarum, cuivis ergo animæ conveniens corpus conjungere potuit, et revera, uti providus mundi gubernator, etiam conjunxit, in quo scilicet series motionum accurate semper congruat cum serie ac-

(1) Consule varia ejus opera : Principia philosophiæ, a § 18 ad § 25.— *Principes de la nature et de la grâce fondés en raison.* — *Eclaircissement sur l'union de l'ame et du corps.*—*Réplique de M. Leibnitz aux réflexions de M. Bayle.*

(2) *Psych. Rat.* sect. III. cap. 4. § 614 et seqq.

tionum illius : unde etiam hanc inter corpus et animam *harmoniam præstabilitam* vocant.

III. Est SYSTEMA INFLUXUS PHYSICI, cujus hæc est doctrina. Anima et corpus, naturæ cæteroquin dissimiles, arcto quodam et physico vinculo inter se copulantur ita, ut factis in organa sensuum impressionibus et ad cerebrum propagatis determinetur mens ad rerum sensationes (1), et vicissim, subortâ in animâ cujuspiam membri commovendi voluntate, illico impellantur nervi voluntariique motus efficiantur. Unde censent, animam facultate movendi corpus præditam esse, eamque verè in corpus agere, ita ut motus in corpore oriantur atque etiam reprimantur ad arbitrium animæ.

Triplex hoc systema hâc similitudine solet illustrari. Sint duo horologia, quæ semper accuratissime concordent. Concordia hæc triplici viâ obtineri potest : 1) si quis continuo adsit, qui manu utrique horologio constanter applicatâ eosdem in utroque motus continuo producat; 2) si artifex horologia ista ita accurate efformet,

(1) Quâ ratione alii influxum physicum explicent, non moramur. Nos quidem animam in corpus vere agere seu illud activitate suâ in motum ponere contendimus; corpus vero in animam non ita agere putamus, ut ipsa materia corporis in animâ sensationem producat, sed hoc tantum sensu ad sensationes proprie dictas actione suâ concurrere, quod impressionem ab objectis acceptam per commotionem ad sensorium commune transmittat atque animæ sufficienter præsentem sistat, ut hæc vi sibi intrinsecâ illam et per illam objectum, ad quod refertur, percipiat. Anima enim, utpote finita, certam quamdam sphæram activitatis, uti pro cognitionibus, ita etiam pro sensationibus habeat necesse est, ut adeo impressiones minimas et eas, quæ duntaxat superficiem corporis externam attingunt, quin commotionem ad cerebrum propagandam excitent, uti v.g. aer tranquillus, non percipiat, nisi majori attentionis intensione ad eas advertat. Sic oculus plus minusve debilis vividius et proximius objectum requirit, ut impressio visualis adesse possit. Itaque per hæc verba : *determinatur mens ab impressionibus*, simpliciter intelligo, impressiones quasi sisti intra sphæram activitatis animæ et sufficientes esse, ut anima illas percipiat.

ut utrumque suis in motibus easdem ad amussim leges sequatur, atque eadem initio motûs ita dirigat, ut sibi mutuo correspondeant : hâc enim ratione eâdem harmoniâ motus suos continuabunt, ita ut nunquam dissentiant ; 3) demum, si eadem ita connexuerit artifex, ut alterum agat in alterum mutuâ quâdam dependentiâ. Prima via *systema assistentiæ* ; secunda *harmoniæ præstabilitæ*, tertia *influxûs physici* repræsentat.

Schol. Datur et quartum systema, scilicet *mediatoris plastici*, a Joanne Leclerc Batavo excogitatum, qui, ut commercium animæ cum corpore explicaret, finxit in nobis esse principium quoddam vivens, nec omnino spirituale, nec omnino materiale, cujus ministerium sit, ad animæ imperium movere corpus, et occasione motuum corporis de iis animam admonere, ipsi sensationes gratas vel ingratas imprimendo. Principium hoc vocavit *mediatorem plasticum*. Ast systema hoc non solum gratis assertum est ; cum inter compositum et simplex medium dari non possit ; sed insuper etiam inutile est, atque in easdem incurrit difficultates, propter quas solvendas assumptum est. Si enim mediator ille est compositus ac proin materialis, quomodo agit in animam ? Si vero simplex, quomodo agit in corpus ?

Itaque hoc prætermisso examinabimus tria reliqua, de quibus, utut quæstio per se intricata est, ita videtur esse statuendum :

75. PROP. I. Systema causarum occasionalium sive assistentiæ sustineri nequit.

Prob. 1° Inter corpus et animam ea unio intercedit, vi cujus ex duabus istis substantiis oritur compositum

humanum, quod communi omnium consensu est una natura unaque persona humana ; id quod adeo patet ex eo, quod omnes homines nec soli animæ nec soli corpori, sed homini ex utroque coalescenti actiones denominative tribuant, v. g. dicendo, homo sentit, homo loquitur etc.; ergo inter corpus et animam non apparens tantum, sed vera et realis unio et dependentia intercedit : atqui, ut recte ait Leibnitzius, duo horologia, quæ solum per artificis utrique constanter applicatam manum consonarent, certe ex hoc unita dici non possent ; ergo nec inter mentem et corpus vera intercedit unio juxta systema assistentiæ.

2° Intime sentimus, ut corpus nostrum moveatur, non sufficere in nobis simplicem volitionem, sed reapse agere nos debere. Aliter enim sentimus nos constitutos, cum curru vehimur, aliter, dum pedibus ambulamus : in priori casu patimur, in posteriori agimus. Atqui, si volitio non sit nisi occasio, quâ præsente Deus in corpore motus producat, fallimur per sensum intimum, quo intime sentimus nos agere, quod est absurdum ; ergo....

3° Repugnat *sapientiæ divinæ,* ut aliquid *inutiliter* faciat : atqui in systemate assistentiæ *inutilis* esset tantus in corpore nostro organorum apparatus, tam exquisita oculorum, aurium, cerebri, omnium membrorum sensitivorum structura, ut vere alia esse non posset, si corpus animæ ut instrumentum sensationum suarum adjunctum esset. Deus enim non indiget illo apparatu, nequidem quâ occasione, ut affectiones in animâ excitet. *Inutilis* esset etiam ipsa unio animæ cum corpore. Affectiones enim animæ perinde motionum a Deo in corpore, et mo-

tiones corporis affectionum in animâ excitandarum occasio esse possent, etiamsi mens a corpore omnino sejuncta existeret. Simili modo ratiocinatur etiam D. Thomas (1) : *Contra rationem sapientiæ est,* inquit, *ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatæ nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus operatur, frustra essent ab ipso adhibitæ aliæ res ad producendos effectus.* Ergo...

Vide etiam argumenta in Criterio sensuum externorum (2) allata, quæ sunt totidem rationes etiam contra systema assistentiæ.

76. PROP. II. SYSTEMA HARMONIÆ PRÆSTABILITÆ PRORSUS REJICIENDUM EST.

Prob. Illud systema est prorsus rejiciendum, quod 1) tollit omnem veram animæ et corporis unionem ; 2) pugnat cum principio rationis sufficientis, et 3) tollit omnem libertatem : atqui systema harmoniæ præstabilitæ

1° *Tollit veram unionem animæ et corporis.* Namque argumentum Leibnitzii contra Mallebranchium etiam in ipsum retorqueri potest. Etenim duo horologia, quæ nonnisi propterea consonent, quod ab artifice accuratissime efformata easdem utrumque in suis motibus leges ad amussim sequantur, certe propterea unita dici non possunt ; ergo nec animam inter et corpus vera unio intercedit, si citra connexionem physicam series motionum affectionumque in utroque congruant ; ergo....

2° *Pugnat cum principio rationis sufficientis.* Nam juxta

(1) Contra Gent. Lib. 3. Cap. 69.
(2) *Logic.* Part. II. Sect. 3, Cap. 3. Pag. 139 et seqq.

hoc systema quivis status animæ non in corpore aut ejus motionibus, sed in præcedenti statu animæ rationem sufficientem habet : atqui multi status animæ rationem suæ existentiæ in præcedenti habere nequeunt. Sic. v. g. certe status somni non in statu vigiliæ, doloris non in statu gaudii etc. rationem habet, et cum ex Lexico percurro has v. g. ideas, Aaron, Aristides, Bucephalus, Cæsar etc., totidem diversi sunt status animæ ; quis autem eo usque desipiat, ut dicat, ideam Aristidis in ideâ Aaronis, ideam Cæsaris in Bucephali etc. rationem sufficientem suæ existentiæ habere ; ergo....

3° *Tollit omnem libertatem*. In hoc enim systemate anima ita agit in serie continuâ, ut status antecedens contineat rationem sufficientem subsequentis , seu ut quivis status animæ , ut loquitur Leibnitzius, sit gravidus futuro ; ergo posito statu primo animæ omnes reliqui totius vitæ in eo tanquam in suâ radice ponuntur, adeoque omnis volitio vel nolitio in præcedentibus jam ita determinata est, ut neque ipsa omitti, neque contraria poni possit : atqui hoc destruit ipsam essentiam libertatis ; ergo....

Dicunt : 1° *Seriem volitionum cum primo statu ab animâ electam esse*. Verum electio fieri nequit sine præcedente perceptione, quæ ipsa est status animæ; ergo nec eligi ab animâ potuit primus status. Dein dato etiam, animam primum statum elegisse, non propterea reliqui status sui ex eo evolvendi ipsi liberi essent, nisi eos clare præviderit : atqui omnes ex primo subsecuturos status prævidere non potuit; ergo....

Dicunt : 2° *Solum perceptiones posteriores ex prioribus sequi*. Verum ad statum animæ imprimis pertinent etiam

volitiones ; ergo si *quivis status* est gravidus *futuro statu*, omnis *etiam volitio* subsequens in præcedenti continetur. Dein cum juxta Leibnitzium perceptio boni est ratio sufficiens volitionum, hæ non minus *necessariæ* et non liberæ forent, etsi solæ perceptiones immediatâ serie evolverentur.

77. PROP. III. SYSTEMA INFLUXUS PHYSICI, ETSI DIFFICULTATIBUS NON CAREAT, DEFENDI TAMEN POTEST.

Prob. Illud systema defendi potest et quidem cum magnâ probabilitate, quod 1° impossibile non demonstratur, et 2° melius rationem reddit commercii corporis et animæ : atqui systema influxûs physici.

1° *Impossibile non demonstratur.* Nam juxta hoc systema *a*) *anima agit in corpus*, eam membrorum motionem imperando et exequendo, quam expedire judicat ; et *b*) *corpus item agit in animam*, i. e. animæ impressionem materialem sufficienter præsentem sistit, ut vi sibi propriâ impressionem percipiat seu ut sentiat. Atqui neutrum horum repugnat.

Non repugnat *a*) *ut anima agat in corpus.* Nam si id animæ repugnaret, repugnaret vel *quia spiritus*, vel *quia finita est :* atqui ob neutram causam repugnat. *Non ob primam.* Si enim omnino repugnat, ut spiritus corpora movere possit, nec ipse Deus ea movere poterit ; est enim et Deus spiritus, et quæcunque dicuntur de spiritu *ut sic*, etiam de Deo intelligi debent : atqui hoc absurdum esse tum patet per se, tum ex eo, quod ita materia, quam moveri videmus, necessario *a se* moveri debeat. Quidquid enim existit, vel spiritus vel materia est ; ergo si materia a spiritu moveri non possit, restat,

ut a se ipsa moveatur, quod utique non admittent. *Non ob secundam.* Nam ex eo, quod anima humana finita sit, sequitur tantum facultatem movendi corpora intra certos solum limites ei competere posse. Finitudo enim entis nunquam est ratio, ut ens aliquam perfectionem dicatur non habere, quæ cæteroquin ipsius naturæ non repugnat. Sic certe ex finitudine mentis male quis concluderet, eam nihil posse intelligere; ergo a pari....

Non repugnat *b*) *ut corpus animam determinet ad perceptionem* seu *sensationem internam.* Nam mens neque per se, neque per essentiam suam ad unam potius, quam ad alteram sensationem determinatur; ergo ratio sufficiens hujus determinationis est vel in statu præcedenti, vel in Deo, vel in objectis per corpus repræsentatis; non in statu præcedenti ex Prop. II., neque immediate in Deo ex Prop. I.; ergo in objectis per corpus repræsentatis; ergo.... Vide Criterium sensuum externorum (1).

2° *Melius rationem reddit commercii corporis et animæ.* Nam hoc systema veram rationem sufficientem determinat, quæ est in corpore quarundam animæ perceptionum, seu sensationum, et quæ est in animâ quorundam, i. e. voluntariorum corporis motuum, atque sic veram unionem corporis et animæ mutuumque commercium stabilit; cætera vero systemata nec veram et propriam unionem, sed moralem tantum et impropriam statuunt, nec nodum commercii mutui solvunt, sed secant; ergo systema influxûs physici cæteris præferendum est.

(1) In *Log. Appl.* Sect. 3, Cap. 3, Pag. 189 et seqq

Adde sensum communem huic opinioni faventem et invincibilem in omnibus propensionem, sensationes suas, v. g, dolorem etc., attribuendi influxui corporis in animam, et vicissim v. g. ebullientem sanguinem influxui iræ, ideoque animæ in corpus.

OBJECTIONES.

78. OBJ. 1° Non potest concipi, quomodo anima agat in corpus; ergo ille influxus asseri nequit.

R. *Tr.* vel *C. Ant. N. Cons.* Nunquam enim impossibilitas concipiendi, quomodo res quædam sit, potest esse ratio negandi ejusdem existentiam aliunde sufficienter probatam. Certe neque concipimus, quomodo anima suas volitiones producat, et tamen nisi omnem libertatem, ethicam atque adeo religionem subversam velimus, negare non possumus, eam vere suarum volitionum esse productricem. Cæterum hæc difficultas in ipsius auctorem Mallebranchium toto pondere recidit; siquidem admittat, Deum agere in corpora : atqui non magis concipitur, quomodo Deus, quam quomodo anima agat in corpora. Ergo ex impossibilitate concipiendi modum hujus actionis actio ipsa neganda non est.

OBJ. 2° Anima non cognoscit corporis mechanismum; ergo eo mediante nequit movere corpus.

R. *C. Ant. N. Cons.* Pulsans organum propterea internam organi structuram cognoscere non debet; ergo et anima poterit movere corpus, quin ejus mechanismum cognoscat.

Inst. 1° Saltem anima, ut organista quas pinnas tan-

gere, ita ipsa quos nervos et quomodo movere debeat, cognoscere debet; atqui id non cognoscit; ergo.....

R. *C. Maj.* et *D. Min.* Anima quos nervos et quomodo movere debeat, non cognoscit *clare et distincte*, *C. Min.* Non cognoscit *obscure et ex longo exercitio*, *N. Min.* et *Cons.* Anima enim longo usu addiscit, quos nervos et quomodo movere debeat ad producendos motus desideratos. Sic pueri, tametsi membra corporis jam satis efformata habeant, non tamen statim omnes illos corporis motus exercere possunt, quibus postmodum longo usu paulatim assuescunt: imo ipsi etiam adulti motus paulo difficiliores, linguæ præsertim, manuum et pedum, nonnisi multiplici industriâ et assiduâ exercitatione efficere possunt, ut apparet v. g. in iis, qui musicæ, arti gladiatoriæ, saltandi, scribendi etc., operam navant.

Inst. 2° Atqui anima deberet clare et distincte cognoscere nervos, quos movere debeat; secus accidere posset, ut volens movere brachium moveat pedem, sicut organista, nisi distincte noscat pinnas, loco *ut* posset tangere *mi*; ergo.....

R. *N. Min. Subsumpt.* et *Rat. addit.* Nam quemadmodum necesse non est, clare et distincte cognoscere singulas litteras alicujus vocis, ut vocem ipsam legam, ita necesse non est clare et distincte cognoscere singulos nervos corporis, ut corpus, vel singulos nervos membri alicujus, ut hoc membrum moveam. Nempe vi et efficaciæ voluntatis non solum explicitum objectum voluntatis, sed etiam ea omnia subjecta sunt, quæ implicite et indivulse cum objecto explicito connectuntur. Sicuti enim, cum vim motricem admoveo currui, huic vi cum curru etiam rotæ

ei annexæ subjectæ sunt, etsi immediate et explicite eam vim non applicem rotis, ita vi et efficaciæ voluntatis v. g. movendi pedem subjecti sunt etiam nervi et musculi pedis. etsi voluntas in nervos et musculos explicite et immediate non tendat, adeoque nec distincte eos cognoscat. Ex hoc responso patet exemplum organistæ hic non quadrare.

Inst. 3° Si efficaciæ voluntatis subjecta sint omnia cum objecto voluntatis connexa, hæc nunquam effectu suo frustraretur: atqui sæpe tamen effectu suo frustratur. Sic v. g. nervo aliquo vulnerato aut male affecto, anima, utut velit movere pedem, non potest; ergo efficaciæ ejus voluntatis non omnia sunt subjecta, quæ cum objecto voluntatis connexa sunt.

R. *D. Maj.* Voluntas nunquam effectu suo frustraretur in iis, ad quæ se exporrigit ejus efficacia, *C. Maj.* In iis etiam, quæ ejus efficaciam absolute superant, *N. Maj.* et *D.* pariter *Min. N. Cons.* Nempe, uti omnes animæ facultates, ita etiam efficacia ejus voluntatis finita, adeoque non omnibus obstaculis superior est. Itaque quemadmodum vis quædam motrix currum movere non poterit, si omnes quatuor rotæ sint interceptæ, nisi tanta sit, ut currum etiam per modum trahæ trahere queat, ita efficacia voluntatis pedes, nervis v. g. fatigatis, movere non poterit, nisi lassitudine superior evadat. Sit v. g. fur ex fugâ satellitum persequentium ita fatigatus, ut corruat; non hic quidem, quamdiu efficacia voluntatis eadem manet, rursus curret: ast aucta v. g. visis satellitibus, efficacia voluntatis lassitudine jam superior evadet, et fur novo impetu se proripiet, non se prorepturus, si crura fregisset, quia eo usque efficacia voluntatis nequit se extendere. Similia exempla finitæ quidem, sed tamen majoris, quam

vulgo creditur, efficaciæ voluntatis in corpus ejusque morbos plurima afferri possent

OBJ. 3° Nulla substantia potest transfundere suum modum in aliam; ergo nulla potest agere in aliam, adeoque nec anima in corpus.

R. *C. Ant. N. Cons.* Substantia enim, agendo in aliam, non transfundit suum modum, sed novum producit in patiente.

Inst. 1° Nemo dat, quod non habet : atqui ita substantia agens produceret modum, quem non habet; ergo eum dare nequit.

R. *D. Maj.* Nemo dat, quod nullo modo habet, *C. Maj.* Quod, non quidem *formaliter*, sed tamen *virtualiter* seu quà ratio sufficiens habet, *N. Maj.* et pariter *D. Min. N. Consc.* Argumentum hoc præterea nimium adeoque nihil probat. Probaret enim, nec Deum posse creare realitatem finitam, nec animam producere cogitationem vel volitionem, quia eam formaliter non habent.

Inst. 2° Hæc productio esset creatio : atqui finitum non potest creare; ergo....

R. *N. Maj.* Nam creare est dare existentiam *omnibus realitatibus* entis simul : ast anima agens in corpus *nullam realitatem*, sed tantum in substantiâ jam existente *modos* producit. Profecto non creat anima, dum seipsam modificat; ergo neque cum modificat corpus.

NB. Objectiones hucusque allatæ, sunt contra actionem animæ in corpus; eæ vero, quæ sequuntur, sunt contra actionem corporis in animam.

OBJ. 4° Si corpus agat in animam. materia, qualis est

corpus, efficeret repræsentationes et sensationes: atqui hoc est absurdum et olet materialismum; ergo....

R. *D. Maj.* Materia efficeret impressionem materialem et commotionem aliquam in nervis sensoriis et fibris cerebri tanquam objectum repræsentationis et sensationis, *C. Maj.* Materia efficeret ipsas sensationes seu internas animæ perceptiones, quatenus supponunt actum necessario ab intrinseco determinandum. *N. Maj.* Atqui hoc ultimum solum materialismo faveret; ergo *N. Min. N. Cons.* Scilicet objecta externa faciunt impressionem in organa; hæc impressio materialiter propagatur ad sensorium commune, atque ita quasi intra sphæram activitatis animæ sistitur; hanc dein impressionem anima actu intrinseco intuetur et per eam objectum externum percipit. Unde materia ad perceptiones animæ id solum præstat, ut objectum externum per impressionem materialem animæ sufficienter præsens sistat.

Inst. Atqui id ipsum intelligi nequit. Nam semper admitti debet, objectum præsens sisti per commotionem aliquam cerebri: atqui id admitti nequit; secus hujus commotionis conscii essemus, sciremusque, quæ cerebri pars et quomodo moveatur.

R. *D. Min. Subspt.* Non intelligimus id fieri, *N. Min. Subspt.* Non intelligimus modum intimum, quo fiat, *C. Min. Subspt.* Ast ex eo, quod non intelligamus modum, quo id fiat, non sequitur, ita non fieri, cum argumenta non contemnenda et invincibilis inclinatio nobis persuadeant influxum physicum. Dein

C. Maj. N. Min. et *Rat. addit. D.* Essemus conscii hujus commotionis, si illam claro et distincte percipere-

mus, *C*. Si tantum obscure perciperemus et cum perceptione objecti confunderemus, *N*. Itaque videtur anima, percipiens aliquam impressionem, percipere etiam debere ipsam commotionem : ast necesse non est, ut eam distincte percipiat adeoque illius conscia sit, quia nimirum commotionem cum ipsâ repræsentatione confundit. Sic videns turrim a longe video certe et lapides, cum sine lapidibus turris non sit : ast lapides *non distincte* video, sed tantum *confusos cum turri*, adeoque nec eorum conscientiam habeo; ita quidem ut etsi coner, quamdiu in eodem statu et distantiâ permaneam, lapidum distinctam notionem habere non queam. Unde etiam concipi potest, quomodo anima in ordine a divinâ providentiâ statuto, utut velit, hujus commotionis cerebralis distinctam repræsentationem acquirere non possit, quia nimirum Deus in eo statu animam constituit, ut per commotionem percipiat objecta externa, non vero ut possit percipere distincte etiam ipsam commotionem.

OBJ. 5° Si, uti ex hoc systemate sequitur, anima in sentiendo pendet a corpore, non intelligitur, quomodo separata a corpore sentire ac proin vivere possit; ergo hæc sententia adversatur immortalitati animæ.

R. *N. Ant.* et *Cons.* Anima enim in sentiendo non dependet a corpore ex naturâ suâ, quasi sine corpore sentiendi ex naturâ suâ sit incapax, sed tantum ex unione cum corpore a Deo ita stabilitâ. Itaque hæc dependentia non est animæ interna, sed externa et contingens, ut adeo, qui animam a corpore sejunctam sentire non posse timet, similis sit ei, qui putat, se in aperto campo so-

lem amplius non visurum, eo quod fenestris careat, per quas antea, in cubiculo constitutus, solem aspexerat. Cæterum non in solis sensationibus vita animæ consistit (1), sed maxime in operationibus intellectualibus, quæ sine corpore possunt exerceri, et quidem liberius, quam in corpore, uti jam Cicero (2) animadvertit dicens : *Ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, callidissimo artificio naturâ fabricata sint, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo. Cum autem nihil erit præter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidve sit*

Itaque repræsentationes omnesque sensationes quà tales oriuntur ex influxu physico seu mutuâ actione corporis in animam et animæ in corpus.

79. Schol. Quæstio hic tractari solet de *sede animæ*, seu ubi anima existat. Certum quidem est, animam in corpore nostro esse : ast in quâ corporis parte specialius præsens sit, dissentiunt Philosophi. Veteres docebant, animam per totum corpus quasi diffundi, totamque esse in toto corpore et totam in singulis ejus partibus : quâ in re, modo per *diffundi* non intelligant diffundi per modum extensi vel compositi, quod aliunde obstaret, quominus tota sit in toto corpore et tota in singulis ejus partibus, nihil est, quod opponam, tanto magis, quod,

(1) Ut patet ex iis, quæ supra Sect. 1. Cap. 3. de immortalitate animæ retulimus. Pag. 149 et seqq.

(2) Tuscul. Quæst. Lib. 1. Cap. 20.

quæcunque de sede animæ sententia teneatur, semper necesse sit, aliquam in animâ humanâ, ut ita dicam, *immensitatulam* admittere, ut infra de immensitate Dei agendo dicemus, attamen

Recentiores communiter docent, animam *entitative* in cerebro existere fixam; id quod probabilissimum esse videtur. Nam

Ibi probabilissime anima existit ex Propositione præcedenti, ubi 1) activitatem suam aptissime in membra corporis exercere, et 2) facillime admoneri possit de impressionibus objectorum externorum, quæ, si mala sint, fugiat, si bona, appetat et diligat: atqui utrumque residens in cerebro aptissime et facillime præstare potest. Ex cerebro enim, uti ex Anatomiâ constat, nervi omnes usque ad extremas corporis partes diffunduntur per modum ramificationis; et sicut funiculus tensus non potest agitari in alterâ sui extremitate, quin simul agitetur et altera extremitas, ita nervi a puncto confluxûs usque ad corporis extremitates tensi, in aliquâ sui parte, si modo corpus sanum sit et libera nervorum inter se communicatio, commoveri non possunt, quin moveantur in omnibus partibus; ergo si objecta in proximas agunt nervorum extremitates, motus ille referetur usque ad alteram extremitatem, i. e. ad cerebrum ipsamque animam, et vicissim anima in puncto confluxûs consistens, si nervorum extremitates sibi contiguas moverit, movebit quoque partes sui corporis cum alterâ extremitate connexas; ergo anima probabilissime existit in cerebro.

ARTICULUS II.

De origine idearum.

80. Circa originem idearum inde ab antiquitate ad hæc usque tempora inter se disputant Philosophi, in duas maxime sententias divisi : quorum alii omnes ideas a mente PER SENSUS acquiri contendunt ; alii vero asserunt, aliquas saltem ideas per sensus non acquiri, sed IMMEDIATE IN RATIONE fundari.

PRIMÆ SENTENTIÆ inter Antiquos est Aristoteles (1) comparans mentem humanam primitive cum tabulâ rasâ, cui per impressiones sensuales ideæ successive inscribantur. Hujus exemplum dein secuti sunt Peripatetici hoc celebri effato usi : *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Eidem sententiæ inter Modernos adhæsit Locke (2) Anglus, qui omnes ideas a sensibus, intimo vel externis, oriri docet aut immediate per sensationes aut mediate ope reflexionis, abstractionis, compositionis et ratiocinii. Hujus vestigiis institit Condillac (3), qui per principium, ut ipse vocat, transformationis sensationum omnes operationes mentis ad attentionem, attentionem vero ipsam ad sensationem reducit. Demum eidem principio aliter atque aliter explanato adhærent asseclæ *sensismi* seu *scholæ sensistarum* in Galliâ, qui ut plurimum putidum materialismum docent. Inter istos Broussais, Cabanis, de Tracy, Volney, ipse etiam aliquatenus Laro-

(1) De animâ.—Lib. 3. t. 5. 6.
(2) *Sur l'entendement humain.*
(3) *Essai sur l'origine des connaissances humaines* et *Traité des sensations.*

miguiere, quamvis conclusiones a materialismo alienas deducat ex principiis sensualismo faventibus; et hujusmodi alii præcipue numerantur (1).

SECUNDÆ SENTENTIÆ inter Antiquos est Plato, qui supponit, animas in statu quodam priori immediate in Deo intuitas fuisse ideas, quas quidem etiamnum habeant, sed quarum claram intuitionem, ex quo in corpora detrusæ sint, perdiderint. Excitari tamen illas ideas, in animâ quasi in agro fecundo seminatas, per impressiones sensuales ab objectis externis, utpote in quibus similitudo quædam illarum idearum resplendeat, per quam ad reminiscentiam earum excitentur animæ, ut adeo juxta ipsum addiscere non sit nisi reminisci. Inter Modernos ideas rerum intellectualium a sensibus nullo modo oriri docent Descartes, Bossuet (2), Fenelon (3), Mallebranche (4), omnes, ut per se patet, idealistæ germani, et recentissime amplissimo opere D. Rosmini, Italus, qui omnes categorias Kantii ad unam ideam *entis* reducit (5).

(1) Vide tum Aristotelis, tum aliorum, qui hic recensentur, systemata in synopsi hist. phil. fusius exposita.

(2) *De la connaissance de Dieu et de soi-même.*

(3) *De l'existence de Dieu.*

(4) *De la recherche de la vérité*, tom. III. p. 2. ch. 6. 7.

(5) *Nuovo saggio sull'origine delle idee.* Opus hoc tribus voluminibus constat, in quorum primo refutat opinionem eorum, qui cum Locke et Condillac idearum originem a sensibus derivant: in altero evertit doctrinam Platonis, Kantii aliorumque: in tertio denique suam sententiam exponit et confirmare satagit. Videtur autem Cl. Auctor ejus opinionis esse, ideas necessario vel omnes a sensibus derivari, vel aliquas esse innatas, ita ut medium non detur; unde etiam totus est in eo, ut refutatis sensistis unicam ideam, cujus objectum sit τὸ ὂν (in genere seu possibile), tanquam innatam assumendam esse stabiliat.

Circa ingeniosum hoc systema id animadvertere licebit, ideam istam assumi inprimis ut *innatam*, et dein ut ideam *entis* in *genere* seu *possibi-*

81. His expositis nostrùm jam est, ut

I. Refutâ et funditus eversâ primâ sententiâ, invictè probemus, ideas non omnes a sensibus provenire; dein vero

II. In diversos modos inquirentes, quibus nos ad notionem idearum pervenire docent secundæ sententiæ fautores, exponamus, unicam tantum ideam, nempe ideam τοῦ *esse simpliciter* (1) immediate a ratione percipi, et quidem saltem reflexe, occasione sensationis; quâ ideâ rationi prælucente intellectus deinceps omnes reliquos conceptus sibi ipse efformet. Unde sit:

lis. Jam vero inprimis non bene intelligitur, quid hic significet vox hæc *innata* vel *ingenita:* an mens sit formata ita, ut necessario τὸ ὂν cogitare debeat, an vero τὸ ὂν, objectum hujus ideæ, quasi menti inhæreat. In utroque casu difficulter hujus ideæ realitas objectiva et a realitate ipsius mentis distincta ostendi poterit, et systema hoc erit systema vel Cartesii vel Kantii ad simpliciorem, ut ita loquar, expressionem redactum, adeoque easdem etiam fere difficultates vincendas habebit. Dein idea, cujus objectum est τὸ ὂν in *genere* seu *possibile,* necessario supponit ideam τοῦ *esse simpliciter.* Idea enim entis possibilis est idea entis, quod existere potest; ergo prærequirit ideam existentiæ *ut sic* seu τοῦ *esse simpliciter:* prius est enim nosse; quid sit esse aut existere, quam nosse ens, cui *existere* aut *esse* videam convenire posse, uti prius est nosse terminos, quam nosse convenientiam vel disconvenientiam terminorum. Insuper probandum restaret, quale sit *esse* istius entis possibilis, an esse distinctum a mente, an vero idem. Uno verbo, Cl. Auctor egregie refutat sensistas, egregie etiam Kantianum systema, sed passus ulterior faciendus erat, ut hujus ideæ, quam ingenitam assumit, objectivam realitatem probaret.

(1) Ut hic prævie notio accurata habeatur, quid per *ideam* τοῦ *esse simpliciter* intelligam, animadverto, *ideam* τοῦ *esse simpliciter* nullatenus esse *ideam* τοῦ *esse generici* aut *generis supremi*, sed esse *ideam entis absoluti*, cui esse *simpliciter*, *sine ullâ modificabilitate* adeoque sine ullâ restrictione *actu* competat. Quâ ratione ergo cum *esse generico* confundi potest, cum hoc et *modificabile* seu per suas differentias specificabile sit, et non *actu* existat seu non actuale aliquod esse proprium habeat, sed, *in se*, seu prout formaliter concipitur, *nihil*, solum per modum esse logici existat *in individuis*, cjusque notio ad formationem conceptuum adeo non prærequiratur, ut contra ideæ sensuales prærequirantur, ex quibus ipsius notio per abstractionem acquiratur?

82. I. PROP. I. Non omnes ideæ per sensus acquiruntur.

Prob. Illæ ideæ per sensus non acquiruntur, quæ nec proxime nec remote seu nec immediate nec mediate a sensibus derivantur vel omnino derivari possunt : atqui ideæ plures et quidem 1) idea τοῦ *esse simpliciter;* 2) idea veri, pulchri et honesti, sicut etiam idea bonitatis, justitiæ, sapientiæ, omniumque earum perfectionum, quas in Ontologia (1) diximus *simplices,* nec proxime nec remote a sensibus derivari possunt ; ergo....

Prob. Min. Prædictæ ideæ non possunt a sensibus derivari

A. Proxime seu *immediate.* Quidquid enim proxime seu immediate a sensibus derivatur, debet sensus afficere vel colore vel figurâ vel aliâ quâdam sensibili ratione : atqui ideæ illæ sive τοῦ *esse simpliciter,* sive veri vel honesti et reliquæ nullo modo sensus sic afficiunt ; ergo nec a sensibus immediate derivari possunt. Sed neque possunt a sensibus derivari

B. Remote seu *mediate.* Quidquid enim remote seu mediate a sensibus derivatur, debet ex sensationibus educi posse ope sive abstractionis sive reflexionis sive compositionis : atqui tali modo ex sensationibus educi non potest.

1° *Idea* τοῦ *esse simpliciter.* Nam quidquid per sensus percipitur, non est simpliciter *esse,* sed *esse tale* seu *ens*

(1) *Ontol.* Part. I. cap. 4. Pag. 211, ubi perfectio simplex ea esse definitur, quæ in suo conceptu merum esse et nullum non esse involvit, seu quæ sine ullo defectu concipi potest.

tale, i. e. ens talis coloris, extensionis, figuræ, saporis vel odoris, talium demum proprietatum; paucis, *ens cum addito*, seu ens per varios limites et notas varias cum aliis sæpe incompatibiles ad determinatam individualitatem restrictum. Unde ita:

Quidquid per sensus percipitur, est *ens tale:* atqui prius est percipi *ens* seu *esse simpliciter*, quam *ens* seu *esse tale.* Nam omne *ens tale* est *tale* per limitem aliquem et hinc per negationem, quatenus excludit aliquod *esse* seu quatenus cum *esse* simul involvit *non-esse:* atqui idea positiva præcedit ideam sui negativam, nec quidquam negativum concipi potest non præconcepto positivo, cujus est negativum; ergo idea τοῦ *esse* vel *entis simpliciter* præcedit ideam τοῦ *esse* vel *entis talis:* atqui idea, quæ præcedit et prærequiritur ad ideam τοῦ *esse* vel *entis talis*, ex hac nullo modo educi potest; ergo idea τοῦ *esse simpliciter* nec remote a sensibus derivari potest. Sed neque a sensibus, ne remote quidem, derivari possunt

2° Ideæ veri vel pulchri et honesti omniumque perfectionum simplicium. Nam

a) Quidquid per sensus veri vel pulchri, sapiens aut justum percipitur, percipitur quâ verum, pulchrum, sapiens vel justum tale; ergo præsupponit ideam veritatis, pulchritudinis, sapientiæ, vel justitiæ simpliciter sumptæ. Et vero sicut idea τοῦ *esse talis* est negativa, quia non continet omne *esse;* sic idea veri vel pulchri *talis* est negativa, quia non continet omne verum vel pulchrum; ergo nec concipi potest non præconceptâ ideâ veri vel pulchri simpliciter; ergo nec hæc ab illâ ullo modo derivari potest.

b) Eatenus solum aliquid verum aut pulchrum, sapiens aut justum dicere possumus, quatenus cognoscimus, illud cum ideâ veritatis aut pulchritudinis, sapientiæ aut justitiæ esse conforme. Nam cum aliquid dico verum aut pulchrum, judico : atqui ad omne judicium requiruntur saltem duæ ideæ, de quarum inter se conformitate vel difformitate pronuntietur ; ergo in casu posito requiritur idea veri vel pulchri normalis, quacum comparem et juxta quam dijudicem omne verum vel pulchrum. Porro hæc idea normalis veri vel pulchri non potest derivari ex vero vel pulchro per sensus percepto ; quia inprimis, ut dixi, *omne* verum vel pulchrum per sensus perceptum juxta illam ideam dijudicamus; dein quia omne verum vel pulchrum per sensus perceptum est verum vel pulchrum *tale*, juxta quod consequenter alia vera vel pulchra etiam *talia* dijudicari non possunt ; et demum quia experientiâ teste ipsa exemplaria veri vel pulchri talis nobis proposita juxta originariam aliquam ideam dijudicamus. Quam in rem jam Kantius animadvertit :quemvis in se experiri, se, tametsi aliquis ut exemplar virtutis sibi proponatur, veram virtutis et originariam ideam nihilominus in se habere, et juxta hanc etiam datum exemplar comparare et judicare. Ergo idea veri vel pulchri simpliciter a sensibus non derivatur. Eodem modo ratiocinari licet de ideâ honestatis et virtutis, bonitatis et sapientiæ omniumque perfectionum simplicium.

c) Si ideæ istæ a sensibus provenirent, non haberetur perfecta conformitas et identitas earum apud omnes homines. Nam non omnes homines easdem perceptiones sensuales habent : atqui circa verum vel pulchrum etc. simpliciter omnes conveniunt, est in judiciis de vero vel

pulchro etc. per sensus percepto sæpe quam maxime discordent : ergo ideæ istæ a sensibus nullo modo derivari possunt.

83. Ex hac propositione sic stabilitâ sufficienter jam elucet, ideam τοῦ *esse simpliciter* omniumque perfectionum simplicium per sensus non acquiri ; adeoque axioma illud : *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, prout verba sonant, omnino falsum, et hoc tantum sensu verum esse, nihil esse in intellectu, quod, ut primum reflexe percipiatur, non indigeat sensatione aliquâ tanquam occasione, sed non tanquam causâ perceptionis sui etiam reflexæ. Ergo admittenda erit sententia

84. II. Eorum, qui ideas intellectivas seu rerum intelligibilium docent *immediate in ratione fundari*, seu a mente sine medio sensuum percipi. Ast hic nova quæstio est, nempe *quomodo* et *quasnam* ideas mens sic immediate percipiat. Quatuor autem præcipue circa hoc sunt opiniones, quarum

1ª Contendit, *mentem ipsam habere vim et activitatem efficiendi ideas*, et quidem rerum tantum intelligibilium juxta Arnaldum, Doctorem Sorbonicum (1), omnium omnino rerum juxta Fichte (2). *Prior* contra Mallebranche acriter defendit ; perceptiones ex naturâ suâ esse objectorum repræsentatrices ; et quamvis simplicissimas in se, posse tamen easdem per abstractionem considerari sive ut perceptiones, quatenus percipiunt, sive ut objecta perceptionum, quatenus percipiuntur. *Posterior* vero

(1) *De veris et falsis ideis.*
(2) *Wissenschaftslehre.—Reine Ichheitslehre.*

docet, τὸ *ego* absolutâ activitate ponere primo *seipsum*, et dein naturâ necessitante etiam *non-ego*, in quod quasi impingens habeat conscientiam sui sibi essentialem. Per *non-ego* intelligit totum universum præter suum *ego* (1).

2° Docet, animam humanam essentialiter ac proin perpetuo cogitare. Unde dicunt, eam statim ab ortu suo quibusdam ideis informari, seu habere, uti loquuntur, ideas *innatas* vel *ingenitas*. Hujus sententiæ est Descartes (2), Bossuet, Fenelon et omnes Cartesiani. Ideæ vero istæ innatæ juxta ipsos non sunt reflexæ, sed directæ, et more habituum consopitæ delitescunt in mente, donec

(1) Notum est, systema Fichtei hodie jam antiquatum in contemptum abiisse, ejusque discipulos per derisionem vocari *Ichler*. Certe non immerito hujusmodi philosophos Jean-Paul Richter : *Briefe und bevorstehender Lebenslauf :* appellat *capita negativa, negative Koepfe*, de iisque hæc dicit : « *Alles Unerklærliche leiden sie nicht æfter als einmal, nemlich oben am Systeme als Hacken, woran sie die Schlussketten festmachen. Ein Gegenstand ist ihnen, wie den Norwegischen Feldmæusen ein Graeuel, weil er sie und die Maeuse im geraden Wege aufhælt. Sie machen es daher so : sie ersinnen ein geræumiges, hinten und vornen offenes Wort, in das Alles geht, und darein stecken sie Alles.... Das ist die philosophische* fuga pleni....—*Ohne etwas im Kopfe zu haben, als das geistige Wesen darin, setzen sie sich hin und befruchten sich, wie Seehasen, selber, und geben dann das Lexikon ihres Innern der Welt, gleich Glaskugeln, die sich, leicht gerieben, mit einem schoenen innern Lichte anfüllen, wenn sie luftleer sind.* »

(2) Quales ideas Cartesius tanquam innatas assumat, et generatim totam idearum divisionem ipse brevissime : *Epist.* part. II. *Epist.* LIV hoc modo resumit : *Hoc respondere poteris, me per vocem* IDEÆ *intelligere, quidquid in cogitatione nostrâ versari potest, triaque illius genera distinxisse: nempe quædam sunt* ADVENTITIÆ, *qualis est idea, quam de sole vulgo habemus ; aliæ* FACTÆ *vel* FACTITIÆ, *in quarum numerum referri potest idea, quam de sole astronomi ratiocinatione sua vulgo formant ; aliæ denique* INNATÆ, *ut idea Dei, mentis, corporis, trianguli, et generaliter omnes, quæ aliquas essentias veras, immutabiles et æternas repræsentant.* Nomen itaque *idearum innatarum* a Cartesio quidem venit ; systema tamen istarum idearum, sicut a multis ejus sectatoribus exponitur, non videtur sensui Cartesii respondere, uti mox videbimus.

accedente attentione excitatâ sive interne per orationem etc. sive externe per impressiones corporum, sermonem hominum etc., evolvantur ac menti præsentes fiant.

3ª Est Kantii (1), qui ex lectione Humii animadvertens, ex empirismo seu ex eâ doctrinâ, quæ omnes cognitiones nostras a sensibus derivat, scepticismum legitime deduci, ut hunc subterfugeret, ita ratiocinatus est: cognitiones nostræ non veniunt omnimode *ab objecto;* ergo saltem partim veniunt *a subjecto*. Atque hinc docuit, ideas nostras constare duobus quasi elementis, quorum alterum *ad sensum* pertineat, et id *materiam*, alterum *ad intellectum*, et id *formam* cognitionum nostrarum vocabat. *Formæ* itaque sunt id in mente, per quod materiam per sensus datam determinato quodam modo concipere debet. Ut autem detegeret, quænam sint istæ *formæ* mentis, ipsam facultatem cognoscitivam mentis humanæ, quæ juxta ipsum constat *sensualitate, intellectu* et *ratione*, analysi subjecit, et sequentes fere conclusiones deduxit:

a) *Quoad sensualitatem* (sensus externum et internum) animadvertit, sensationes nostras referri a nobis vel in *spatium* aliquod vel *in tempus*, vel in utrumque simul. Unde deduxit, insitas nobis *a priori* esse *formas spatii et temporis*, easque *formas sensualitatis* vocabat, eo quod sint leges necessariæ, juxta quas mens res sensibiles necessario percipit ut extra se ipsam et extra se mutuo positas et sibi successivas.

b) *Quoad intellectum* animadvertit, per sensationes solas nondum conceptum proprie dictum haberi: ad concep-

(1) *Kritik der reinen Vernunft.*

tum enim requiri judicium, saltem implicitum. Quænam autem sint formæ mentis ad judicium formandum necessariæ, ex analysi judiciorum nostrorum ita fere deduxit:

1) Quidquid concipimus, concipimus sub ratione *unius* aut *multorum* aut *totius*, ut adeo omne nostrum judicium sit *singulare* aut *particulare* aut *universale;* unde *forma*

QUANTITATIS, sub quâ continentur *unitas*, *pluralitas*, *totalitas*.

2) Præterea quodvis nostrum judicium est aut *affirmans* aut *negans*, aut *infinitum*, (*indefinitum*, seu in quo negatio non copulam, sed vel subjectum vel prædicatum afficit); unde *forma*

QUALITATIS, sub quâ continentur *affirmatio*, *negatio*, *limitatio*.

3) Insuper in quovis nostro judicio prædicatum subjecto tribuitur vel *absolute*, vel *hypothetice*, vel ita, ut quale prædicatum tribuatur, non indicetur, v. g. corpus aut solidum est aut liquidum aut fluidum; ergo omne judicium est vel *categoricum* vel *hypotheticum* vel *disjunctivum;* unde *forma*

RELATIONIS, sub quâ continentur *substantia*, *causalitas*, *simultaneitas*.

4) Demum omne judicium est *problematicum* aut *assertorium* aut *necessarium*. Sic in hoc ratiocinio: si corpus grave est, sublato fulcro cadit: atqui corpus est grave; ergo sublato fulcro cadit: Major est judicium problematicum, quia in eo gravitas spectatur tantum ut possibilis; Minor assertorium; Conclusio necessarium; unde *forma*

MODALITATIS, sub quâ continentur *possibilitas*, *existentia*, *necessitas*.

Atque quatuor has formas quodvis judicium nostrum necessario participat. Ita hoc judicium : *omnia corpora sunt gravia*, secundum *quantitatem* est *universale ;* secundum *qualitatem affirmans ;* secundum *relationem categoricum*, et secundum *modalitatem assertorium.* Ergo intellectus, ut judicare adeoque ut concipere possit, necessario a priori sibi insitas habere debet illas formas tanquam leges, sine quibus impossibile est judicium. Dico : intellectus debet illas formas sibi inditas habere a *priori*, quia hæ formæ, quas vocat *categorias intellectûs*, quatenus *transcendentales* seu applicabiles ad omnis generis objecta, juxta Kantium non sunt in *objecto sensibili ;* ergo nec experientiâ seu per sensus acquiri possunt ; ergo sunt in *subjecto* tanquam totidem modi necessarii, sub quibus intellectus *materiam* a sensu datam per conceptum quasi formet, superadditis ex se *formis.*

c) *Quoad rationem* animadvertit, eam habere *ideas entis absoluti*, *ultimi principii* et *absolutæ totalitatis*, quas ipsa, utpote facultas ratiocinandi, sibi ex conceptibus formasset vi principiorum *inhærentiæ*, *causalitatis* et *communicationis.*

Itaque juxta Kantium anima ideas nec ipsa efficit, nec objecta earum quasi intra mentem obversantia seu ideas objective sumptas innatas habet, sed ipsa mens ita ex naturâ suâ necessario constituta est, ut, quemadmodum anima v. g. per oculum ichterio morbo affectum necessario omnia flava videret, quia res nullas alio medio, quam hujusmodi oculo videre posset, ita ipsa res omnes sub prædictis formis necessario concipiat. Unde etiam juxta Kantium anima *qualitates quà ipsis rebus proprias* cognoscit nullas, *existentiam* vero seu

objectivam realitatem earum tantum rerum, quæ per sensualitatem dantur, atque has ipsas solum ita, ut relate ad cognitionem nostram sint = x, i. e. quantitati incognitæ, quia tota *formalis* cognitio formatur per superadditas a mente formas, quatenus mens illud x necessario concipit ut unum aut multiplex, possibile vel necessarium etc. (1) Quo systemate quivis facile videt adeo non obviari scepticismo, ut illud contra directe ad eum ducat.

4[ta] Demum sententia est eorum, qui dicunt, *unicam ideam*, nempe *ideam τοῦ esse simpliciter immediate a ratione percipi*, et quidem, *saltem reflexe*, *occasione sensationis*. Hâc autem ideâ prælucente intellectum dein formare *conceptus* sive *sensuales* complectendo sub unâ conscientiâ sensationem cum idea *τοῦ esse*, sive *stricte dictos* per abstractionem ex conceptibus sensualibus. Hæc igitur sententia, cui et nos adhæremus, ideas rerum intelligibilium nec ab animâ effici, nec proprie innatas, nec vero tanquam formas quasdam animo inhærentes

(1) Merito contra tam præposteram philosophandi methodum insurgit Hamann in suo opere: METAKRITICK UEBER DEN PURISMUS DER REINEN VERNUNFT, dicens: « *Unterdessen die Geometrie sogar die Idealitæt ihrer Begriffe von Punkten ohne Theile, von Linien und Flaechen auch nach idealisch getheilten Dimensionen durch empirische Zeichen und Bilder bestimmt und fingirt; misbraucht die Metaphysick alle Wortzeichen und Redefiguren unserer empirischen Erkenntniss zu lauter Hieroglyphen und Typen idealischer Verhaeltnisse und verarbeitet durch diesen gelehrten Unfug die Biederkeit unserer Sprache in ein so sinnloses, laeufiges, unstetes, unbestimmtes Etwas* = x, *dass nichts, als ein windiges Sausen, ein magisches Schattenspiel.... übrig bleibt.* » Ibidem ironice operam modernorum philosophorum idealisticorum haud insulse ita explodit: « *Das philosophische Genie aeussert seine Macht dadurch, dasz es, vermittelst der Abstracktion, das Gegenwaertige abwesend zu machen sich bemueht, wirkliche Gegenstaende zu nackten Begriffen und blos denkbaren Merkmalen, zu reinen Erscheinungen und Phaenomenen entkleidet.* »

assumit; sed animam intrinsece activam et rationalem docet percipere immediate ideam *τοῦ esse simpliciter* occasione sensationis (1). Atque hanc refutatis reliquis stabiliemus. Unde sit:

(1) Hæ quatuor sententiæ, fere quidquid de origine idearum hucusque dictum est, complectuntur. Qui enim aliud quid protulisse circa eam rem videntur, aut quæstionem ipsam proprie non tractant, aut verbis fere solum differunt et ad unam ex his quatuor sententiis revocari possunt. Ita, ut de eorum solum opinione loquar, qui contendunt, mentem humanam esse *vim quamdam actuosam* seu in continuo actu positam, atque hinc ad notiones rerum insensibilium seu pure intelligibilium *naturâ suâ determinatam*; vel, uti aliàs dicunt, *rationem* habere *vim*, aliter quam per abstractionem, *per se hujusmodi notiones seu ideas formandi*: quis non videt, istiusmodi opinionem, si enucleate et ad ultimam amussim exponatur, ad unam ex quatuor prædictis sententiis referri? Namque primum illud: *animam esse vim actuosam* et non in potentiâ ad actum; quæstionem ipsam de origine idearum non attingit, sed solum id dicit, quod multi etiam ex Cartesianis admittunt, animam nempe semper actu, saltem directe, cogitare, non vero, quâ ratione ad objecta suæ continuæ cogitationis percipienda perveniat.—Alterum vero: *animam ex naturâ suâ* ad hujusmodi notiones *esse determinatam*, aut habere *vim per se hujusmodi ideas efformandi;* quadruplicem solum sensum habere potest; scilicet *animam naturâ suâ ad hujusmodi ideas determinatam esse* VEL—*a*) ita, ut illas ideas ex proprio suo fundo expromat; et hoc refertur ad Iam sententiam; VEL—*b*) ita, ut et actus directe percipiens et objecta percepta ipsi inhæreant; et hoc ad IIam seu eorum Cartesianorum sententiam refertur, qui ideas proprie loquendo innatas defendunt: VEL —*c*) ita, ut duntaxat necessitas quædam illi insit, juxta illas ideas res sensibiles percipiendi et dijudicandi seu ut illæ ideæ tanquam leges necessariæ rationis ipsam mentem connaturaliter et intrinsece constituant; et hoc ad IIIam sententiam refertur; est enim ipsissimum systema Kantii aliis solum verbis expressum: VEL demum —*d*) ita, ut mens nostra non per sensus, sed immediate et semper actu percipiat ideas rerum pure intelligibilium, uti veri, justi, boni etc. sic, ut ideæ istæ objective spectatæ seu objecta earum sint ab esse mentis distincta et independenter ab eâ existentia: et hoc coincidit cum nostrâ sententiâ, cum hâc solum differentiâ, quod nos hujusmodi immediatam perceptionem non putemus rigorose posse probari *semper actu* fieri, ac propterea doceamus, eam, *saltem reflexe*, fieri solum *occasione sensationis*. An autem hujusmodi perceptiones immediatæ, uti veri, pulchri, justi etc. sint inter se distinctæ, an vero omnes sub unâ perceptione *τοῦ esse simpliciter* implicitæ percipiantur, quæstio est, quæ quoad originem earum nihil mutat. Propterea enim nos eas omnes in unam *τοῦ esse simpliciter* ideam contrahimus, quia et in se objective reapse identificantur in *τοῦ esse simpliciter*, et quia sic ex ipsâ subjectivâ earum

85. **PROP. II. ANIMA IDEAS RERUM NON EFFICIT ACTIVITATE PROPRIA.**

Prob. Nam anima humana efficeret ideas rerum vel quatenus ex naturâ suâ ad eas necessario esset determinata, vel quatenus eas ipsa produceret prius non habitas: atqui

a) Anima ex naturâ suâ non est ad eas determinata. Nam inprimis anima evidenter est ens finitum et contingens: atqui repugnat in se, ut ens finitum determinatum sit necessario per se et ex naturâ suâ sive ad omnia cognoscenda, sive ad hoc potius, quam ad illud cognoscendum: et quidem *ad omnia cognoscenda;* quia sic adæquatam et hinc infinitam ideam rerum haberet: *ad hæc potius quam ad illa cognoscenda;* quia nec esse finitum animæ exigit per se hoc potius, quam illud cognoscere, nec hoc cognoscibile potius, quam illud exigit per se cognosci. Dein, quod est necessario et ex naturâ, est semper et eodem modo: atqui anima nec semper easdem nec eodem semper modo ideas habet, sed nunc has nunc illas, nunc directe nunc reflexe eas percipit; ergo anima ad ideas non est determinata ex naturâ suâ. Sed anima

b) Neque producere potest ideas prius non habitas. Per ideas enim hic intelligimus notiones rerum; unde ita: Vel anima, priusquam ideas rerum producit, *res istas jam novit, vel non novit. Si jam novit;* ergo jam etiam earum ideas habuit; siquidem idea rei sit ipsâ notio rei; ergo ideas complete sumptas, seu simul actum percipientem et simul objectum perceptum non ipsa producit. *Si*

perceptione facilis transitus panditur ad objectivam earum realitatem stabiliendam.

vero non novit; ergo nec eas producere potest. Nam ut anima aliquid producat, debet adesse terminus suæ efficientiæ : atqui res penitus ignota non potest esse terminus efficientiæ ; siquidem res penitus ignota respectu mentis sit æqualis nihilo ; ergo priusquam anima producere possit ideas rerum, debet res istas jam novisse, adeoque earum ideas jam habere : ergo anima ideas rerum non potest producere ; ergo.....

86. PROP. III. IDEÆ RERUM INTELLIGIBILIUM NON RECTE DICI POSSUNT INNATÆ MORE HABITUUM (1).

Prob. Idea concrete sumpta est actus animæ percipientis simul cum objecto percepto ; ergo si ideæ rerum intelligibilium sunt innatæ more habituum, et perceptiones

(1) In hac thesi solum enuntio, *non recte dici* ideas *innatas*, et hinc thesis hæc est, præcipue quidem, contra asseclas plures Cartesii, qui sensu supra explicato ideas innatas assumunt et propugnant, contra Cartesium ipsum vero eâ solum ratione, quod per hæc verba et ansam dederit plurium errorum, et ipse etiam variis in locis iisdem verbis eodem sensu uti videatur, quamvis in aliis locis per ideas innatas aliud non intelligat, quam facultatem, quam mens habeat, ideas rerum insensibilium sibi comparandi. Sic certe se explicat *Epist.* 30. *Tom. II. Edit. in-8°* *inter notas in programma Henrici Leroy.—Non ego unquam scripsi vel judicavi, mentem indigere ideis innatis, quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi. Illas innatas vocavi eodem sensu, quo dicimus generositatem esse quibusdam familiis innatam, aliis vero quosdam morbos, ut podagram vel calculum, non quod ideo istarum familiarum infantes morbis istis in utero matris laborent ; sed quod nascantur cum quâdam dispositione sive facultate ad illos contrahendos.* Quâ explicatione menti nostræ potentiam quidem et quandam dispositionem concedit comparandi ideas, ast de origine et modo, quo mens sibi eas comparet, nihil admodum dicit vel nostræ potius sententiæ adhæret, scilicet ideas rerum insensibilium immediate a ratione percipi. In eâdem enim epistolâ ait : *Cum adverterem quasdam in me esse cogitationes, quæ non ab objectis externis, nec a voluntatis meæ determinatione procedebant, sed a solâ cogitandi facultate.... ut.... ab aliis adventitiis aut factitiis distinguerem, illas innatas vocavi.* Quâ explicatione utique sufficienter ostendit Cartesius, quam prorsus alium sensum ipse annectat ideis innatis, ac generatim a sectatoribus ipsius fieri consuevit.

et ipsæ res intelligibiles erunt innatæ. Atqui inprimis ipsæ res intelligibiles sensu proprio non possunt dici innatæ; quia secus verum, pulchrum, justum etc. simpliciter cuivis hominum innatum atque adeo cum *esse* animæ ipsorum quasi identificatum dici deberet, quod est absurdum. Dein neque perceptiones sensu proprio et præsertim more habitûs innatæ dici possunt. Nam perceptiones sunt ipsa anima percipiens, quæ certe sibi ipsa sensu proprio innata dici nequit; habitus vero est facilitas quædam animæ eliciendi aliquos actus v. g. perceptiones; sed perceptio actualis non est facilitas percipiendi; ergo perceptiones actuales seu ideæ rerum neque more habitûs innatæ dici possunt.

Quod si per ideas more habitûs innatas id solum intelligant, animam semper quidem, sed actu proprio percipere verum, pulchrum et justum etc. a Deo sibi objective exhibitum (1), certe ideæ istæ male dicuntur innatæ. Nam vox hæc: *innatæ*, aliquatenus identificat *esse* objectorum cum *esse* animæ, et insinuat, objecta ipsa in animâ quasi involvi.

87. PROP. IV. Formæ mentis in sensu Kantii sunt rejiciendæ.

Prob. 1° Illud est rejiciendum, quod nullam reddit rationem eorum, ob quæ explicanda assumptum est: atqui formæ mentis in sensu Kantii non reddunt rationem

(1) Si id admittunt, a nostrâ sententiâ parum dissentiunt, nempe in eo solum, quod nos istas ideas immediate a ratione percipi doceamus occasione sensationis, illi vero autument, eas, saltem directe, semper percipi. Quod si etiam concedamus, semper tamen verum foret, saltem reflexe illas solum occasione sensationis percipi, in quo et ipsi rursus consentiunt.

modorum, quibus pervenimus ad conceptus sive sensuales sive genericos; ergo.....

Prob. Min. Nam tota ratio, quam istæ formæ reddunt conceptuum nostrorum, est fatalis quædam et subjectiva necessitas animæ sic concipiendi : atqui hæc non explicat modum formandi conceptus. Nam suppositis istis formis quivis semper rogaret et rogare jure posset : quare nunc sub istis, nunc sub illis formis concipiat; quare v.g. turrim aliquam, quandiu eam videt, necessario ut extra se videat; dolorem autem aliquem intra se percipiat; quare huic objecto contingentem, alteri vero necessariam existentiam tribuat; hoc ut unum, illud ut plura concipiat, et hujusmodi alia : atqui ad hoc juxta systema Kantii responderi nihil potest, nisi adesse in mente vagam quandam sic concipiendi necessitatem, quæ, unde et quare sit, ignoretur; ergo.....

2° Illud rejiciendum est, quod tollit objectivam realitatem idearum et ducit ad scepticismum : atqui formæ istæ in sensu Kantii tollunt objectivam realitatem idearum et ducunt ad scepticismum; ergo....

Prob. Min. Nam anima evidenter percipit; unde ita : Id, quod anima percipit, est *aliquid;* cum *nihil* percipi non possit : atqui anima percipit se non esse nec omnino esse posse unitatem vel totalitatem transcendentalem, possibilitatem vel necessitatem absolutam etc.; ergo, cum ista tamen percipiat, *esse* totalitatis et unitatis, possibilitatis et necessitatis absolutæ est *esse* distinctum ab animâ : atqui juxta Kantium *esse* istarum formarum theoretice scire non possumus, an sit quid ab animâ distinctum, vel an omnino aliquid sit; ergo formæ istæ in sensu Kantii tollunt objectivam realitatem idearum.

Ex hoc autem necessario sequitur absolutus scepticismus. Nam si nescio, an id, quod ut distinctum a me necessario concipio, reapse sit quid distinctum a me vel omnino aliquid ; etiam de quâcunque aliâ veritate, quam necessario talem percipio, ut videam aliam esse non posse, nesciam, an reapse talis vel an omnino aliquid sit ; ergo de ipsâ evidenti notione certus nunquam esse possum : sed nihil certius et intimius cognitum, quam notiones immediate et intrinsece evidentes ; ergo de nullâ absolute re certus esse potero ; ergo formæ istæ in sensu Kantii ducunt ad absolutum scepticismum, ad quem tamen evertendum a Kantio productæ sunt (1).

88. PROP. V. **UNICA IDEA, NEMPE IDEA τοῦ ESSE SIMPLICITER, IMMEDIATE A RATIONE PERCIPITUR.**

Prob. Ideæ τοῦ *esse simpliciter, veri, justi, pulchri omniumque perfectionum simplicium* neque ab animâ propriâ activitate efficiuntur, neque sensu proprio innatæ dici possunt, neque etiam sunt formæ quædam mentis necessariæ ; ergo vel a sensibus (interno vel externis, proxime vel remote) proveniunt, vel a ratione immediate percipiuntur : atqui a sensibus provenire non possunt ex Prop. I. hujus Articuli ; ergo *istæ ideæ immediate a ratione* percipiuntur. Unde ita :

Ideæ veri, *pulchri* et *honesti*, *justi et boni omniumque perfectionum simplicium* non sunt nisi idea τοῦ *esse simpliciter* sub diverso tantum respectu considerata ; ergo unica

(1) Quomodo istarum idearum, quas Kantius formas vocat, notionem acquiramus, in decursu Ontologiæ indicatum jam est, vel saltem facile ex idea τοῦ *esse simpliciter* per ideas sensuales evolutâ deduci earum origo potest.

tantum idea τοῦ *esse simpliciter* immediate a ratione percipitur.

Prob. Ant. a) *Veritas* est *id*, *quod est*, et a nobis consideratur ut *esse* conformitatis rei ad rem. Ast conformitas in formis signisque sensibilibus *pulchritudo;* conformitas actionum cum normâ honestatis *honestas;* conformitas mediorum ad finem *sapientia* (objectiva) vocatur et ita porro; ergo pulchritudo, honestas, sapientia etc. est veritas seu *esse* conformitatis rei ad rem sub diverso tantum respectu considerata. Verum summa conformitas ibi est, ubi nulla absolute nec est nec esse potest difformitas, et cum omnis difformitas oriatur ex defectu et negatione aliquâ, ibi erit summa conformitas, ubi nullus absolute nec est nec esse potest defectus, nulla negatio, et ubi consequenter est necessario *summum et plenum esse* (seu ubi omnis distinctio rei ad rem disparet); ergo *summa veritas*, adeoque *summa pulchritudo*, *honestas et sapientia* identificatur cum *summo esse* seu cum *esse simpliciter;* ergo *idea absolutæ veritatis*, *pulchritudinis*, *honestatis et sapientiæ* est *idea* τοῦ *esse simpliciter* sub diverso tantum respectu considerata (1).

b) Eâdem ratione demonstrari posset, etiam cæteras

(1) Et vero etiam ens aliquod *tale* v. g. horologium, simul *verum* potest esse horologium, quatenus habet omnes proprietates ad essentiam horologii pertinentes; *pulchrum*, quatenus proprietates istæ sunt sibi proportionatæ; *sapienter* factum, quatenus omnia in eo habent rationem mediorum ad finem; *bonum*, quatenus ob esse mediorum ad finem, præstitutum sibi finem exacte assequitur. Et quo minus bonum, eo minus sapienter factum; quo minus sapienter factum, eo minus pulchrum, et quo minus pulchrum, eo minus verum horologium erit, et quo minus verum est, eo minus simpliciter habet *esse* horologii, ut adeo *esse* horologii in diversis suis gradibus a veritate et bonitate, etc., horologii realiter non distinguatur, sed idem sit *esse* sub diverso tantum respectu consideratum.

omnes perfectiones simplices cum τῷ *esse simpliciter* seu absoluto coincidere. Et vero

Perfectiones simplices sunt eæ, quæ in ideâ suâ merum *esse* et nullum *non-esse* involvunt; ergo *idea perfectionis simplicis* cujuscunque realiter non est distincta ab ideâ τοῦ *esse simpliciter* seu absoluti.

Ergo unica tantum idea, nempe idea τοῦ *esse simpliciter* immediate a ratione percipitur.

89. His ita probatis originem cognitionum nostrarum omnium jam facile est exponere, nempe

1° Insensibilia, uti verum, justum etc. percipit immediate ratio sub ideâ τοῦ *esse simpliciter*, et quidem, saltem *reflexe*, *occasione sensationis* (1). Dico: saltem *reflexe seu cum conscientiâ aliquâ*. An enim *directe* anima semper percipiat insensibilia, uti volunt illi ex Cartesianis, qui contendunt, animam essentialiter semper actu cogitare, argumenta afferri solita non adeo me convincunt, ut vel affirmare vel negare velim: sed cum ipsi hujus opinionis fautores concedant, reflexe animam non semper cogitare, id pro scopo nostro hic sufficit; nempe ideam τοῦ *esse simpliciter* sub quocunque respectu

(1) Ideam τοῦ *esse simpliciter* occasione sensationis *reflexe* percipi, non ita intelligimus, quasi ad primas, quas habemus, sensationes, vel etiam ad singulas subsequentes illud *esse simpliciter* seorsim et præscindendo a perceptione objecti sensibilis *reflexe* percipiatur, sed tantum, illud *esse* simul quidem cum singulis sensationibus *sub unâ conscientiâ* toties reflexe percipi, quoties reflexæ habentur sensationes; illius vero separatim sumpti reflexam notionem tum solum acquiri, cum analysi subjectæ cognitiones nostræ reperiuntur compositæ ex duobus quasi elementis, quorum unum invenitur esse idea τοῦ *esse simpliciter*. Fere sicuti luminis seorsim sumpti notionem reflexam non habemus, donec analytice decomponatur visio physica et sic hujus unum et quidem principale elementum invenitur esse lumen.

sive veri, sive pulchri etc. considerati saltem reflexe percipi occasione sensationis. Ast

Idea ista τοῦ *esse simpliciter* sic percepta fit nobis norma et regula dijudicandi omnis *esse* (1) per sensus (sive intimum, sive externos) percepti ex Prop. I.; et vicissim ipsa idea τοῦ *esse simpliciter*, primum confuse tantum percepta, sub quo multipliciori respectu fit regula et norma dijudicandi varietatem objectorum per sensus perceptorum, eo magis et ipsa evolvitur et distinctius cognoscitur(2): ut adeo in cognitione nostrâ, uti conditio nostræ naturæ exigere videtur, utrimque et hinc a sensibus et illinc a ratione sustentemur et promoveamur (3).

2° SENSIBILIA percipit SENSUS. Ast hæc perceptio est mera sensatio et nondum proprie dicta cognitio. Cognitionem autem, conceptum seu ideam sensualem format intellectus. Cum scilicet sensus refert sensationem, ratio occa-

(1) Ipsius adeo *esse* nostri seu actualitatis nostræ. Nam idea actualitatis nostræ implicite continet hoc judicium: *ego sum;* ergo involvit ideam τοῦ *esse* per vocem *sum* (expressam); sed hanc ideam non dat sensus. Aliud enim est habere sensationem seu sensitivam quamdam apprehensionem sui, quam et belluæ habent, et hæc sola est a sensu; aliud habere ideam intellectivam seu proprie dictam cognitionem *sui esse*, quæ sine idea τοῦ *esse simpliciter* possibilis non est.

(2) Sic ille, qui effigiem alicujus sibi noti conspexerit, statim quidem comparabit effigiem cum ideâ illius hominis menti suæ inhærente et juxta hanc judicabit ipsam effigiem bene vel male factam; ast vicissim, cum originale præsens est, ex comparatione effigiei cum originali, ipsius originalis distinctiorem et explicitiorem ideam acquirit. Id quod perfecte concordat cum ipsâ fide nostrâ: *Invisibilia enim ipsius* (Dei), ait S. Paulus, Rom. 1. 20, *a creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

(3) *Hominem duplici ex structurâ coagmentans*, ait S. Greg. Nyss. Lib. de hom. opific. c. 2, *cum terreno divinum admiscuit, ut ambobus instructus consentaneum et aptum utrique potiundo statum obtineret, ac Deo quidem frueretur ex diviniore naturâ, terrenis autem bonis per congenerem sensum.*

sione hujus sensationis percipit *τὸ esse simpliciter* et ideam hanc *τοῦ esse simpliciter* præsentem sistit. Jam intellectus objectum per sensus datum comparat (1) cum ideâ *τοῦ esse simpliciter* per rationem datâ, et implicite judicat, objectum sensationis in tali et tanto gradu, sub tali vel tali respectu conforme esse vel similitudinem referre cum ideâ *τοῦ esse simpliciter* (2), atque sic pronuntians ideam *τοῦ esse simpliciter* cum sensatione in unam conscientiam concipit. et ita conceptum seu ideam sensualem format.

(1) Cum dico *comparat*, intelligo *comparationem implicitam*, qualem omne judicium implicitum requirit. Scilicet intellectus hoc ipso, quod ideam τοῦ esse simpliciter non habet reflexam et distinctam, etiam objectum per sensus perceptum non potest *explicite* et ita cum eâ comparare, quasi ideam unius ad ideam alterius seorsim et divisim perceptam debeat referre; sed comparatio hæc in ipso conceptu sensuali ita fere implicita est, sicut dum hominem aliquem videntes quandoque firmiter judicamus, hominem istum similem esse alicui alteri homini, quin, cui præcise similis sit, recordemur, aut quin ejus, cui similem judicamus, ideam explicitam et reflexam habeamus, adeoque etiam, quin explicite duorum illorum hominum quasi duas seorsim distinctas ideas necesse sit adesse in mente, quarum unam cum alterâ conferamus. Et tamen nemo negaverit, in conceptu nostro hujusmodi hominis, quem alteri sic similem judicamus, necessario adesse comparationem aliquam, ast scilicet implicitam et non explicitam. Atque ita etiam in quovis conceptu rerum finitarum, hoc ipso quod sit ex se necessario relativus ad infinitum, implicita est idea τοῦ esse simpliciter ac propterea etiam in quovis implicita hujusmodi comparatio.

Aliunde in quovis conceptu rei est affirmatio vel negatio, quâ affirmamus vel negamus, quasi : *res percepta est vel non est hoc vel illud*. Sed quævis affirmatio sicut quævis negatio supponit implicitam notionem principii contradictionis : *Nihil potest esse simul et non esse : juxta quod adeoque comparatione* seu *collatione cujus* rem affirmamus vel negamus; ergo in quovis conceptu insit necesse est comparatio seu collatio quædam implicita rei perceptæ cum hoc principio. Atqui tamen hujus principii non habemus ideam explicitam et ita, ut cum hac seorsim spectatâ comparemus conceptum rei etiam seorsim spectatum, sed in ipsâ affirmatione vel negatione conceptûs implicita est notio illius principii ceu norma, juxta quam affirmetur vel negetur. Ergo a pari. — Eo magis, quod (vide Logic. Pur. Pag. 53, nº 63 et notam) idea principii contradictionis sit ipsa idea τοῦ esse simpliciter sub formulâ quâdam expressa.

(2) Vide infra Pag. 205 et seqq. Prop. III. Prob. 2. — a) ex S. Thomâ.

Atque hinc patet, solum τὸ *esse simpliciter* proprie nosci; omnia reliqua vero cognosci seu concipi (1) quia sensatio et idea τοῦ *esse simpliciter* in unam conscientiam coalescunt. Demum

3° Sensibilia ad instar insensibilium concipit intellectus, quatenus ex ideis sensualibus, prælucente semper normâ omnis *esse* vel abstrahit omnes notas etiam individuales, considerando eas, quas in objectis sensibilibus ut actu sociatas percepit, in abstracto ut mere sociabiles, et sic format conceptum *possibilium;* vel abstrahit tantum notas essentiales et hinc communes omnibus individuis alicujus classis, et sic format conceptus *specificos* et *genericos* seu *ideas universales;* vel demum considerat in objecto per sensus dato sive id, quod permanet, et *substantiæ*, sive id, quod mutatur, et *modorum* conceptum acquirit, et ita porro (2).

(1) Per *nosci* hic denoto ex sæpius dictis immediatam et talem perceptionem, quæ sine concursu alterius, saltem directe, fieri posset: per *cognosci* seu *con-cipi* vero denoto cogitationem duobus elementis compositam; sicut omne judicium duo elementa, aliàs duos conceptus, complectitur, seu *con-capit*, unum cum altero conjungit.

Ne vero forte cavillando quis inferat: *omne, quod est seu esse habet, ex Ontologiâ Pag.* 197: *est in se cognoscibile adeoque cognosci potest: atqui res sensibiles non possunt cognosci sine ideâ τοῦ esse simpliciter adeoque nec sunt in se cognoscibiles sine illâ ideâ; ergo non habent esse proprium adeoque non sunt entia:* paucis hic adnoto: aliud esse, aliquid esse *in se cognoscibile*, et aliud, illud *actu cognosci:* sicut aliud est, esse aliquid *in se visibile* et aliud, illud *actu videri.* Quemadmodum vero præter *visibilitatem* rei *in se*, ut res *actu videatur*, requiritur lumen physicum, ita *præter cognoscibilitatem* entis talis *in se*, ut ens hoc *actu cognoscatur*, requiritur idea τοῦ esse simpliciter.

(2) Nimis longum hic esset formationem omnium conceptuum enumerare; sed quivis facile deducet quosvis conceptus sive ex ideâ τοῦ *esse simpliciter* directe, sive ex ideis sensualibus proxime vel remote. Ideæ autem genericæ, uti animalitatis, candoris, etc., non sunt *a priori*, uti aliqui voluerunt, sed ab intellectu abstrahuntur ex ideis sensualibus. Vide *Log. Pura.* Sect. 1. Caput.1. Pag. 56 et seqq. Ens autem, quod ibi ponitur ut genus

Atque ita summatim originem cognitionum nostrarum jam exposuimus. Restat, ut earundem objectivam realitatem probemus: quo simul fiet, ut etiam originis earum notio clarior acquiratur.

ARTICULUS III.

De objectivâ realitate cognitionum nostrarum.

90. Omnes nostræ cognitiones reducuntur *ad ideam τοῦ esse simpliciter*, ad *ideas sensuales* et ad *conceptus* stricte dictos. Ut igitur ordine procedamus, singulas seorsim objective reales esse probabimus. Et quidem

I. Quoad *ideam τοῦ esse simpliciter* immediate a ratione perceptam ita ratiocinamur:

Idea *τοῦ esse simpliciter* subjective spectata est idea *τοῦ esse a se*; atqui hæc idea est objective et independenter a mente nostrâ realis; ergo objectum hujus ideæ est Deus sub *ideâ τοῦ esse simpliciter* perceptus ut principium omnis cognitionis et certitudinis objectivum, ut regula ultima seu norma absoluta omnis esse, veri, justi vel pulchri

supremum; sumitur *in abstracto*, quatenus consideratur ut *esse*, quod quomodocunque cuivis enti convenit; non vero *in concreto* ut ens, quod proprium *esse* habeat, et quod consequenter esset ens simpliciter. Nam ens simpliciter transcendit omne genus: genus enim est id, cujus notæ omni individuo sub se contento totaliter conveniunt; sic notæ *animalis* conveniunt necessario omni animali sive volucri sive quadrupedi: notæ vero entis simpliciter nulli alteri enti nec conveniunt, nec convenire possunt; ergo ens simpliciter non potest esse genus. — Dein *ens* seu *esse simpliciter* est *esse*, quod eminenter omnem perfectionem adeoque *maximam*, quæ esse potest, *comprehensionem* (vide *Log. Pura.* Pag. 59 et seq. in simplicissimâ naturâ complectitur, atque hinc fit, ut non solum *extensio* ejus (logica) sit *nulla*, sed ut sit ens prorsus individuum et singulare extra omne genus. Contra *ens* quà genus supremum *minimam* habet *comprehensionem*, et *maximam extensionem*. *Ergo ens* seu *esse simpliciter* totaliter discrepat ab *ente*, quod concipitur ut genus supremum.

dijudicandi : id quod distinctis propositionibus exponemus.

91. PROP. I. IDEA τοῦ ESSE SIMPLICITER SUBJECTIVE SPECTATA IMPLICITE EST IDEA τοῦ ESSE A SE.

Prob. Idea τοῦ *esse simpliciter* exhibet nobis regulam et normam ultimam omnis *esse* omnisque veri et pulchri, boni et justi dijudicandi : atqui norma et ultima regula omnis *esse* omnisque veri et pulchri, boni et justi dijudicandi est *esse a se;* ergo idea τοῦ *esse simpliciter* est idea τοῦ *esse a se* seu *entis a se.*

Prob. Min. Norma et ultima regula omnis esse, veri et pulchri vel est *esse* seu *ens a se*, vel est *esse* seu *ens ab alio:* atqui non est *esse* seu *ens ab alio.* Nam

a) Omne *esse* seu *ens ab alio* est *ens tale;* ergo et ipsum referri potest et debet ad aliud *esse* et juxta illud dijudicari; ergo ens *ab alio* non potest esse regula ultima omnis *esse.*

b) Omne verum et pulchrum, bonum et justum *ab alio* est verum et pulchrum, bonum et justum *tale* adeoque cum defectu conjunctum : atqui verum aut pulchrum, bonum aut justum, cujus idea est nobis regula ultima omnis veri et pulchri etc. dijudicandi, non potest habere defectum. Si enim defectum haberet, aliquid veri vel pulchri ei deesset; ergo hoc verum vel pulchrum, quod ei deesset, esset verum aut pulchrum non illâ veritate aut pulchritudine; ergo illa veritas aut pulchritudo non esset norma et regula ultima omnis veri aut pulchri; ergo verum vel pulchrum, bonum aut justum, cujus idea est nobis regula omnis veri et pulchri,

non potest habere defectum; ergo nec esse ab alio; ergo est *esse a se*.

c) Omnia, quæ vera aut pulchra judicamus, ita necessario et immutabiliter vera aut pulchra judicamus, ut non possimus judicare illa unquam aut non fuisse aut non fore vera aut pulchra; ergo et regula horum immutabilis necessaria et æterna esse debet: atqui nihil absolute necessarium, immutabile et æternum, nisi ens *a se*; ergo *idea τοῦ esse simpliciter*, quæ est regula omnis esse, veri et pulchri, est idea *τοῦ esse* seu *entis a se*.

92. PROP. II. IDEA τοῦ ESSE SIMPLICITER EST OBJECTIVE ET INDEPENDENTER A MENTE NOSTRA REALIS.

Prob. 1° Nam idea *τοῦ esse simpliciter* percipitur: atqui quidquid percipitur, habet *esse*, siquidem nihilum percipi non possit; ergo idea *τοῦ esse simpliciter* habet *esse*: atqui hoc *esse* non est *esse* ipsius mentis. Nam hoc *esse* est nobis regula dijudicandi omnis *esse* omnisque veri et pulchri: atqui certe *esse* mentis nostræ non potest nobis esse talis regula; tum quia judicando aliquid ut *esse* aut verum, non illud referimus ad *esse* mentis nostræ; tum quia ipsum *esse* mentis nostræ juxta illud *esse* judicamus; ergo idea *τοῦ esse simpliciter* est objective et independenter a mente nostrâ realis.

2° Illud est objective reale et ab *esse* ipsius mentis distinctum, a quo mens ipsa in cognoscendo dependet, dirigitur ac perficitur: atqui mens nostra in cognoscendo dependet ab *ideâ τοῦ esse simpliciter;* (quæ idem est ex dictis, ac ipsum principium contradictionis) cum vel invita cognitioni evidenter veræ (qualis est hoc, quod *esse* non possit simul esse *non-esse*) consentire, evidenter

falsæ dissentire debeat : ab eâdem dirigitur ; cum sine hac normâ nunquam scire possit, an verum, an autem falsum apprehenderit : et demum perficitur ; nam mens perficitur cognoscendo, sed cognoscere non potest sine ideâ τοῦ *esse simpliciter* prærequisitâ ad omnem cognitionem ; ergo idea τοῦ *esse simpliciter* est objective et independenter a mente nostrâ realis.

3° Idea τοῦ *esse simpliciter* ex Prop. præced. est idea τοῦ *esse* vel *entis a se :* atqui *ens a se* est ens realissimum ; ens vero realissimum ex ipsâ notione suâ subjectivâ evincitur necessario actu existere (1); ergo idea τοῦ *esse simpliciter* est objective et independenter a mente nostrâ realis et necessario actu existens (2).

93. PROP. III. DEUS, IMPLICITE PER IDEAM τοῦ ESSE SIMPLICITER, IMMEDIATE A RATIONE PERCEPTUS EST NORMA PRIMÆVA OMNIS COGNITIONIS OBJECTIVA.

Prob. 1° Idea τοῦ *esse simpliciter* est norma omnis cognitionis : atqui idea τοῦ *esse simpliciter* objective spectata est ens *a se* et hinc ens realissimum seu Deus, ergo Deus est nobis norma omnis cognitionis objectiva.

2° Idem ex S Thomâ multiplici ratione probari po-

(1) *Ontolog.* Part. II. Sect. 2. Cap. I. Prop. II et III., præsertim Pag. 233 et 236 et seqq

(2) Hoc ultimo argumento Kantius propriis, ut ita dicam, armis confoditur. Analysi enim ipse procedit ; sed per analysin formæ ipsius omnes necessario ad ideam τοῦ *esse simpliciter* reducuntur ; hoc vero τὸ *esse* per analysin rursus invenitur esse *ens a se*, et ens *a se* ens realissimum ; hujus vero notio iterum per analysin reperitur esse necessario vel subjective falsa, vel evincere, ens realissimum actu existere. Vide *Ontolog.* loc. mox cit. Obj. tertiam, 3°.—Huic ultimo argumento præsertim velim ut insistatur; propterea enim illud in Ontologiâ omni vi argumentorum stabilivi et contra omnis generis cavillationes tutari conatus sum.

test : ex multis sufficiat hic duo argumenta specialius tractare.

a) *Quarta via sumitur,* ait (1) ad probandam existentiam Dei, *ex gradibus, qui in rebus inveniuntur. Invenitur enim in rebus aliquid magis vel minus bonum et verum et nobile et sic de aliis hujusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est. Est igitur aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum et per consequens maxime ens* (ergo ens simpliciter). *Nam quæ sunt maxime vera, sunt maxime entia.* Unde ita :

Quidquid cognoscimus, saltem implicite, judicamus ens tale, verum tale, pulchrum tale etc. i. e. magis vel minus ens seu esse, magis vel minus verum aut pulchrum etc. : atqui ita judicare non possumus, quin percipiamus aliquid, quod maxime est, et ad quod illa talia diversimode appropinquare videamus ; ergo id, quod maxime est, maxime verum aut pulchrum est etc., est nobis necessaria norma, varia entia, varia vera aut pulchra etc. concipiendi ut talia entia, talia vera aut pulchra etc. Hoc autem est Deus, ergo Deus, et quidem implicite sub ideâ τοῦ esse simpliciter, veri aut boni simpliciter etc. perceptus, est nobis norma omnis cognitionis objectiva.

b) Ad illud (2) : *Secundum Augustinum de Trinit. Lib.* 14, *cap.* 8, *et lib.* 15, *cap.* 1. NIHIL EST MAJUS MENTE HUMANA NISI DEUS. *Sed veritas est major mente humanâ ; alioquin mens judicaret de veritate. nunc autem judicat secun-*

(1) *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. II. Art. 3.
(2) Ibid. Part. I. Quæst. XVI. Art. 6.

dum veritatem et non secundum seipsam. Ergo solus Deus est veritas : ita, id ipsum affirmans, se explicat: *Ad primum dicendum, quod anima non secundum quamcunque veritatem judicat de rebus omnibus, sed* SECUNDUM VERITATEM PRIMAM, IN QUANTUM RESULTAT IN EA (animâ) SICUT IN SPECULO SECUNDUM PRIMA INTELLIGIBILIA, i. e. sub formâ principiorum rationis adeoque sub ideâ τοῦ esse simpliciter.

Ergo juxta S. Thomam veritas prima est Deus, et hæc veritas in mente resultat velut in speculo; ergo mens illam veritatem immediate percipit, et secundum eam judicat de omnibus; ergo Deus ceu veritas prima immediate perceptus est menti norma seu regula omnium judiciorum adeoque et omnium conceptuum, cum conceptus omnis sit implicitum judicium.—Demum

3° Omne verum (idem dic de pulchro, bono, justo etc.) eatenus tantum et secundum id verum *cognosci* potest, quatenus et secundum quod *est* verum : atqui eatenus tantum et secundum id omnia vera *sunt* vera, quatenus et secundum quod participant seu assimilantur aut conformia sunt veritati absolutæ et a se, seu Deo; ergo eatenus etiam et secundum id tantum omnia vera ut vera cognosci possunt, quatenus et secundum quod *percipiuntur* participare seu assimilari aut conformia esse veritati absolutæ et a se seu Deo; ergo Deus est norma omnis cognitionis objectiva.

Atque hæc est doctrina, quam apud doctissimos Philosophos passim invenies. Ita inter alios probationes nostras adstruit D. Thomas (1): *Veritas rerum est, secun-*

(1) *Summ. Theol.* Quæst. XVI. Art. 5. ad 2.

dum quod conformantur suo principio, scilicet intellectui divino. Et (1) : *Si vero loquamur de veritate, secundum quod est in rebus, sic omnes sunt veræ unâ primâ veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem. Et sic licet plures sint essentiæ vel formæ rerum, tamen una est veritas divini intellectus, secundum quam omnes res denominantur veræ.*

Clarius etiam loquitur S. Augustinus multis in locis. Sic in Soliloquiis (2) : *Deus intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent omnia.* Et alibi (3) : *Si ambo videmus verum esse, quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi, quæso, id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsâ, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate.* Iterum (4) : *Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat: nam illud jam ipse Deus est.... quo adjuta videt, quidquid etiam in se intelligendo videt.* Demum præter plurima alia (5) : *Veniat in mentem illud, quod intelligere appellamus, duobus modis in nobis fieri: aut ipsâ per se mente atque ratione intrinsecus; ut cum intelligimus* ESSE *ipsum intellectum* (notiones evidentes), *aut admonitione a sensibus, ut cum intelligimus esse corpus. In quibus duobus generibus illud primum per nos, i. e. de eo, quod apud nos est, Deum consulendo; hoc autem secundum de eo, quod a corpore sensuque nuntiatur, nihilominus Deum consulendo intelligimus.*

(1) Ibidem, Art. 6 in corp.
(2) Soliloq. 1.
(3) Conf. L. 12. Cap. 25.
(4) De Genesi ad litteram. Lib. 12
(5) Epistol. 13 ad Nebridium.

4° Tandem quasi analysim totius nostræ hujus theoriæ conficit S. Bonaventura (1), dum docet: *Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad essentiæ unitatem, primo defigat aspectum in ipsum* ESSE *et videat ipsum* ESSE *adeo in se certissimum, quod non potest cogitari* NON ESSE; *quia ipsum* EST *purissimum non occurrit nisi in plenâ fugâ* NON-ESSE; *sicut et* NIHIL *in plenâ fugâ* ESSE. *Sicut igitur* OMNINO NIHIL *nihil habet de* ESSE, *nec de ejus conditionibus; sic e contra ipsum* ESSE *nihil habet de* NON-ESSE, *nec actu, nec potentiâ, nec secundum veritatem rei, nec secundum æstimationem nostram. Cum autem* NON-ESSE *privatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per* ESSE: ESSE *autem non cadit per aliud, quia omne, quod intelligitur, aut intelligitur ut* NON ENS, *aut ut* ENS IN POTENTIA, *aut ut* ENS IN ACTU. *Si igitur* NON-ENS *non potest intelligi nisi* PER ENS, *et* ENS IN POTENTIA *nonnisi* PER ENS IN ACTU, *et* ESSE *nominat ipsum purum actum entis,* ESSE *igitur est, quod primo cadit in intellectu, et illud* ESSE *est, quod est purus actus. Sed hoc non est* ESSE *particulare, quod est* ESSE *arctatum, quia permixtum est cum potentiâ....* RESTAT IGITUR, QUOD ILLUD ESSE EST ESSE DIVINUM. *Mira igitur est cæcitas intellectûs, qui* NON CONSIDERAT ILLUD, QUOD PRIUS VIDET ET SINE QUO NIHIL POTEST COGNOSCERE. *Sed sicut oculus intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt, et si videt, non tamen advertit: sic oculus mentis nostræ intentus in ista entia particularia et universalia, ipsum* ESSE *extra omne genus,* LICET PRIMO OCCURRAT MENTI ET PER IPSUM ALIA, *tamen non advertit. Unde verissime apparet, quod sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem, ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ:*

(1) Itiner. ment. ad Deum. Cap. 5. Pag. 137.

quia assuefactus ad tenebras entium et phantasmata sensibilium, cum ipsam lucem summi ESSE *intuetur, videtur sibi nihil videre; non intelligens, quod ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio; sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre.*

Eandem doctrinam tradunt Clemens Alexand. (1), Minutius Felix (2), S. Anselmus (3), Fenelon (4) et ultimis temporibus Philibert (5), D[nus] de Bonald (6), et recentissime Cl. Staudenmaier (7)

(1) *Libro 7. Stromat.*

(2) *In Octavio passim.*

(3) *Monologio* et *Proslogio*. Vide etiam synops. hist. phil. Period. II. Sect. 1. Epoch. 1.—2.

(4) *De l'existence de Dieu.* Part. 1. passim.

(5) *Philosophie der Aeltesten für denkende Philosophen der neuesten Zeiten. Seelenlehre von dem Menschen. Drittes Hauptstück.*

(6) *Recherches philosophiq.* chap. 10, ubi inter alia hæc memoranda habet : *Ainsi, je ne saurais assez le répéter, nous pensons l'être de Dieu dans les idées générales, même lorsque nous ne pensons pas à son existence, ou même que nous la nions par nos idées particulières. Nous l'affirmons dans une langue, en même temps que nous le nions dans une autre; nous pensons par lui, même lorsque nous ne pensons pas à lui; c'est la lumière, que nous ne voyons pas et par laquelle nous voyons tous les objets; c'est la vie, que nous ne sentons pas et qui fait que nous sentons. Il est le Dieu caché, comme il s'appelle lui-même :* DEUS ABSCONDITUS *: caché dans le monde intellectuel, sous le nom* DE VÉRITÉ *: caché dans le monde physique sous le nom* DE CAUSE *; caché dans le monde moral ou social sous le nom* DE POUVOIR *; caché même au fond de nos cœurs dans l'immensité de nos désirs et le vague de nos espérances. En lui nous vivons, puisqu'il est le père de la vie; en lui, nous nous mouvons, puisqu'il est le premier auteur du mouvement; en lui nous sommes, puisqu'il est la source de l'être :* IN IPSO VIVIMUS, MOVEMUR ET SUMUS.

(7) In opere : *Philosophie des Christenthums*, et in tractatu de existentiâ Dei edito in : *Zeitschrift für Theologie*, Band. X. Freib. in Breisg. 1843, ubi pag. 27 paucis, sed energicis verbis ita habet : « *Das absolute Sein der Gottheit stellt als wahres wirkliches Dasein auf urkraeftige Weise der Anschauung sich selber hin.*

Tandem egregie eandem rem evolvit Cl. A. M. in opere : *De la perfectibilité humaine*, liv. I. Chap. 8. Pag. 50 et seqq. dicens : *L'idée et l'amour de l'infini et du parfait sont tout ce qu'il y a de plus primitif. de*

94. Sic stabilitâ objectivâ realitate ideæ τοῦ *esse simpliciter* sequitur :

1° *Deum esse primum principium omnis cognitionis objectivum; ideam vero Dei* (sub idea τοῦ *esse simpliciter*) *principium subjectivum.* (1) Nam *a*) illud est *princi-*

pius fondamental dans notre intelligence et dans notre cœur. C'est l'idée de l'infini qui nous fait juger fini tout ce que nous voyons : c'est le sentiment du parfait et du bien souverain qui nous fait trouver du vide et du dégoût dans tous les biens terrestres.

Mais d'où peut nous être venue l'idée d'une perfection supérieure à tout ce que nous voyons? Avons-nous pu concevoir l'idée et l'amour du parfait et de l'infini, nous qui partout n'apercevons que l'imparfait et le fini? c'est-à-dire, le néant peut-il être, le fini peut-il devenir infini? Non, à moins de heurter toutes les notions fondamentales de la raison, je ne puis m'empêcher de reconnaître un être infini qui soit l'archétype de cette idée, l'objet de ce sentiment; car ce qui n'est pas, ne peut être connu, ni senti. Mais cette idée, cette représentation de l'infini qui est en moi, est-elle distincte de son objet? Puis-je, sans admettre deux infinis, refuser de croire que c'est l'être infiniment parfait qui se rend immédiatement présent à moi, quand je le conçois, et qu'il est l'idée même que j'ai de lui?

Oui, quelque incroyable que la chose me paraisse d'abord, tout me démontre que l'idée et le sentiment du souverain bien ne sont pas autre chose que l'action de l'être souverainement parfait qui se révèle certainement, quoique d'une manière confuse, à mon intelligence, et qui par cette vue attache ma volonté à sa poursuite.

(1) Cum *principium ex Ontol.* Part. III. Cap 1. Pag. 308 et 309 generatim dicatur *id, quod continet rationem alterius*, principium cognitionis consequenter erit id, quod *cognitionis nostræ aliquam rationem continet.* Cum autem omnis cognitio includat in se et perceptionem subjectivam et objectum perceptum, sequitur, *duplex* esse *principium cognitionis*, *objectivum et subjectivum : — objectivum*, quod contineat rationem, ob quam solam objecta reliqua fiant actu perceptibilia : — *subjectivum*, quod contineat rationem, ob quam solam subjectum percipiens fiat expeditum ad actu percipienda reliqua objecta. Ast cum mens, etiamsi actu expedita esset ad percipiendum, percipere tamen actu non posset, nisi objectum sit actu perceptibile, patet, ad cognitionem quamcunque principium cognitionis utrumque, tam objectivum, quam subjectivum, ita indivisim concurrere, ut quamvis objectivum stare possit sine subjectivo, non tamen subjectivum sine objectivo : quemadmodum objectum ipsum, i. e. τὸ esse simpliciter, est in se cognoscibile, etiamsi nulla adsit actualis cognitio ex parte mentis, tamen non potest esse actualis cognitio ex parte mentis sine illo objecto, i. e. sine τῷ esse simpliciter. Unde etiam IDEA ipsa sola τοῦ esse simpliciter dici potest *totale* principium omnis cognitionis.

pium objectivum omnis cognitionis, quod per se ipsum immediate noscitur et intelligitur, et per quod solum cætera omnia cognoscuntur et intelliguntur : sicut lumen physicum est principium objectivum omnis visionis physicæ, quia ipsum ab homine organice vidente videtur per

quia idea hæc, ut principium subjectivum, ex naturâ suâ necessario connexa est cum principio objectivo, ut adeo utrumque in subjectivo involvatur.

Idem dic *de principio certitudinis*. Namque principium certitudinis (Log. Appl. Sect. IV. Pag. 170) est illud primarium motivum, quo quilibet homo infallibiliter judicare potest de existentiâ cæterorum motivorum et eorum cum veritate necessariâ connexione, et quo consequenter ultimato impellitur ad adhærendum veritati cognitæ seu ad certitudinem. Ast hoc primarium motivum, cui omnia cætera motiva innituntur, ut patet ex ipsâ expositione criteriorum veritatis, est EVIDENTIA IMMEDIATA, seu IMMEDIATUS INTUITUS : *rem ita esse et aliter esse non posse :* APPLICATUS ad principia rationis et maxime ad primum eorum, i. e. AD PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS, a quo formâ magis, quam sensu differt. Etenim : *res, quæ est, ita est, ut est, et non potest simul esse aliter*, et : *nihil potest esse simul et non esse :* adeoque etiam intuitus : *rem ita esse et aliter esse non posse :* et intuitus : *nihil posse esse simul et non esse ;* ut patet, re ipsâ idem sunt. Itaque EVIDENTIA IMMEDIATA, prærequisita ad omnem aliam evidentiam, et IDEA PRINCIPII CONTRADICTIONIS identificantur. Sed *idea principii contradictionis* realiter est idem ac *idea τοῦ esse simpliciter*, utpote quæ, ut ad varias cognitiones applicabilis sit, formulâ quâdam expressa eumdem actum mentis denotat ac ipsa notio principii contradictionis. Utrâque enim ideâ *esse* attingitur, quod ita percipitur esse, ut non possit percipi non esse : et utraque de facto prælucet et prælucere debet, ut sive alia motiva sive motivorum cum veritate connexio cognosci possint. Ergo cum EVIDENTIA IMMEDIATA et prima, prærequisita ad omne aliud motivum certitudinis sit = IDEÆ PRINCIPII CONTRADICTIONIS : IDEA AUTEM PRINCIPII CONTRADICTIONIS = IDEÆ τοῦ ESSE SIMPLICITER ; sequitur, EVIDENTIAM IMMEDIATAM esse = IDEÆ τοῦ ESSE SIMPLICITER immediate perceptæ. Ast *idea τοῦ* esse simpliciter est necessario connexa (ex dictis supra de principio cognitionis) cum τῷ ESSE SIMPLICITER ; ergo cum τὸ *esse simpliciter* sit *principium objectivum*, *idea* autem ejusdem *principium subjectivum omnis certitudinis* (uti statim Pag. 214—2° explicatur) sequitur, IDEAM τοῦ *esse simpliciter*, adeoque EVIDENTIAM IMMEDIATAM esse TOTALE *principium certitudinis*, quia hæc idea, ut principium certitudinis subjectivum, ex naturâ suâ necessario involvit principium objectivum seu ipsum τὸ esse simpliciter, cum idea nulla sit sine objecto, objectum autem hoc non possit esse mere subjectivum, sed ex ipsâ notione evincatur esse objectivum.

seipsum, cætera autem omnia nonnisi per ipsum videntur: atqui Deus sub ideâ τοῦ *esse simpliciter* per seipsum immediate a ratione noscitur, cætera autem omnia nonnisi per ipsum cognoscuntur et intelliguntur; ergo Deus est principium objectivum omnis cognitionis (1). Dico *omnis* cognitionis, etiam ejus, quæ maxime mediata est et per ratiocinia acquiritur. Nam nullum ratiocinium possibile est sine principiis immediate notis seu sine principiis rationis: atqui principia rationis sunt ipsa idea τοῦ *esse simpliciter* (2) sub formulis quibusdam intellectui nostro ad ratiocinandum accommodata; ergo nullum ratiocinium adeoque nec ulla cognitio per ratiocinium acquisita possibilis est sine ideâ τοῦ *esse simpliciter*; ergo.....
b) Illud est *principium subjectivum* omnis cognitionis, per

(1) Simili ratione etiam S. Thom.: *Summ. Theol. Part.* 1. *quæst.* 84. *art.* 5. explicat, quomodo homo in rationibus æternis seu in Deo omnia cognoscat, dicens: *Aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo, sicut in objecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea, quorum imagines in speculo resultant: et hoc modo anima in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus æternis; sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia beati, qui Deum vident, et omnia in ipso. — Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio, sicut si dicamus, quod in sole videntur ea, quæ videntur per solem: et sic necesse est dicere, quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis.* Nam, ut ibidem ait: *Per ipsam sigillationem divini luminis in nobis omnia demonstrantur.* Ast, quemadmodum, ut in lumine solis omnia videamus, præter lumen solis requiruntur res sensibiles et visibiles, sic ut in lumine divino res materiales cognoscamus, requiritur impressio earum in sensus. Unde addit S. Thomas: *Quia tamen præter lumen intellectuale in nobis exiguntur species intelligibiles a rebus acceptæ ad scientiam de rebus materialibus habendam; ideo non per solam participationem rationum æternarum de rebus materialibus notitiam habemus, sicut Platonici posuerunt, quod sola idearum participatio sufficit ad scientiam habendam. Unde Augustinus dicit in* 4 *de Trinit. C.* 16. NUMQUID QUIA PHILOSOPHI DOCUMENTIS CERTISSIMIS PERSUADENT, ÆTERNIS RATIONIBUS OMNIA TEMPORALIA FIERI, PROPTEREA POTUERUNT IN IPSIS RATIONIBUS PERSPICERE, VEL EX IPSIS COLLIGERE, QUOT SINT ANIMALIUM GENERA, QUÆ SEMINA SINGULORUM? NONNE HÆC OMNIA PER LOCORUM AC TEMPORUM HISTORIAM QUÆSIERUNT.

(2) Vide *Logicam Puram*, Pag. 53 N° 63 et notam.

quod mens expeditur et actu capax fit ad cognoscendum : atqui sine ideâ τοῦ *esse* mens semper maneret in actu primo, et per eam solam expeditur, ut ad actum secundum transire possit seu proprie dictam et intellectivam cognitionem acquirere ; ergo idea τοῦ *esse simplicitrr* est principium subjectivum omnis cognitinis (1).

2° *Deum esse principium omnis certitudinis objectivum ; ideam vero Dei* (sub ideà τοῦ *esse impliciter*) *esse principium subjectivum.* Nam *a*) *Principium objectivum* omnis certitudinis est illud, quo non percepto nec ullum motivum nec ulla motivorum cum veritate connexio cognosci et intelligi potest : atqui τῷ *esse simpliciter* seu Deo non percepto nec ullum motivum nec ulla motivorum cum veritate connexio cognosci et intelligi potest ; ergo..... *b*) *Principium subjectivum* omnis certitudinis est illud, quo mens actu expedita fit ad intimum intuitum rem ita esse et aliter esse non posse, seu ad actu cognoscendum et motiva judiciorum suorum et eorum cum veritate connexionem : atqui sic expedita mens fit per ideam τοῦ *esse simpliciter* seu per principia rationis immediate percepta ; ergo..... (2).

(1) Egregie idearum naturam et originem exponit, et demum ex suâ theoriâ ideam Dei tanquam principium transcendentale omnis cognotionis et volitionis derivat Clar. Fr. Ant. Staudenmaier, Prof. Theol. in Universit. Friburg. Brisg. in opere suo eruditissimo : *Die Philosophie des Christenthums oder Metaphysick der Hl. Schrift. — Erster Bd. Lehre von der Idee.*

(2) Atque hanc veritatem, etsi non penitius evolverint, tamen rationali quodam instinctu senserunt tam Socrates, asserens, rationem humanam divinitatis participem esse : μετέχει τοῦ θείου Xenoph. Mem. 1. 4 et IV, 3 ; quam Cicero, *de Legib.* 1, 7, dicens : *Prima hominis cum Deo rationis societas :* et *Quæst. Tuscul.* 1, 26 : *Ergo animus, ut ego dico, divinus est, ut Euripides audet dicere, Deus est.*

95. II. Quoad *ideas sensuales* ita ratiocinamur :

Ideæ sensuales sunt *objective reales*, seu certi sumus (certitudine non solum naturali, sed etiam philosophicâ et scientificâ, cujus ultimam rationem reddere possimus) corpora per eas repræsentata actu et talia existere, qualia per ideas sensuales percipiuntur, si validæ et scientifice cognitæ sint probationes in Criterio sensuum externorum vel sensûs intimi (1) allatæ ; hæ autem probationes sunt validæ et scientifice cognitæ, si *a*) principia, quibus innituntur, non sint fatalis quædam necessitas mentis sic concipiendi seu meræ formæ mentis sine objectivâ realitate, sed noscantur objective realia ; et si *b*) invincibilis illa propensio referendi sensationes ad corpora ut actu ferientia sensus nostros sit reflexa et cujus ratio reddi possit. Atqui

a) Principia, quibus innituntur probationes ibi allatæ sunt principia rationis (2), quæ ex dictis realiter sunt ipsa idea *τοῦ esse simpliciter* formulis quibusdam expressa; ergo sicut hæc, ita et illa sunt objective realia, utpote ipsa veritas absoluta seu Deus sub ideâ *τοῦ esse simpliciter* immediate perceptus.

b) Invincibilis illa propensio est reflexa ; ejusque ratio ex supra dictis hæc reddi potest et debet ; menti occasione sensationis ita intime præsens sisti *τὸ esse simpliciter*, ut vel invita illud percipere illique vel necessario assentiri, vel

(1) *Log. Applic.* Part. II. sect. 3. cap 2 et 3. pag. 130 et seqq. et 135 et seqq.

(2) Principia rationis omnia fundantur in principio contradictionis et ad hoc tanquam ratione prius et primum facile reducuntur : principium autem contradictionis et idea τοῦ esse simpliciter identificantur : ergo hæc idea etiam realiter ab aliis principiis rationis non distinguitur.

rationalitati suæ nuntium remittere debeat. Rationalitatis enim est cognoscere; sed mens cognoscere non potest non percepto τῷ *esse simpliciter*; ergo sine perceptione τοῦ *esse simpliciter* nec rationalis esse potest.

Ergo *ideæ sensuales sunt objective reales*; et quà tales etiam contra Kantium, utpote per analysim earum, probatæ

96. III. Quoad *conceptus stricte dictos* seu *ideas universales* ita ratiocinamur:

1° Conceptus isti exhibent nobis essentias sive metaphysicas sive physicas in abstracto seu possibilitates rerum: atqui possibilitates rerum realiter spectatæ sunt ipsa essentia divina, quà imitabilis ad extra seu quà exemplaris omnium creabilium (1); ergo cum Deus seu ens realissimum ex ipsâ notione suâ evincatur actu existere, etiam hi conceptus objective spectati evincuntur realiter esse ipsa essentia divina (2).

2° Tum conceptus possibilium, tum idea entis realissimi involvit in se necessario objectivam realitatem conceptuum universalium, et quidem

a) *Conceptus possibilium.* Nam id concipimus ut possi-

(1) Vide *Ontol.* Part. I. Cap. 2. et Part. II. Sect. 1. Pag. 202 et seqq. et 213 et seqq.

(2) Mallebranche asserit, nos ideas et possibilitates rerum immediate videre in ipso Deo. Non nostra hæc sententia est. Ex supra dictis enim patet, conceptus rerum possibilium et universales formari ab intellectu per abstractionem ex ideis sensualibus. Sed hic quæstio non est, quomodo ad ideas rerum universales perveniamus, sed an istæ ideæ seu conceptus generici semel ex ideis sensualibus formati etiam *ut sic* seu ita in abstracto considerati habeant objectivam realitatem seu esse aliquod ab *esse* mentis nostræ distinctum: et ad hanc respondemus, eos objective spectatos realiter (non tamen formaliter) esse ipsam entitatem divinam ut intelligibilem seu imitabilem ad extra.

Cavendum hic tamen, ne ideas, quas nos habemus abstractas, etiam a

bile, quod existere potest; sed nihil existere potest, nisi sit vis, quæ existentiam dare possit: nulla autem vis existentiam dare potest, nisi noscat et intelligat id, cui existentiam dare velit; ergo nihil existere potest, nisi sit vis intelligens; ergo *conceptus possibilium involvit in se notionem vis intelligentis.*

Porro hæc vis est infinita. Nam inprimis est vis *a se*: si enim non esset *a se*, esset *ab alio*, adeoque et ipsa possibilis fuisset; ergo non esset ultimata ratio possibilium. Dein possibilia ita concipimus possibilia, ut nunquam tantum numerum entium existere concipere possimus, ultra quem non plura continuo alia possibilia in indefinitum concipiamus; ergo conceptus possibilium involvit notionem rationis sui infinitæ. Si enim ratio possibilium esset finita, finito solum numero possibilium sufficeret, ultra quem aliis possibilibus existentiam dare non posset; ergo hæc non essent possibilia, quia ob defectum rationis sui existere non possent: atqui impossibile nobis est concipere numerum possibilium esse finitum, quia quod ut bis possibile concipere possumus, necessario in indefinitum possibile concipimus; ergo vis seu ratio possibilium est infinita, et ex præcedenti intelligens; ergo *conceptus possibilium involvit in se notionem rationis seu entis infinite intelligentis.*

Deo putemus concipi in statu abstractionis et in genere. Deus enim non habet ideas abstractas, sed cum possibilitates omnes individuæ sint in Deo quâ ideæ exemplares rerum creabilium, genericæ autem notæ simul cum notis individualibus constituant cujusvis individui possibilitatem, uti v. g notæ genericæ animalitatis et rationalitatis simul cum notis Petro propriis Petrum possibilem, sequitur, etiam has notas, quæ a nobis in abstracto concipi possunt, in Deo contineri inclusas in ipsâ ideâ possibilitatis individuorum.

Sed ens infinite intelligens noscit omnia in se cognoscibilia adeoque omnia possibilia; ergo omnia possibilia ut intellecta et cognita existunt realiter in intellectu infinito. Jam vero conceptus universales exhibent nobis possibilia; ergo *hi conceptus ex ipsa notione possibilium evincuntur esse objective reales.*

b) *Idea entis realissimi.* Nam ens realissimum ex notione suâ habet omnes perfectiones; ergo habet etiam libertatem. Sed ens realissimum, utpote ens *a se* et necessarium, non potest esse liberum *ad intra* sive quoad amorem sui et odium mali etc., sive quoad modos proprie dictos; ergo est liberum *ad extra.* Sed libertas *ad extra* involvit potentiam creandi, potentia creandi autem intelligentiam creabilium adeoque notionem possibilium: ergo idea entis realissimi involvit actualem et æternam, quia enti realissimo essentialem, notionem possibilium; ergo cum hæc sint objecta conceptuum stricte dictorum, hi conceptus ex ipsâ notione entis realissimi evincuntur esse objective reales (1).

Insuper notio entis realissimi involvit non tantum intelligentiam, sed etiam intelligibilitatem adæquatam ipsius essentiæ. Nam inprimis clarum est, ens realissimum, ut sit realissimum, debere cognoscere omnia possibilia. Jam vero in cognitione suâ non potest dependere ab alio; dependeret autem a possibilibus, si ea ut a se distincta cognosceret; ergo cognoscit ea ut indistincta a se seu ut secum identificata; ergo ens realissimum non est tantum intelligens, sed necessario ex ipsâ notione suâ etiam intelligibile secundum

(1) Conf. Fénelon: *Lettre sur l'idée de l'infini*, quest. II. et: *Extrait d'une lettre sur la réfutation de Spinosa.*

exemplaria creabilium seu secundum omnia possibilia; ergo hæc sunt ipsum ens realissimum quà intelligibile; ergo cum sint objecta conceptuum stricte dictorum, hi ex ipsâ notione entis realissimi evincuntur esse objective reales (1).

Atque ita et origo et objectiva realitas omnium cognitionum nostrarum exposita et summatim probata est.

97. Juvat tamen, cum summi momenti res sit, totam theoriam in pauca verba contractam quasi sub uno conspectu ob oculos ponere.

Agitur hic maxime contra Idealistas, quorum pantheistica doctrina totam fere hodiedum ubique philosophiam inficit. Notum est nempe, empirismum Lockii seu eam doctrinam, quæ omnes nostras cognitiones a sensibus derivat, ultimo jam seculo ita evolutam esse, ut primo in materialismum et dein etiam in absolutum scepticismum

(1) Rogari hic posset, quomodo Deus possit esse intelligibilis secundum possibilia. Consulamus ejus imaginem, hominem. Homo, v. g. qui arti horologiariæ dat operam, notiones variorum successive horologiorum totiusque eorum internæ constructionis acquirit. Notiones autem sic acquisitas identificat, ut ita dicam, cum *esse* animæ suæ, et anima notionibus istis sic instructa fit relate ad has notiones intelligibilis ita, ut ille, qui eas notiones habet, idem intelligat in se, quod alter, qui eas notiones nondum habet, non posset intelligere, nisi ex horologiis exhibitis et diligenter examinatis. Sic nostrûm omnium anima est intelligibilis quoad litteras, quia harum intelligibilitatem nobis comparavimus et cum animâ nostrâ quasi identificavimus. Jam vero, quod nos quoad paucas notiones et solum per acquisitionem habemus et habere possumus, hoc ens realissimum ex ipsâ notione suâ quoad omnes notiones et per essentiam habere debet. Nam certe ens notionibus sic instructum est perfectius, quam ens, quod potentiam solum habet acquirendi notiones; et ens, quod non indiget acquirere, sed in essentiâ suâ habet totam intelligibilitatem omnium rerum, est perfectius et plus *esse* et realitatis habet, quam ens, quod indiget acquirere; ergo ens realissimum, utpote omnes *esse* omnemque realitatem ex ipsâ notione suâ in se complectens ex ipsâ notione suâ, est etiam necessario intelligibile.

abierit. Huic se opponens Kantius ita empirismum et pullulantem inde materialismum refutavit, ut non modo ipse scepticismum non evitaret, sed ut simul ansam præberet, ut in alterum extremum, i. e. in idealismum absolutum, subjectivum vel objectivum, autotheismum vel pantheismum idealem turmatim abiretur. Cum enim Kantius ex unâ parte probasset, notiones nostras transcendentales et necessarias ab objecto seu ab experientiâ nobis advenire non posse, ex alterâ autem parte doceret, notiones istas esse formas menti nostræ a *priori* inhærentes, ex quibus, cum ipsæ objective reales probari nequeant, etiam nihil aliud objective reale cognosci vel probari possit; quæstio illa magna orta est: *quomodo a subjectivo transiri possit ad objectivum*, i. e. quomodo *scientifice* ab ideâ subjectivâ possimus pervenire ad certo cognoscendam objectivam, notionum etiam transcendentalium et necessariarum, realitatem. Ex quâ quæstione male seu potius nullatenus solutâ, cum omnis perversa moderna philosophia ortum duxerit, operæ pretium erat, illius solutionem et quidem in sensu adversariorum tentare. Qua in re hanc viam secuti sumus.

A. Kantius admittit, et vero cum ipso omnes, nisi plane sceptici esse et impossibilitatem omnis etiam mere subjectivæ scientiæ proclamare velint, admittere debent: *judicia analytica*, i. e., ea, quæ in ideâ subjecti inclusam habent ideam prædicati, esse necessario *subjective vera*. Ergo si aliqua reperiatur *idea analytica*, quæ – *a*) *non possit esse subjective vera, quin objectivam realitatem habeat*, et si —*b*) hæc idea simul ea sit, quæ possit esse et ex analysi cognitionum probetur esse *norma omnis cognitionis et prin-*

cipium omnis certitudinis : quæstio ista soluta esset. Atqui.

B. *Idea hæc analytica est idea τοῦ esse simpliciter.* Namque hæc idea

a) *Non potest esse subjective vera, quin objective realis sit.* Etenim *idea τοῦ esse simpliciter* est *idea entis a se;* cum omne, quod concipitur *esse ab alio,* non possit concipi *simpliciter esse : idea* autem *entis a se* involvit in se *ideam entis realissimi* (pag. 223. n° 27); *idea* vero *entis realissimi* involvit in se *actualem existentiam* (pag. 236 et seqq.). Ergo *idea τοῦ esse simpliciter* involvit in se *actualem existentiam* seu *objectivam realitatem;* adeoque *hæc idea non potest esse subjective vera, quin sit objective realis.* Ast hæc idea etiam

b) *Ex ipsâ analysi cognitionum probatur esse norma omnis cognitionis et principium omnis certitudinis.* Nempe *norma omnis cognitionis* etiam transcendentalis et necessariæ, et *principium omnis certitudinis* est ipsum *principium contradictionis* seu idea vel notio, *nihil posse esse simul et non esse* (pag. 211, nota 1) : atqui principium contradictionis seu idea ista : *nihil posse esse simul et non esse : est ipsa idea τοῦ esse simpliciter* sub formulâ quâdam expressa (*Log. Pur.*, pag. 53). Ergo hæc idea est nobis norma omnis cognitionis et principium omnis certitudinis. Et vero

Quidquid concipimus, concipimus ut esse, ut verum, ut justum, ut pulchrum et hujusmodi; et quidem ut magis vel minus esse, magis vel minus verum, justum, pulchrum etc. atqui ita concipere non possumus, quin implicite judicemus, illud, quod concipimus, esse conforme, et quidem magis vel minus conforme τῷ esse,

τῷ vero, τῷ justo simpliciter etc.; ergo τὸ esse, τὸ verum, justum, pulchrum simpliciter etc. est nobis norma omnis conceptûs. Jam autem τὸ verum, τὸ justum, et pulchrum simpliciter, uno verbo, omnis perfectio, quæ dicitur simplex seu quæ concipitur sine ullo defectu, est ipsum τὸ esse simpliciter. Ergo *idea τοῦ esse simpliciter* sub diverso suo respectu est nobis inprimis *norma omnis cognitionis* (Vide pag. 205 et seq. Prob. 2,–a). Dein

Sine notione istâ : *nihil posse esse simul et non esse:* nulla philosophica certitudo possibilis est. Etenim, si quid esse simul et simul non esse posset, etiam cogitare, existere quis posset et simul non cogitare, non existere, idea prædicati contineri in ideâ subjecti et simul non contineri etc. Ergo *non admissâ veritate* hujus notionis seu *principii contradictionis* nulla ne analytica quidem notio seu ne analyticum quidem judicium ut verum admitti, adeoque *nulla certitudo* haberi posset (admittere enim veritatem est ei adhærere aut de eâ certus esse) : ergo huic principio ultimato innititur omnis certitudo tanquam fundamento. Atqui principium contradictionis seu *notio ista : nihil posse esse simul et non esse:* est idem ac *idea τοῦ esse simpliciter.* Ergo *sine hâc ideâ nulla certitudo*, et *huic tanquam* fundamento et *principio* ultimato innititur *omnis certitudo.*

Ergo demum *hæc idea τοῦ esse simpliciter ex ipsâ analysi cognitionum nostrarum probatur esse inprimis norma omnis cognitionis, et dein principium omnis certitudinis.*

Jam vero hæc idea ex *a*) non potest esse subjective vera, quin sit objective realis : ergo *norma omnis cognitionis et principium omnis certitudinis* necessario non modo *subjectivâ veritate*, sed et *objectivâ realitate*

Ergo etiam *ea, quæ huic ideæ innituntur vel per eam probantur, eâdem et veritate et objectivâ realitate eâdemque adeo philosophicâ certitudine gaudent.* Quam in rem liceat nobis hìc uti communi quâdam comparatione. Sit aliquis, qui somniet, se cum lumine accenso perlustrare suum cubiculum: hic utique cognoscere nequit, quid realiter in suo cubiculo sit, siquidem, sicut lumen, quocum perlustrat, sic ea, quæ perlustrantur, sint mere subjectiva mentis somniantis phantasmata. Ast idem, si vigil reflexe in suâ manu videt lumen accensum, ita quidem, ut de ejus luminis objectivâ realitate dubitare absolute non possit, etiam de objectivâ realitate eorum, quæ mediante hoc lumine percipit, necessario æque certus erit. Atqui applicatione factâ conditio somniantis est conditio eorum, qui per formas mere subjectivas res se percipere autumant: conditio vero vigilis est conditio eorum, qui reflexe tam normam omnis cognitionis, quam principium omnis certitudinis ita intelligunt, ut de objectivâ eorum realitate dubitare absolute non possint.

Ergo *de omnibus, quæcunque per evidentiam sive immediatam, sive mediatam* (adeoque per sensum intimum, sensus externos, auctoritatem, sensum naturæ communem atque per legitima ratiocinia) *reflexe cognoscimus, philosophicam et vere scientificam certitudinem obtinemus tam quoad subjectivam eorum veritatem, quam quoad objectivam realitatem.*

Ergo quæstio illa: *quomodo a subjectivo transiri possit ad objectivum*: quoad omnes nostras cognitiones summatim explanata et soluta est per ipsam analysim ideæ τοῦ esse simpliciter et cognitionum nostrarum. Jam vero, si originem spectes,

C. Idea τοῦ esse simpliciter, uti tam ex hic dictis patet, quam ex Art. 2 hujus capitis colligitur, neque tanquam forma menti inhærens spectari potest, neque est proprie loquendo innata, neque activitate mentis producta seu formata, neque per sensus proxime vel remote acquisita, sed ratio τὸ esse simpliciter percipit immediate, et quidem, saltem reflexe, occasione sensationis, et præcipue occasione sermonis seu verbi humani.

CAPUT II.

De origine appetitionum.

98. *Nihil*, quà nihil, uti non percipi, ita nec appeti potest, ergo quidquid appetitur, appetitur ut *esse* seu ut *bonum* (1). *Bonum* autem relate ad hominem est duplex, *sensitivum* et *rationale*. Homo nempe, utpote compositum substantiale, constans ex animalitate et rationalitate, pro diversitate substantiarum, ex quibus componitur, diversas etiam habet appetitiones : *animales*, quatenus *instinctu* quodam bono corporis sui consulere satagit; et *rationales*, quatenus cum *advertentiâ rationis* et hinc cum cognitione finis bono sive corporis sive animæ providet.

Porro appetitiones animales, sicuti in brutis, ita et in homine, *originem* ducunt ex sapienti dispositione Dei, quâ natura animalis ita constituta est, ut per stimulos animales (2) propriæ conservationi studeat et ad finem sibi præfixum dirigatur.

Verum hic hominem maxime circa nobiliorem sui par-

(1) Vide *Ontol.* Part. I. Cap. 4. Pag. 209

(2) *Psycholog. Empir.* Part. II. Cap. 1. Pag. 3 et seqq.

tem, i. e. circa animam rationalem consideramus, et hinc in ejus appetitiones, quà humanas seu rationales, quæ proprio nomine *volitiones* vocantur, præcipue inquirendum nobis est. Quâ in re ita procedemus, ut 1° in principium volitionum humanarum, et 2° in finem et destinationem hominis ex volitionibus ejus eruendam distinctis articulis inquiramus.

ARTICULUS PRIMUS.

De principio volitionum humanarum.

99. *Principium* in actibus humanis duplex invenitur, *subjectivum* scilicet et *objectivum*; unde, ut *origo* volitionum humanarum, quantum brevitati consulendo fieri potest, elucescat, utrumque earum principium est exponendum. Est autem *principium subjectivum* omnis volitionis *volitio boni simpliciter* et consequenter *principium objectivum* est ipsum hoc *bonum simpliciter* seu Deus sub ideâ boni simpliciter implicite perceptus : id quod totidem propositionibus probabimus.

100. PROP. I. PRINCIPIUM SUBJECTIVUM OMNIS VOLITIONIS EST VOLITIO BONI SIMPLICITER.

Prob. Illud est principium subjectivum omnis volitionis, quo mens expeditur et actu capax fit ad ponendas volitiones : atqui sine volitione *boni simpliciter* mens non posset velle quidquam aliud (1), et per eam solum expedi-

(1) Id quod fere per se jam illucescit, et ex analogâ appetitione animali intelligi etiam clarius potest. Etenim intelligimus, nos v. g. carnes vel panem non posse appetere, nisi generatim appetitum habeamus alimenti. Quemadmodum itaque famelicus aliquis simpliciter in cibum tendit, et solum per hanc suam tendentiam in cibum generatim expeditur et actu capax

tur et actu capax fit ad ponendas volitiones particulares; ergo principium subjectivum omnis volitionis est volitio boni simpliciter.

Prob. Min. Nam voluntas in volitionibus suis necessario tendit in bonum : atqui non potest tendere in *bonum* aliquod *tale*, quin tendat in *bonum simpliciter ;* ergo.....

Dico 1° *Voluntas necessario tendit in bonum.* Volitio enim est determinatio spontanea voluntatis *ad aliquid ;* cum *nihil*, uti non perceptionis, ita nec volitionis objectum esse possit : atqui *hoc aliquid* debet esse *bonum.* Naturâ enim suâ ens quodvis quærit, quod sibi convenit statumque suum perfectiorem reddit (1) : atqui id, quod reddit statum entis perfectiorem, est bonum entis : ergo ens quodvis quærit sibi bonum, adeoque omnis volitio necessario tendit in bonum.

Dico : 2° *Volitio non potest tendere in bonum tale, quin tendat in bonum simpliciter.* Omne enim bonum præter bonum simpliciter est bonum tale : atqui prius est percipi bonum simpliciter, quam bonum tale (2) ; ergo in

fit ad appetendum hunc vel illum cibum in specie : sic anima rationalis famelica quodammodo tendit in *bonum simpliciter*, et per hanc suam tendentiam solum expeditur et actu capax fit ad alia *bona talia* in specie appetenda.

Atque hinc etiam illucescit, volitiones boni talis non fieri necessarias, sed manere liberas, etsi volitio boni simpliciter sit necessaria et necessario prærequiratur tanquam conditio, sine quâ non possimus velle bonum aliquod tale. Quemadmodum enim appetitus in cibum in genere (etsi necessarius esset) necessario prærequisitus non impedit libertatem eligendi carnem potius, quam panem vel aliud quid in particulari : ita a pari volitio boni simpliciter necessaria non impedit libertatem eligendi inter bona talia hoc vel illud.

(1) *Psychol. Empir.* Part. II. Cap. 1. Pag. 34 et seqq.

(2) Capite præcedenti, Art. 2. Prop 1. Pag. 182 et seqq.

omni perceptione *boni talis* necessario præpercipitur *bonum simpliciter*. Unde ita : Impossibile est, ut velimus bonum tale, quin velimus bonum simpliciter. Ratio enim, cur velimus bonum tale, est, quia bonum est : atqui bonum simpliciter, hoc ipso, quod non sit nisi bonum, eminenter continet hanc rationem volendi, et quidem ita, ut nulla adsit nec adesse possit ratio nolendi vel non volendi ; ergo, cum ad singulas perceptiones boni talis præpercipiamus, saltem implicite, bonum simpliciter, ad singulas etiam volitiones boni talis prævie et necessario, saltem implicite, volumus bonum simpliciter. Ergo volitio boni simpliciter, saltem implicita, prærequiritur ad omnem aliam volitionem, et per id solum, quod bonum simpliciter necessario velimus, expedimur et actu capaces fimus ad volitiones boni talis. Ergo volitio boni simpliciter est principium subjectivum omnis volitionis (1). Unde per se fluit

(1) Congrue ad istam et sequentem propositionem confirmandam loquitur S. Thomas. *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 105. Art. 4, dicens : *Virtus... voluntatis se extendit ad bonum in universali : est enim ejus objectum bonum universale, sicut et intellectûs objectum est ens universale. Quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum ; solus autem Deus est bonum universale. Unde et ipse solus implet voluntatem, et sufficienter eam movet ut objectum.* Ubi, ut patet, S. Thomas sub *bono* et *ente universali* intelligit *bonum* et *ens*, quod *universum* seu omne bonum et *universum* seu omne esse in se continet, adeoque idem, ac nos *sub τῷ esse simpliciter* vel *sub τῷ bono simpliciter*. Nec tamen exinde sequitur, voluntatem, quæ naturaliter et hinc necessario tendit ad bonum simpliciter, propterea necessario etiam tendere ad bonum aliquod particulare. Nam bonum simpliciter desiderat homo ut finem, bona autem particularia ut media, quorum nullum de se præ cæteris est absolute necessarium. Hinc etiam D. Thomas *loc. cit. quæst.* 60. *art.* 2. ait : *Sicut intellectus cognoscit principia naturaliter, sic voluntas vult finem naturaliter. Unde voluntas naturaliter tendit in suum finem ultimum : omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate causantur omnes aliæ voluntates* (volitiones), *cum quidquid homo vult, velit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult sicut finem, est dilectio naturalis :*

101. PROP. II. PRINCIPIUM OBJECTIVUM OMNIS VOLITIONIS EST BONUM SIMPLICITER, SEU DEUS SUB VOLITIONE BONI SIMPLICITER IMPLICITE VOLITUS.

Prob. Illud est principium objectivum omnis volitionis, quod propter se ipsum immediate volumus, et per quod solum cætera velle possumus : atqui bonum simpliciter propter se ipsum immediate volumus, cum completam habeat rationem, cur illud velimus, et nullam, cur nolimus aut non velimus; per ipsum autem solum cætera velle possumus; cum cætera in tantum solum velle possimus, in quantum sunt bona, bonum autem tale velle non possimus, non prævolito (ut ita loquar), saltem implicite, bono simpliciter; ergo.... Egregie in rem nostram disserit S. Bonaventura (1) : *Operatio virtutis electivæ* (voluntatis) *attenditur in* CONSILIO, JUDICIO *et* DESIDERIO. CONSILIUM *autem est in inquirendo, quid sit melius, hoc an illud : sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum : accessus autem est secundum majorem assimilationem. Nullus igitur scit, utrum hoc sit illo melius, nisi sciat, illud optimo magis assimilari. Nullus autem scit, aliquid alii magis assimilari, nisi illud cognoscat. Non enim scio, hunc similem esse Petro, nisi sciam vel cognoscam Petrum. Omni igitur consilianti necessario est impressa notitia summi boni.* JUDICIUM *autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter judicat per legem, nisi certus sit, quod illa lex recta sit et quod ipsam judicare non debet. Sed mens nostra judicat de se ipsâ : cum igitur non possit judicare de lege, per quam*

dilectio autem ab hac derivata, quæ est boni, quod diligitur propter finem, est dilectio electiva adeoque libera.

(1) Itinerar. mentis ad Deum. Cap. 3. Pag. 135.

judicat, lex illa superior est mente nostrâ.... Nihil autem est superius mente humanâ, nisi solus ille, qui fecit eam. Igitur in judicando deliberativa nostra pertingit ad divinas leges, si plenâ resolutione dissolvat. DESIDERIUM *autem principaliter est ipsius, quod maxime ipsum movet. Maxime autem movet, quod maxime amatur. Maxime autem amatur esse beatum. Beatum autem esse non habetur, nisi per optimum et finem ultimum. Nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius.* TANTA EST VIS SUMMI BONI, UT NIHIL NISI PER ILLIUS DESIDERIUM A CREATURA POSSIT AMARI. *Quæ tunc fallitur et errat, cum effigiem et simulacrum pro veritate acceptat* (1).

Ex dictis patet, *originem* volitionum repetendam esse ex naturali animæ humanæ constitutione, quà *ad bonum simpliciter* appetendum necessario fertur. Verum ex hac naturali animæ comparatione facile eruitur ipsius futura destinatio : unde sit

(1) Egregie hanc rem non minus, quam ea, quæ præcedenti capite dicta sunt, confirmans Cl. A. M. in opere : *De la perfectibilité humaine*, livre I, chap. 8, pag. 54 et seq. ait : *Tout, au dedans et au dehors de nous-mêmes, rappelle notre intelligence à Dieu, dès qu'elle veut réfléchir dans le silence des passions. Elle découvre partout l'imperfection, c'est-a-dire, une sorte d'alliage d'être et de néant.... Elle verra que, si elle juge les créatures imparfaites, c'est qu'elle a l'idée du parfait; car l'idée du* MOINS *suppose la connaissance du* PLUS. *Réfléchissant ensuite à l'amour qu'excite en elle la présence du bien, elle règlera cet amour sur le degré d'être qu'elle observera dans chaque chose. Elle aimera toutes les créatures, puisque toutes renferment quelque bien ; mais elle aimera le créateur par-dessus tout, parce que seul il possède plus de perfection que tout l'univers : et, pour que les affections du cœur soient parfaitement en harmonie avec les vues de l'esprit, elle n'aimera tout qu'en Dieu et que pour Dieu, puisque tout n'existe que par lui, en lui et pour lui.*

ARTICULUS II.

De futurâ destinatione animæ humanæ.

102. Siculi superius (1) ex immaterialitate et spiritualitate animæ deduximus naturalem ejus immortalitatem seu capacitatem internam animæ ad immortalitatem, sic ejusdem immortalitatem in alterâ vitâ de facto consequendam seu animam de facto a Deo non annihilandam fore hic deducimus ex objecto volitionis principali et prærequisito ad omnem volitionem. Objectum enim hoc ex Articulo præcedenti est *bonum simpliciter*, ad quod anima naturali et invincibili propensione tendit tanquam ad terminum et complementum suæ beatitudinis; unde ita ratiocinamur:

Finis animæ *specialis* et *proximus* (2) est beatitudo: sed beatitudo in hac vitâ acquiri non potest; ergo ex fine proximo animæ concludi licet ad alteram vitam sive beatam, si finem suum specialem anima assequitur; sive infelicem, si fine suo propriâ culpâ excidit: sed beatitudo perfecta esse nequit, si finitura sit; ergo ex fine proximo concludere licet ad beatitudinem æternam seu ad immortalitatem beatam: sed si anima ex destinatione suâ sit immortalis, ratio nulla est, cur vita etiam infelix æterna non sit; ergo vita non minus infelix, quam felix æterna esse videtur. Ecce hic ratiocinium, cujus quodvis membrum speciali propositione elucidandum est; unde sit:

(1) Sect. 1. Cap. 3. Pag. 149.

(2) *Cosmolog.* Sect. 3. Cap. 1 in fine. Pag. 91 et seq. Dixi *proximus*, scilicet relate ad finem ultimum omnium rerum: quod si homo seorsim et pro se solo spectetur, beatitudo erit finis hominis *ultimus*.

103. PROP. I. FINIS ANIMÆ HUMANÆ PROXIMUS ET SPECIALIS EST BEATITUDO.

Prob. Sicut in entibus necessario agentibus finem proximum cognoscimus ex effectibus, uti solis esse illuminare et calefacere terram ; arborum, ferre fructus ; pluviæ, irrigare solum, etc., quia ad hoc ex naturâ suâ tendunt ; ita ex naturali tendentiâ animæ humanæ finem ejus proximum agnoscemus : atqui teste sensu intimo experimur invincibili propensione nos tendere ad beatitudinem ; hæc autem propensio animæ naturalis, adeoque a Deo est, cum non repetitis actibus aut labore ullo vel conatu acquiratur, sed a naturâ ipsâ proficiscatur ; ergo beatitudo est finis proximus et specialis animæ.

104. PROP. II. VERA BEATUTIDO IN HAC VITA ACQUIRI NEQUIT.

Prob. Beatitudo a Boëtio dicitur (4) *status omnium bonorum aggregatione perfectissimus*', et definiri potest : *Status permanens veræ voluptatis ortæ ex intuitu distincto veri boni, quod possidemus ; unde satietas appetituum et gaudium oritur :* atqui hujusmodi status in hac vitâ acquiri nequit ; ergo nec beatitudo.

Prob. Min. Nam omnia bona hujus mundi reducuntur vel *ad bona physica :* divitias, honores, voluptates, etc. ; vel *ad bona moralia :* virtutes et præcipue ad agnitionem et amorem Dei : atqui neutra bona in hac vitâ possunt, nec 1° *permanentia* esse, cum status noster in hoc mundo non sit permanens ; nec 2° *vere satiare ;* namque inprimis *bona physica*, quippe quæ quâ creata non habent omni-

(1) De consolatione philosophiæ.

modam rationem boni, necessario a summâ bonitate deficiunt, semperque cum timore, illa, utpote ex naturâ suâ mutabilia, amittendi, et cum certitudine, illa saltem in morte perdendi, conjuncta sunt, adeoque satiare non possunt (1). Deinde etiam *bona moralia* atque ipsa cognitio et amor Dei in hac vitâ perfecte nos beare non possunt. Namque *a*) nonnisi imperfecte in hac vitâ possumus cognoscere et amare Deum, et *b*) hæc ipsa imperfecta cognitio et amor Dei, ac proin voluptas inde orta frequentibus impedimentis necessario abrumpitur, nec ingratas sensationes ab homine excludit; ergo vera beatitudo in hac vitâ acquiri nequit.

105. PROP. III. POST PRÆSENTEM VITAM ALTERA FUTURA EST.

Prob. 1° EX NATURA HOMINIS. Nam id admittendum est, quod exigit natura hominis a Deo constituta : atqui natura hominis, sive *homo relate ad se*, sive *relate ad societatem* consideretur, exigit vitam alteram ; ergo hæc altera vita admittenda est.

Prob. Min. Natura hominis exigit vitam alteram

A. Si homo consideretur relate ad se. Nam invincibile

(1) *Le premier caractère du souverain bien est l'éternité*, ait Cl. A. M. in suo opere : *De la perfectibilité humaine*, Liv. I. chap. 8. Pag. 53, *et rien ici-bas n'est éternel, hors l'instabilité de l'homme et de tout ce qui l'entoure. Le vrai bonheur est une satisfaction complète et simultanée de toutes nos facultés ; et nous ne pouvons satisfaire une partie de notre être qu'au détriment de l'autre. Les jouissances intellectuelles ne s'achètent que par le sacrifice des jouissances sensibles : les plaisirs du corps ôtent à l'esprit même la faculté de jouir. Il y a plus : la jouissance elle-même, par sa disproportion avec nos désirs et nos espérances, se change en douleur, et, selon la pensée bien profonde de nos saints livres, la souffrance est au fond de toutes nos joies.* Extrema gaudii luctus occupat. *Prov.* 14. 13.

desiderium beatitudinis, quo fit, ut singuli, quemadmodum ait S. Augustinus, *felices esse velimus, et miseri non solum esse nolimus, sed nec velle possimus*, est homini naturale adeoque a Deo inditum ex Prop. I. Unde sic : Repugnat tum *veracitati*, tum *sapientiæ divinæ,* ut anima *absque suâ culpâ* expletione hujus desiderii frustretur ; atqui si non datur altera vita, anima absque suâ culpâ expletione hujus desiderii frustraretur, cum ex Prop. II. illud in hac vitâ explere non possit ; ergo datur altera vita (1).

Prob. Maj. Repugnat

a) *Veracitati divinæ*. Nam Deus summe verax non potest homini constanter et invincibiliter illudere : atqui

(1) Egregie hoc idem argumentum pertractat, nunquam sibi constans, Rousseau, *Emile*, tome II, ita ratiocinans : *Dieu, dit-on, ne doit rien à ses créatures : je crois qu'il leur doit tout ce qu'il leur promit en leur donnant l'être : or, c'est leur promettre un bien, que de leur en donner l'idée et de leur en faire sentir le besoin. Plus je rentre en moi, plus je me consulte, et plus je lis ces mots dans mon ame :* SOIS JUSTE, ET TU SERAS HEUREUX. *Il n'en est pourtant rien, à considérer l'état présent des choses : le méchant prospère, et le juste reste opprimé. Voyez aussi quelle indignation s'allume en nous quand cette attente est frustrée ! La conscience s'élève et murmure contre son auteur, elle lui crie en gémissant : Tu m'as trompée ! — Je t'ai trompée, téméraire! et qui te l'a dit ? Ton ame est-elle anéantie? As-tu cessé d'exister ?... On dirait, aux murmures des impatients mortels, que Dieu leur doit la récompense avánt le mérite, et qu'il est obligé de payer leur vertu d'avance. Oh ! soyons bons premièrement, et puis nous serons heureux. N'exigeons pas le prix avant la victoire, ni le salaire avant le travail. Ce n'est point dans la lice, disait Plutarque, que les vainqueurs de nos jeux sacrés sont couronnés, c'est après qu'ils l'ont parcourue.*

Si l'ame est immatérielle, elle peut survivre au corps, et si elle y survit, la providence de Dieu est justifiée. Quand je n'aurais pas d'autre preuve de l'immortalité de l'ame que le triomphe du méchant et l'oppression du juste en ce monde, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une contradiction si manifeste, une si choquante dissonnance dans l'harmonie universelle, me ferait chercher à la résoudre. Je me dirais : Tout ne finit pas pour nous avec la vie ; tout rentre dans l'ordre à la mort. — Confer. Bergier : *Examen du matérialisme.*

si animâ absque suâ culpâ expletione hujus desiderii frustraretur, Deus homini constanter et invincibiliter illuderet, instillando invincibile desiderium beatitudinis, quod nunquam exsatiari posset; ergo.....

b) *Sapientiæ divinæ*. Nam Deus quà summè sapiens, non potest naturam præstantiorem deterioris facere conditionis, quàm naturam minus præstantem; cum secus excessus ille præstantiæ finem nullum Deo dignum haberet; atqui, si non datur altera vita, homo præstantioris certe naturæ, quam bestiæ, deterioris tamen esset conditionis, cum bestiæ, utpote quarum appetitus ad sola bona sensibilia terminantur, eorum fruitione satientur, homo autem a benignissimo conditore in eo statu miseriæ collocatus esset, ut semper cuperet, semper quæreret veram felicitatem, et eam nusquam esset inventurus; ergo....

B. *Si homo consideretur relate ad societatem*. Nam homo a naturâ ipsâ rationali ad societatem impellitur. Unde ita: Ratio nequit dictare contradictoria: atqui si non datur altera vita, ratio homini sociali sæpe dictaret contradictoria. Sæpe enim ratio, ex unâ parte dictat, bonum privatum bono publico postponendum esse, et ex alterâ parte, semper propriam felicitatem esse quærendam: atqui, si non sit altera vita, bonum publicum sæpe propriæ felicitati opponitur; ergo dictaret et propriam felicitatem, et simul id, quod huic contradictorie opponitur, esse sectandum, quod est absurdum; ergo..... Et vero, ut homo bonum privatum bono publico postponat, debet adesse motivum: atqui præter timorem vel spem alterius vitæ nullum est motivum, quod ab injustitiis et omnibus sceleribus, quæ proprium ejus commodum et bonum pro-

movere possint, eum retrahat, ac proin et subditorum in principes observantia et principum in subditos paternus amor periret, lex fortioris esset jus publicum, etc. ergo.....

Prob. 2° Ex DIVINIS ATTRIBUTIS, et quidem

1° *Ex sanctitate divinâ.* Etenim non potest Deus pro suâ sanctitate efficaciter homines a virtute retrahere, et ad vitium impellere : atqui, nisi sit altera vita, Deus *efficaciter* a virtute retraheret et ad vitium impelleret. Nam Deus homini indidit naturale et efficax desiderium felicitatis, quod homo, utut velit, exuere non potest : atqui, nisi sit altera vita, in quâ virtus mercedem, vitium debitam pœnam accipiat, homo minorem ex virtutis praxi, et majorem ex vitiis consequeretur voluptatem et felicitatem, cum necesse sit, ut omnes, qui pie volunt vivere, sibi vim inferant, multis deliciis renuntient, et sæpius improborum invidiam, odium, calumnias et persecutiones incurrant : dum contra ii, qui scelus sectantur, multis se laboribus et tædiis subtrahant ; ergo homo ex innato felicitatis desiderio sectaretur vitium, adeoque Deus efficaciter a virtute retraheret et ad vitium impelleret.

2° *Ex sapientiâ divinâ.* Nam sapientia exigit, ut media assumantur fini intento proportionata ; ergo, cum Deus, leges hominibus imponendo, observationem earum intendat, sapientia ejus exigit, ut media assumat præceptorum moralium observationi consequendæ proportionata : atqui si post præsentem vitam altera non sit futura, Deus hujusmodi media non assumpsit siquidem æqualia, imo majora etiam bona legum suarum infractioni, quam

earum observationi alligasset, cum in hac vitâ vitiorum viæ planæ, virtutum contra, etsi pulchræ, tamen difficiles sint; ergo.... (1)

3° *Ex justitiâ Dei vindicativâ.* Justitiæ vindicativæ proprium est, malos pœnis afficere, in quâ exercendâ Deus partim liber est, partim necessitatus; *liber est contradictorie*, quatenus potest juri suo cedere, et pœnas non exigere; *necessitatus* vero est *contrarie*, quatenus non potest legis suæ transgressoribus mercedem tribuere: atqui tamen, si nulla sit altera vita, Deus peccatoribus mercedem tribueret, siquidem in ordine præsentis vitæ aliqua legum inobservantiæ adjuncta sit felicitas, cum nonnisi propter voluptatem percipiendam libidinibus suis indulgeant peccatores; ergo....

(1) Pulchre etiam ex providentiâ Dei eruit argumentum pro immortalitate animæ Cl. Delauro-Dubez, consiliarius curiæ regiæ, in opere suo omni laude dignissimo: *L'athée redevenu chrétien*, edit. 2a, pag. 61, dicens: *Quelle sage économie que celle de l'univers !.... La providence du créateur s'étend à tout; elle nourrit les petits oiseaux, les insectes; elle revêt ces fleurs qu'un seul jour voit naître, se faner et périr. Elle nous montre dans le monde physique une symétrie de rapports, un ordre admirable, un but qui révèlent le plus haut degré d'intelligence et de sagesse. Peut-on admettre que dans le monde moral, qui est d'une toute autre importance, puisqu'il s'agit des hommes faits à la ressemblance de Dieu, doués de la noble faculté de le connaître, de le louer et de l'aimer, ce même Dieu souffre, avec indifférence, qu'il règne partout un trouble, un désordre, une confusion irrémédiables ? Spectacle affreux!.... Un Dieu insensible à la conduite des hommes, un Dieu regardant du même œil le vice et la vertu, la raison suivie et la raison violée par ses créatures intelligentes et libres; un Dieu en les abandonnant au gré de leurs passions insensées, les rendant les plus misérables des êtres. Est-ce là le Dieu infiniment parfait? .... Cependant, si tout finit pour l'homme avec ses jours terrestres, s'il n'y a pas au-delà de la tombe d'autres biens pour les bons, d'autres maux pour les méchants, voilà le Dieu qu'il nous faut croire....*

OBJECTIONES.

106. OBJ. 1° Anima destructo corpore existere nequit, quia 1) tollitur finis informandi corpus, propter quem creatur; 2) esset in statu violento, semper unionem appetens; ergo non datur altera vita.

R. *N. Ant.* Ad prob. 1am *D. Ass.* Tollitur finis physicus et inadæquatus, *C.* Etiam moralis et adæquatus, *N.* Nam anima habet vires activas independenter a corpore, unde ab eo etiam separata *vivere potest;* eam autem *reipsa victuram* probant desideria invincibilia felicitatis, quibus gaudet; unde finis animæ proximus adæquatus non solum est physicus seu informatio corporis, sed etiam moralis seu beatitudo; ergo non omnis finis, propter quem creata est, destructo corpore cessat.

Ad 2am *N. Ass.* Sed contra liberior erit in suis functionibus intellectualibus, utpote immunis a molestiis, quibus juncta corpori necessario est subdita. Quodsi nunc anima naturalem experitur appetitionem permanendi cum corpore dissolutionemque ab eo refugit, id non provenit ex intrinsecâ quâdam imperfectione animæ, quasi essentialiter indigentis corporis complemento, sed ex lege unionis a Deo ita constitutâ, ut homo propriæ conservationi studeat.

OBJ. 2° Probatio ex sanctitate Dei in tantum valet, in quantum supponit, hominem sublatâ alterâ vitâ efficaciter a virtute retrahi et ad vitium impelli: atqui id non obtinet, modo altera vita respectu nostri sit dubia: siquidem tum sana ratio suaderet, partem tutiorem esse eligen-

dam; ergo sanctitas Dei ad summum exigit, ut altera vita sit dubia.

R. Inprimis *C. Maj.* et *N. Min.* Nam si nunc, cum persuasum hominibus est de alterâ vitâ, tot sint, qui cupiditatibus abrepti præsentibus bonis inhiant, quid futurum esset, si de existentiâ alterius vitæ legitimum formari posset dubium? Quis præsentia et certa futuris et incertis non anteponeret? Dein, *datâ etiam Minore*, *N. Cons.* Nam certe sanctitas Dei præprimis exigit, ut Deus sit *verax et justus*: atqui sublatâ alterâ vitâ *verax* non esset ex probatione 1ma; *nec justus*, cum omni mercede probos defraudaret, qui tamen illius intuitu multa mala pertulissent, et bona temporalia despexissent, ut virtuti adhærerent.

Inst. 1° Deus est supremus Dominus; ergo sine omni mercede ei omnia debemus.—Imo, nunquid non omnes peccamus, et peccato uno, nunquid non plus demeremur, quam omnibus bonis operibus mereri possimus? Ergo.

R. *C. Ant.* et *D. Cons.* Ita, ut Deus virtutem etiam punire et vitium præmiari possit, *N. Cons.* Secus. *Trans. Cons.* Atqui in ordine, qui nunc est in hoc mundo, si nulla esset altera vita, Deus virtutem puniret, vitium remuneraretur, siquidem in hoc ordine, uti felicitas hominis improbi in ejus malitiâ, ita miseria hominis probi sæpe in exercitio virtutis causam habet. Ergo recte concludimus ad alteram vitam. Neque enim dominium Dei, utut supremum, contradicere potest divinæ sive sanctitati sive justitiæ. *Rationem additam D.* Uno peccato plus demeremur etc. si nos non pœniteat et in alio ordine,

Conc. Etiamsi pœniteat et in hoc ordine, *N.* Nam certe in hoc ordine Deus peccatorem pœnitentem salvis suis attributis omni præmio privare non potest. In hoc enim ordine Deus bona temporalia omnibus indiscriminatim concedit. Unde sic : Deus nequit efficaciter a virtute retrahere et ad vitium impellere : atqui, si Deus pœnitentem omni præmio vellet privare, efficaciter a virtute retraheret et ad vitium impelleret; siquidem peccator pertinax per scelus continuatum meliori sorte frueretur, quam pœnitens, qui spe veniæ et præmii a scelere abstinens deliciis hujus mundi sese abdicat, per omne nefas et ipse suam felicitatem quæsiturus, si nullum pœnitentiæ esset præmium ; ergo....

Inst. 2° Virtus ipsa sibi præmium, vitium pœna est; illa enim tranquillitatem internumque animi gaudium, hoc cruciatus et angores parit; ergo....

R. *D. Ant.* Virtus sibi præmium, vitium pœna est, positâ persuasione alterius vitæ, *C. Ant.* Seclusâ illâ persuasione, *N. Ant.* Quidquid enim nunc in virtutis exercitatione dulce ac jucundum, aut contra in flagitiosâ actione amarum est, id totum a spe vel timore alterius vitæ naturaliter indito pendet.—Et vero si vitium sibi pœna congrua sit, justene in republicâ humanâ flagitiosi punientur? et quomodo majores peccatores majorem etiam haberent pœnam, cum experientiâ constet, quemvis, quo flagitiosior sit, eo minus angi conscientiæ stimulis ?

Inst. 3° Si Deus puniret creaturas in alterâ vitâ, delectaretur suppliciis creaturæ : delectatur enim in omnibus operibus suis : atqui Deus summe bonus non potest delectari malis creaturæ ; ergo....

R. *D. Maj.* Delectaretur Deus suppliciis creaturæ. quatenus hæc supplicia sunt effectus justitiæ divinæ, qui injurias illatas reparant, *C. Maj.* Quatenus cruciant creaturas, *N. Maj.* Sic judex æquitatis amans vult scelestis hominibus pœnas irrogari, licet in cruciatibus hominis non delectetur. Cæterum argumentum hoc nimis adeoque nihil probat; inde enim sequeretur. Deum nullo modo posse creaturam quantumvis sceleratam punire. Ergo desiderium beatitudinis evincit, existere alteram vitam, sed an hæc æterna est? Huic quæstioni ut respondeamus, sit

107. PROP. IV. SOLA RATIONE DEMONSTRARI POTEST, ALTERAM VITAM POSSE ESSE ÆTERNAM, TUM RATIONE MERCEDIS, TUM RATIONE POENÆ.

Prob. 1ma pars, *Ratione mercedis.* Nam si alteram vitam justis retribuendam repugnaret esse æternam, hæc repugnantia esset *vel ex parte animæ, vel ex parte Dei*: atqui *non est ex parte animæ.* Anima enim ex Sectione præcedenti, utpote simplex et spiritualis, est naturâ suâ immortalis; ergo ex naturâ suâ non solum potest, sed debet perpetuo et existere et vivere. *Neque ex parte Dei.* Deus enim est omnipotens et summe beneficus; ergo et esse velle, et reipsa esse potest sine fine munificus et optimus erga eos, qui tempore hujus vitæ ei famulati sunt; ergo.....

Prob. 2da pars. *Ratione pœnæ.* Nam peccatum spectatum ut offensa Dei, secundum multos Philosophos est infinitum, secundum alios vero finitum; sed quidquid dicatur, pœna peccati potest esse æterna; et quidem, si dicatur peccatum *a*) *infinitum*, meretur puniri pœnâ

infinitâ : atqui homo, utpote finitus, nequit puniri pœnâ infinitâ ratione intensionis; ergo restat, ut pœnas det infinitas ratione temporis, i. e. æternas. Si vero dicatur *b*) *finitum*, saltem, de quo inter omnes convenit, eo major est offensa, quo nobilior est persona læsa et quo vilior persona lædens : atqui nihil nobilius dignitate divinâ, nihil vilius creaturâ undequaque a Deo dependenti; ergo peccatum est offensa supra omnem offensam finitam, siquidem objectum offensum est supra omnem dignitatem finitam. Unde sic : Offensa supra omnem offensam finitam posita puniri potest pœnâ supra omnem pœnam finitam positâ : atqui pœna, quam Deus ab homine peccatore repeteret, non esset supra omnem pœnam finitam posita, si non esset æterna : si enim non esset æterna, concipi posset alia pœna finita, quæ esset ipsâ major; ergo peccatum, etsi finitum dicatur, plecti potest pœnâ æternâ ; ergo....

OBJECTIONES.

108. OBJ. Pœna æterna repugnat justitiæ divinæ. Justitia enim postulat, ut sit proportio inter peccatum et pœnam : atqui nulla est proportio inter peccatum momentaneum et pœnam æternam; ergo vita futura ratione pœnæ nequit esse æterna.

R. *N. Ant.* Ad. prob. *D. Maj.* Justitia postulat, ut inter peccatum et pœnam sit proportio *æqualitatis*, *C. Maj.* Ut sit proportio *temporis*, *N. Maj.* et *D.* similiter *Minore N. Cons.* Itaque nulla quidem est proportio temporis inter peccatum et pœnam, sed justitia non hanc

roportionem, sed id solum postulat, ut peccatum non puniatur ultra meritum : atqui pœna duratione infinita ex probatione allatâ non est ultra meritum peccati. Nam certe gravitas peccati non ex duratione ejus desumenda est : momentum enim sæpe sufficit ad scelus atrox perpetrandum, sicuti ad levissimam culpam admittendam, et tamen utriusque pœnam longe inter se differre necesse est; neque injustæ dicuntur leges humanæ, eo quod perpetuo carcere vel exilio, aut etiam morte, adeoque æternâ separatione a societate humanâ mulctant legum infractores propter culpam sæpe unico instanti consummatam; ergo etiam Deus culpam æterno supplicio dignam, æternum punire potest absque injustitiâ.

Inst. 1° Omnis pœna juste inflicta debet esse utilis : atqui nulla est utilitas in pœnâ æternâ. Nam finis pœnarum est emendatio reorum : atqui pœna æterna non emendat; ergo...

R. *Tr. Maj. N. Min.* Nam illa pœna certe utilis est, quam exigit justitia et sanctitas Dei, et quæ sola nos efficaciter ad virtutem impellit et a vitio retrahit : atqui talis est pœna æterna. Eâ enim sublatâ omnibus cupiditatibus laxarentur habenæ atque adeo societas tota collaberetur.

Ad prob. *D. Maj.* Finis pœnarum est emendatio reorum *aliquando et accidentaliter*, *C. Maj. Semper et essentialiter*, *N. Maj.* Sic in humanis etiam rebus pœna sæpe reo medicinalis non est, sed solum aliis, qui ejus exemplo absterriti similia patrare desistunt. Finis ergo pœnæ essentialis est sanctio sufficiens legis; unde fit, ut pœna unius sit saltem utilis alii

Inst. 2° Sanctitas et justitia Dei debent componi cum bonitate : atqui si Deus æternum punire posset, locus non esset ejus bonitati ; ergo.....

R. *C. Maj. N. Min.* Nam contra Deus vere bonus non esset, nisi bonitati seu entitati naturæ superaddatur bonitas moralis, i. e. justitia et sanctitas ; ergo si sanctitas exigit, ut odio prosequatur peccatum, Deus bonus non esset, nisi oderit peccatum : atqui sanctitas exigit, ut peccatum, utpote oppositum divinis suis attributis, necessario odio prosequatur ; ergo etiam Deus tum solum vere bonus est, cum peccatum odio habet, et quidem tamdiu, quamdiu subsistit : atqui peccatum subsistit in peccatore, quamdiu per pœnitentiam non revocatur, post mortem autem potest juste pœnitentiæ locus nullus esse, sed immutabilis manere voluntas hominis ; ergo post mortem peccator semper potest manere objectum necessarii odii divini : atqui objectum odii sui necessarii Deus salvâ suâ bonitate potest semper punire ; ergo pœna sempiterna non repugnat bonitati divinæ.

Inst. 3° Saltem æterna pœna non potest componi cum Dei bonitate respectivâ ; ergo....

R. *N. Ant.* Bonitas enim Dei respectiva, utut infinita in se, talis esse nequit in subjecto recipiente : effunditur enim in subjectum secundum capacitatem ejus : atqui peccator in gravi peccato mortuus capax non est bonitatis respectivæ, sed semper manet objectum necessarii odii divini ; ergo.....

Inst. 4° Saltem vi misericordiæ tenetur Deus dare finem suppliciis, vel parcendo, vel annihilando ; ergo.....

R. *N. Ant.* Misericordia enim est pars bonitatis respectivæ : atqui vi bonitatis respectivæ Deus non tenetur finem imponere suppliciis ; ergo nec vi misericordiæ. Cæterum tempus misericordiæ est vita præsens, in quâ, cum voluntatem peccandi retractare possimus, Deus ex misericordiâ non solum parcit peccatoribus, sed eos etiam ad conversionem excitat, imo pœnas æternas propterea minatur, ut a peccato tum avertat, tum lapsos revocet : ast vita futura juxta ordinem providentiæ est tempus justitiæ : consummatus enim est cursus cuilibet assignatus, qui metam feliciter attigit, præmio coronatur ; qui vero culpâ suâ non attigit, jam metam aliam non habet, ad quam currat, sed sorte suâ æternum excidit.

109. PROP. V. ALTERAM VITAM ÆTERNAM ESSE TUM RATIONE POENÆ, TUM PRÆCIPUE RATIONE MERCEDIS TAM VALIDA ARGUMENTA EX SOLA RATIONE ADSTRUUNT, UT NISI PERTINACITER, REFRAGARI NEMO POSSIT.

Prob. I^ma^ pars. RATIONE MERCEDIS.

1° *Ex desiderio beatitudinis.* Nam desiderium beatitudinis, quo omnes homines constanter et uniformiter adeoque a naturâ suâ flagrant, est desiderium beatitudinis perfectæ, i. e. quæ ex omni parte nos satiet : atqui beatitudo ita perfecta esse nequit, nisi sit æterna, cum certe, si conscientiam nostram interrogemus, hæc nos *æternæ* beatitudinis et quidem invincibiliter avidos esse testatur ; ergo, nisi æterna sit beatitudo, *omne* desiderium hominis naturale non satiaretur : atqui repugnat, ut Deus, utpote summe verax et sapiens, desiderium naturale adeoque ab ipso inditum absque culpâ hominis

on adimpleat; ergo beatitudo alterius vitæ, quantum ex Deo, erit æterna (1).

2° *Ex naturâ animæ.* Ex naturâ operis licet colligere finem operantis sapientis. Sic, cum hominem video raptim sibi casam construentem ex ramis arborum, jure conjicio, eum non diu eo loco esse mansurum; contra si eundem videam ædificium solidum ex lapidibus quadratis magno labore exstruentem, non minori jure conjicio, eum et sibi et posteris suis fixum domicilium præparare. Unde sic: Anima ex naturâ suâ immortalis, etiam dissoluto corpore existere, vivere, finemque, ad quem creata est,

(1) Argumentum hoc ex desiderio felicitatis perfectæ adeo firmum est, ut ipsi impii perfectæ felicitati alterius vitæ, quam ex animis sublatam volebant, substituere sategerint figmentum indefinitæ alicujus felicitatis totius generis humani per continuo progressivam evolutionem olim assequendæ. Vide Condorcet: *Esquisse d'une fable histor. des progrès de l'esprit humain.* Ast præterquam, quod in hac hypothesi desiderium felicitatis inutile fuisset pro generationibus præteritis, desiderium nostrum felicitatis non tendit in felicitatem aliquam in communi, sed pro singulis individualiter obtinendam; id quod ex intimo animi nostri sensu erutum egregie exponit D. Thomas (*Cont. gent.* Cap. 55. n° 12): *Impossibile est,* inquiens, *naturæ desiderium esse inane: natura enim nihil facit frustra, sed* QUODLIBET *intelligens naturaliter desiderat* ESSE PERPETUUM, *non solum, ut perpetuetur* ESSE SECUNDUM SPECIEM, *sed etiam* SECUNDUM INDIVIDUUM. Addit dein rationem, cur ens intelligens ad æternam vitam aspiret, contentum vero sit brutum vitâ præsenti, dicens: *Hanc differentiam oportet in his inveniri, quibus desiderium essendi cum cognitione inest, ut scilicet illa, quæ non cognoscunt* ESSE *nisi ut nunc, desiderent* ESSE *ut nunc, non autem semper: quia* ESSE SEMPITERNUM *non apprehendunt........ Illa autem, quæ ipsum* ESSE PERPETUUM *cognoscunt et apprehendunt, desiderant ipsum naturali desiderio: hoc autem convenit omnibus substantiis intellectualibus: omnes igitur substantiæ intellectuales naturali desiderio appetunt* ESSE PERPETUUM*; ergo impossibile est, quod* ESSE *deficiant.* Unde recte et S. Thomæ conformiter A. M. in suo opere: *De la perfectibilité humaine*: Lyon, 1835. Livre I. Chap. 4, pag. 20, beatitudinem entium statuit in æquilibrio facultatum eorum dicens: *Le bonheur n'étant.... que le parfait équilibre entre toutes les facultés d'un être, entre ses sentiments et ses idées, le malheur n'est que l'opposition qu'il observe entre son état actuel et l'idée d'un état meilleur. C'est parce que l'animal n'est pas capable de cette comparaison, qu'il peut souffrir sans être jamais malheureux.*

implere, Deum cognoscere, amare et ex amore *beari potest in æternum*; ergo Deus, utpote sapientissimus illius creator, eam non annihilabit, adeoque vita ipsius est æterna.

Conf. *Ex divinâ beneficentiâ*. Nam beneficentia seu bonitas Dei respectiva est infinita; ergo beatitudo, ad quam hominem creavit, tanta esse debet, quantæ homo est capax: atqui homo capax est ex naturâ suâ beatitudinis æternæ; ergo.....

Prob. IIª pars. RATIONE POENÆ.

1° *Ex naturâ animæ*. Nam anima impiorum ex naturâ suâ est æque immortalis, ac proborum; ergo nonnisi per annihilationem possunt vivendi finem habere: atqui nec sapientia, nec bonitas Dei patitur, ut Deus illos annihilet. *Non sapientia*; dedecet enim sapientiam divinam; ut eos, quos per se æternos esse voluit, et quibus pro fine æternam felicitatem destinavit, eâ solum de causâ annihilet, quia *libere* summo Dei contemptu a felicitate desciverunt, utque ita per malitiam eorum fine suo frustretur. *Non bonitas*; nam ideo bonitas Dei peccatores privat vi sanctitatis necessario beatitudine, quia hi peccato infecti bonitatis recipiendæ capaces non sunt: atqui si Deus annihilet peccatorem, eidem effectus suæ bonitatis conferret, et quidem quâ peccatori; ergo Deus impios non annihilabit.

2° *Ex Providentiâ divinâ*. Nam Deus imponendo creaturis rationalibus leges, vi providentiæ debuit dare et media pro omni casu sufficientia, quæ impellerent ad earum observantiam: atqui nisi pœnas in alterâ vitâ *æternas* statuisset, non dedisset media pro omni casu satis efficacia ad earum observantiam. Spectatâ enim naturæ imbecilli-

tate, et ad malum propensione, dein voluptatum illecebris ac vitiorum incitamentis *ex unâ*, et difficultatibus in virtutis exercitio superandis, in certis maxime casibus, uti mortis pro tuendâ virtute subeundæ etc. *ex alterâ parte*, pœnas propositas, nisi æternas, sufficientes non fore experientia testatur. Nam si nos christiani, quibus per fidem de pœnarum æternitate constat, toties tamen tentationi succumbimus et ad vitia deflectimus, quid futurum esset, si pœna tantum temporaria esset proposita? ergo....

Prob. Quoad utramque partem

Ex consensu hominum. Nam testimonium illud Ciceronis (1): *Uti Deos esse naturâ opinamur, sic permanere animas arbitramur consensu nationum omnium*, fulcit de Græcis Herodotus, de Latinis Cæsar, Livius, Tacitus; de utrisque poetæ nationales; de Chinensibus monumenta ab ipsis incredulis prolata, de populis recentius detectis ipsi viatores; idem comprobant monumenta et lapides sepulchrales antiquorum cum his aut similibus inscriptionibus: *Vale*, *gaude*, *ave in æternum*, etc., idem mos apotheoseos etc. etc (2). Quid enim plura afferam, cum hæc populorum de animæ immortalitate opinio in tantâ luce splendeat, ut ipsi adversarii eam fateri cogantur. Ita enim Bolingbroecko (3): *Doctrina de immortalitate*

(1) Quæst. Tuscul. Lib. 1.

(2) Ita jam Cicero ratiocinatus est *Tuscul. quæst.* 14 et 15, dicens: *Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, et maxime quidem, quæ post mortem futura sint... Quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare?... Inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum.* Confer. etiam Bergier: *Traité hist. et dogmat. de la relig.* Tom. III. Pag. 222.

(3) Oper. Lib. 5. Pag. 257.

animæ et de statu quodam futuro præmiorum et pœnarum ipsis antiquitatis tenebris omnino immergi videtur : antecedit omne id, de quo nobis certo constat. Cum primum chaos antiquæ historiæ discernere tentamus, occurrit nobis ea alte mentibus primorum, quos novimus, populorum impressa. Unde ita : Hæc populorum opinio vel in ipsâ naturâ hominis insculpta est, vel a primo parente originem traxit; *si primum;* ergo est vera, utpote in naturâ rationali fundata; *si secundum;* vel primus parens ratione eam veritatem cognovit, vel a Deo de eâ edoctus est, adeoque in utroque casu rursus necessario vera est. Ergo concludamus : Si increduli tot ac tam gravia argumenta collectim sumpta haberent *contra* immortalitatem animæ, certe, si sincere, quod sentiunt, fateri velint, victoriam proclamarent et pervicacem dicerent eum, qui iis assensum non præberet; ergo, cum hæc argumenta jam *pro* immortalitate animæ pugnent, fateantur necesse est, seipsos esse pervicaces, si ejusmodi argumenta assensum ab ipsis extorquere non possint.

OBJECTIONES.

110. OBJ. 1° Non obstantibus animæ proprietatibus potest eam Deus ut auctor naturæ destruere : sicut enim non exigunt creationem animæ, ita nec ejus perpetuam conservationem; ergo.....

R. *D. Ant.* Potest Deus potentiâ absolutâ. *C. Ant.* Potest etiam potentiâ cum cæteris attributis comparatâ, *N. Ant.* et hinc *parit: rationis additæ.* Nam Deus, utpote ad extra liberrimus, potest creare vel non creare; sed

posito quod creet, non jam habet potentiam cum creaturis aliquid faciendi, quod ejus sive veracitati, sive sanctitati etc. repugnat : atqui destructio animæ, quam ipse invincibili perpetuæ felicitatis desiderio instruxit, repugnat ejus veracitati etc.; ergo.....

OBJ. 2° Desiderium beatitudinis vel naturale non est, vel ad summum exigit, ut anima aliquo post mortem tempore conservetur, non vero ut æternum duret; ergo non est legitima prima probatio.

R. *N. Ant. quoad utramque part.* Nam inprimis, qui dubitat, desiderium illud beatitudinis naturale esse, is æque de amore parentum in filios, utrum naturalis sit, dubitare debet. Certe a causâ quâcumque accidentali provenire illud non potuit, cum toti generi humano sit commune, nullusque sit, qui in beatitudine appetendâ a reliquis discrepet, etsi in definiendo objecto beatitudinis non omnes consenserint. Itaque desiderium hoc beatitudinis necessario nobis congenitum, et hinc a Deo naturæ auctore profectum est adeoque otiosum esse nequit, cum secus Deus non solum nos falleret continuo, sed et crudelissime torqueret, ipsisque brutis miseriores redderet. Desiderium autem hoc, teste cujusque sensu intimo, est beatitudinis perfectæ adeoque perpetuæ. Si enim perpetua non sit, nec perfecta nec consequenter talis esse poterit, quæ satiet desiderium animæ humanæ : id quod vel ipse Tullius (1) jam agnovit : *Nam si amitti vita beata potest,* ait, *beata esse non potest. Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando amissis illis sit miser. Qui vero existimabit, posse se miserum esse, beatus non erit.*

(1) De finib. Lib. 2. Cap 27.

Neque dicant, defectum æternitatis in futurâ animæ felicitate suppleri posse per intensionem gaudii et voluptatis talem, ut anima de illius fine et cessatione non cogitet, adeoque nec timeat ejus amissionem. Nam certe complementum felicitatis animæ constituit ipsa intima et certa conscientia ejusdem perennitatis, quæ si desit, quo major esset intensitas voluptatis, eo major esset metus illam amittendi; vel certe supponi deberet, animam invinciiter ignorare cessationem suæ felicitatis : atqui hoc est absurdum tum *ex parte Dei;* cum sit contra sapientiam præstituere animæ felicitatem perpetuam, ad quam nunc certe teste sensu intimo tanquam ad finem nobis propositum tendimus, et dein illius finis oblivionem perfectam in animam inducere; tum *ex parte animæ;* cum æque sit contra naturam entis intelligentis nonnisi per ignorantiam et errorem tanquam medium fine suo frui posse; ergo.....

Inst. Cupiditates honoris, divitiarum etc., etsi naturales, nunquam aut rarissime explentur; ergo a pari desiderium beatitudinis, licet naturale, necessario non debet expleri

R. *N. Ant.* in eo, quod cupiditates istas asserat esse naturales. Eas enim a naturâ rationali non provenire eo modo, quo desiderium beatitudinis perfectæ, ex eo patet, quod ratio ipsa dictat nos posse, imo sæpe debere divitiis etc., renuntiare, ad melius consequendum finem ultimum, quin tamen unquam renuntiare possimus desiderio beatitudinis perfectæ.

Cupiditates illæ quidem ex naturali summi boni desiderio, tanquam ex radice profluunt : inquiete enim illud

inquirentes ad quamvis boni speciem forte oblatam inclinamur; ast ejus adeptione non satiamur, quod rursus probat, naturalem nostrum beatitudinis appetitum omnibus rebus mundanis esse superiorem.

OBJ. 3° Pœnæ etiam æternæ non sunt sufficientia incitamenta ad observationem legis moralis; multi enim eas contemnunt; ergo Deus eas statuere non potuit.

R. *D. Ant.* Pœnæ etiam æternæ non sunt incitamenta sufficientia de se, *N. Ant.* Ex inadvertentia hominis seu quia multi nolunt ea perpendere, *C. Ant.* et *N. Cons.* Ut enim incitamenta vere et practice sufficientia sint; necesse non est, ut homines cogant, sed sufficit, ut homines, qui ea perpendere volunt, in *omni casu* fortiter ad virtutem allicere et a vitio absterrere possint: atqui talia sunt certe præmia et supplicia æterna.

Inst. 1° Tale incitamentum sufficiens ad implendam legem essent etiam supplicia non æterna, modo longo tempore durarent; ergo hæc Deus æterna non statuit.

R. *N. Ant.* Nam inprimis, si suppliciis æternis multi Christiani impelli non possunt, ut ad ea attentius reflectant, quantum curaremus supplicium finiturum, tum maxime, cum vitii illecebræ naturam de se jam proclivem ad voluptates vehementer exstimulant etc.; ergo supplicia finitura non *in omni casu* essent practice sufficientia. Dein id, quod impii quam maxime exoptant, ut tanto licentius et securius in flagitiis vivant, non est sufficiens motivum ad virtutem colendam et vitium vitandum: atqui impii, ut tanto securius in flagitiis vivant, exoptant quam maxime, ut supplicia sint aliquando finienda; ergo supplicia finitura non sufficienter a vitiis deterrerent.

Inst. 2° In republicâ civili supplicia aliqua extraordinaria, ut pœna combustionis, comminutio ossium etc., licet non diu durent, censentur et universim sunt medium sufficiens ad homines in officio continendos; ergo a pari.

R. 1° *N. Suppos. Ant.* Supponit enim homines nullo alio freno in officio contineri, quam pœnâ istâ temporariâ; cum tamen nullus sit, qui non simul pœnâ æternâ et horrore quodam naturali a flagitiis, quæ istiusmodi pœnam post se trahunt, absterreatur. Sed

R. 2° *Concesso etiam Antecedenti*, *N. Cons. et par.* Nam istiusmodi pœnæ facinorosis infligi solitæ primum quidem cum publicâ infamiâ conjunctæ sunt, et dein aspectabiles in oculos cadunt, ipsoque aspectu percellunt; ast supplicia alterius vitæ nec præsentem afferunt ignominiam, nec remota ab oculis nostris ita animum percellunt. Et revera experientia hic pro nobis pugnat. Quoties enim Christiani, qui infernum pœnasque æternas credunt, iisdem tamen vix commoventur, cum contra, si facinoroso cuidem in rotâ ossa comminui aut eundem vivum comburi viderint, intimis visceribus tanguntur, omnibus artubus contremiscunt, et internam animi commotionem ipso vultûs pallore indicant; ut adeo manifestum sit, quanto majorem supplicia præsentia atque oculis subjecta, quam remota et abscondita in animis hominum impressionem faciant.

PARS TERTIA.

THEODICEA

SEU

THEOLOGIA NATURALIS.

111. Theologiæ nomine ea scientia venit, quæ de Deo rebusque divinis tractat, adeoque pro objecto habet tertiam illam quæstionem : *Quid est Deus?* Dicitur vero Theologia *naturalis* ad distinctionem a Theologiâ *revelatâ* ; *illa* tradit de Deo, quæ ope rationis assequi possumus ; *hæc* insuper addit, quæ naturalem intelligentiæ vim superant, nobisque solum speciali Dei manifestatione innotescunt.

Quæcumque autem de Deo solo rationis adminiculo cognoscimus, referri possunt vel ad ejus *existentiam* vel ad ejus *attributa*. Attributa vero alia dicuntur *absoluta*, quæ scilicet Deo, absolute seu ratione sui solum spectato, conveniunt; alia *relativa*, quæ sunt quidem absolute Deo propria, sed quæ simul respiciunt terminum aliquem a Deo formaliter distinctum, seu involvunt in suo conceptu relationem aliquam Dei ad aliquem terminum. Itaque *de Deo sive absolute sive relative spectato* in tribus Sectionibus ita agemus, ut in primâ *existentiam* Dei ; in secundâ *attributa ejus absoluta*, et in tertiâ *attributa ejus relativa* expendamus.

SECTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA DEI.

112. *Dei* nomine intelligimus *ens summum*, *quo nihil melius aut perfectius esse vel cogitari potest*, *cujus* proin idea *includit in se absolutum esse* (1).

Qui tale ens *existere negant*, *athei* vocantur ; alii *indirecti*, qui verbis quidem Deum fatentur, reipsa autem tollunt, dum vel τό *ego* vel naturam universam Deum faciunt, ut pantheistæ subjectivi vel objectivi ; vel imperfectionem aliquam ei tribuunt, uti anthropomorphitæ, qui Deo figuram humanam attribuerunt, vel Epicurei, qui providentiam Dei sustulerunt, etc. ; alii *directi*, et quidem vel *negativi*, qui Deum esse simpliciter ignorant ; vel *positivi*, qui Dei ideam habentes, eum reapse extra mentem existere aut negant aut dubitant, quorum alii dicuntur *theoretici* vel *speculativi*, si rationibus allatis existentiam Dei impugnant, alii *practici*, si eam verbis non impugnant, sed ita vivunt, quasi Deus nullus esset.

Atheos quidem *interne* nec negativos nec a fortiori speculativos ullos esse inter homines rationis usu pollentes, certum est (2) ; plures vero sunt, qui *externe* summo co-

(1) Confer Bossuet : *Troisième élévation sur les mystères.* — Fénelon : *De l'existence de Dieu*, Part. II. Nos 65, 95 et 104.

(2) Nam, ut ait S. August. *In Joan. Evang.* Cap. XVII, tract. 106. *Hæc est vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi.* Et si juxta scripturam *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, quare hoc dixit, nisi quia insipiens est et stultus, ut adnotat S. Anselmus *Proslog. Cap.* 3 ; imo scriptura dicit : *Dixit* insi-

natu adlaborant, ut vim argumentorum, quæ pro existentiâ Dei afferri solent, infringant vel saltem enervent, et *contra hos* existentia Dei jam demonstranda est.

Dico : *contra hos atheos*. Sunt enim etiam catholici Philosophi, qui negant existentiam Dei sive demonstrari debere, eo quod ex revelatione tanquam *factum* credenda sit, de quo nobis constet ex auctoritate generis humani : sive omnino demonstrari ullo modo posse, eo quod omnis sicut negatio ita et demonstratio existentiæ Dei supponat priorem ideam adeoque existentiam Dei (1). Atque his certe argumenta pro existentiâ Dei, quam et ipsi ultro tuentur, non obtrudimus, sed ita respondemus. Omnis demonstratio existentiæ Dei supponit quidem *ideam Dei :* ast hæc *idea subjectiva* est ; unde ejus *objectiva* realitas seu *existentia Dei* sive ex ipsâ ideâ, sive ex contingentiâ etc. rerum eruenda seu demonstranda semper remanet contra eos, qui, etsi ideam Dei habeant ; eam tamen mere ideam seu ideam mere subjectivam sine ullâ realitate objectivâ esse proclamant (2).

piens, non, *cogitavit ; ut adeo*, quemadmodum loquitur Baco post S. August. in Psal. 13, *hoc magis asserat tanquam rem, quam lubens optaret, quam quod penitus hoc credat et sentiat. Nemo enim Deum non esse credit, nisi cui, Deum non esse, expedit.* Quid quod ipsi pagani Atheos sanæ mentis esse non existiment : *Esse* enim *Deos*, ait Cicero, *De nat. Deor* II, 44. *ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum esse sanæ mentis existimem.* Et *ibid.* 59 : *Animum ipsum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divinâ curâ perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere.*

(1) Ita De la Mennais : *Essai sur l'indifférence en matière de religion.* Ita etiam D. Bautain, qui in responsis ad Episcopum Argentoratensem mentem suam ita aperit : *J'ai l'intime conviction et comme chrétien et comme philosophe, que le raisonnement seul sans la lumière de la foi, ne peut me donner la certitude sur cette première de toutes vérités* (existentiæ Dei).

(2) Legi ab istis auctoribus meretur S. Thomas, Lib. I. Cap. 2, *Contra*

Itaque contra *atheos* argumenta pro existentiâ Dei *ex triplici ordine, metaphysico, physicò et morali* desumemus, triplici etiam capite proponenda.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta ex ordine metaphysico.

113. Argumenta ex ordine metaphysico sunt ea, quæ ex essentiis seu ex ipsâ internâ possibilitate rerum demonstrandarum eruuntur, et hinc etiam argumenta *a priori* dicuntur, si agatur de rebus creatis, quarum essentia i. e. possibilitas est prior existentiâ : *a simultaneo* vero, si agatur de existentiâ Dei, cujus essentia, utpote quæ ne-

gentes, ubi confutaturus eos, qui Deum esse demonstrari posse negant, ita arguit : *Prædicta opinio provenit partim quidem ex consuetudine, quâ a principio homines assueti sunt, nomen Dei audire et invocare. Consuetudo autem, et præcipue quæ est a principio, vim naturæ obtinet : ex quo contingit, ut ea, quibus a pueritiâ animus imbuitur, ita firmiter teneantur, ac si essent naturaliter ac per se nota. Partim vero contingit ex eo, quod non distinguitur, quod est* NOTUM PER SE *simpliciter* (in se seu objective evidens) *et* QUOAD NOS (subjective evidens). *Nam simpliciter quidem Deum esse per se notum est, cum hoc ipsum, quod Deus est, sit suum esse ; sed quia hoc ipsum, quod Deus est, mente concipere non possumus, remanet ignotum quoad nos. Sicut* OMNE TOTUM SUA PARTE MAJUS ESSE *per se notum est simpliciter ; ei autem, qui rationem totius mente non conciperet, oporteret esse ignotum. Et sic fit, ut ad ea, quæ sunt notissima rerum, noster intellectus se habeat, uti oculus noctuæ ad solem.* Unde occasione responsi dati à Dno Bautain ad Episcopum Argentoratensem, l'*Ami de la religion*, nº 2916, recte ratiocinatur, dicens : *L'idée de Dieu est donnée par le langage, transmise par la tradition, répandue sur toute la surface du globe ; mais que cette idée, que les hommes ont eue autrefois comme ils l'ont aujourd'hui, est fondée dans la nature des choses, qu'elle est vraie, qu'elle est réelle, et que le genre humain, qui l'a toujours eue, ne s'est pas trompé, qu'il l'a bien pensée : voilà ce que le raisonnement doit prouver, non à des sauvages, mais à des hommes, qui, vivant au milieu de la société, et ayant par là même l'idée de Dieu comme tous les autres membres de la société, s'obstinent, aveuglés qu'ils sont par leurs passions, à nier la réalité, la vérité objective de cette idée.*

quit esse possibilitas relativa, sed est necessario possibilitas absoluta, est actualis existentia. Sunt autem præcipue duo; nempe argumentum *ab ideâ Dei*, et argumentum *a necessitate entis improdu cti.*

ARGUMENTUM I[um] *Ab ideâ Dei* multiplici ratione exponi potest, et quidem

1° *Habemus ideam Dei ut entis infinite perfecti adeoque distincti ab hac rerum universitate.* Atque hoc quidem vel ipse Atheus, sive materialista sive pantheista fuerit, admittat necesse est; siquidem hucusque agitur, non de existentiâ hujusmodi Dei, sed solum de ejus ideâ, quam si Atheus non ipse haberet, ne negare quidem hujusmodi Deum posset; secus negaret id, cujus nullam ideam haberet, et quod consequenter relate ad ipsum esset æquale nihilo. Itaque habemus, id quod ipse Atheus, ut Atheus esse possit, fateri debebit; habemus, inquam, ideam Dei ut entis infiniti et ab hac rerum universitate distincti: *atqui hanc ideam*, DEO NON EXISTENTE, *impossibile est habere; ergo* hoc ipso, quod Dei hujusmodi ideam habemus, *probatur hujusmodi Deum existere.*

Prob. Min.—A.—Si Deus non existit, ideam ejus *mens humana* vel *derivaret ex rebus sensibilibus*, vel *formaret ex se ipsâ;* atqui *mens humana non potest ideam Dei*, DEO NON EXISTENTE,

a) *Derivare a rebus sensibilibus;* et quidem *neque compositione, neque abstractione, neque conclusione ab effectu ad causam. Non compositione.* Etenim res finitas continuo aliis rebus finitis componendo et addendo formare quidem mens sibi poterit ideam alicujus indefiniti; ast ab ultimo quasi puncto hujus indefiniti nunquam poterit transilire ad

infinitum proprie dictum, nisi hujus jam aliquam habeat ideam; ergo hanc ideam nequit acquirere per compositionem. Sed *neque* potest acquirere *abstractione*. Nam abstrahere nihil aliud est, quam notas aliquas rerum essentiales vel individuales seorsim considerare; ergo ex rebus sensibilibus nihil poterit abstrahi, quod non ceu nota essentialis vel individualis earum essentiam et conceptum constituat: atqui idea Dei ut entis infiniti et ab hac rerum universitate distincti non est nota essentialis vel individualis essentiæ vel conceptûs rerum sensibilium; ergo ex his neque hæc idea per abstractionem acquiri potest.—Demum *neque* potest acquirere *conclusione ab effectu ad causam primam*, quæ sit a se, infinita, Deus. Nam inprimis Deo non existente etiam non existeret hujusmodi causa, sed causa non existens nulla est causa: ergo neque ab effectu ad illam conclusio fieri posset. Dein multi, etiam philosophi, i, e, omnes illi sive veteres sive moderni, qui creationem proprie dictam non agnoverunt, ideam Dei non poterant acquisivisse ascendendo ab effectu ad causam primam, hoc ipso, quod Deum quà causam hujusmodi non agnoverint. Unde ergo illi ideam Dei ut entis infiniti et ab hac rerum universitate distincti (quam ideam, sive Dei hujusmodi existentiam admittant, sive negent, ex supra dictis semper habeant necesse est) acquisivissent? Verbo humano vel institutione sociali? Sed inprimis verba, utpote signa idearum, supponunt jam præviam ideam, saltem directam, vel a mente immediate perceptam, non autem ipsa dant aut dare per se sola possunt hanc ideam. Et dein, unde illi, qui verbo vel institutione sociali aliis hanc Dei ideam communicarent, hanc ipsam ipsi obti-

nuissent? Necesse itaque erit ad primum aliquem hominem pervenire, qui non verbo vel institutione alterius hominis hanc ideam sibi compararit, et qui, Deo non existente, neque hoc neque alio ullo modo illam acquirere potuerit. Ergo necesse est Deum existentem admittere ut ipsam originem ideæ ejus explicare possimus.

Neque potest mens humana ideam Dei, Deo non existente,

b) *Formare ex se ipsâ.* Nam in hypothesi non-existentiæ Dei mens humana neque concipi potest necessario et ex naturâ suâ determinata ad hanc ideam, neque eam activitate propriâ formare (ex dictis pag. 192), neque vero hæc idea potest esse mera forma mentis: siquidem idea Dei ut entis infiniti et realissimi, quà analytica, includat necessario ideam actualis existentiæ, adeoque ne subjective quidem possit esse vera, quin sit objective realis: unde vel absolutus scepticismus sequitur, vel idea hæc non est mera forma mentis (1).

Prob. Min.—B.— *Idea omnis est perceptio alicujus objecti;* ergo nulla idea sine aliquo objecto: atqui si Deus non existat, idea Dei nullum habet objectum. Deus enim infinite perfectus et ab omni rerum universitate distinctus ex ipsâ notione non est ipsum universum, neque mens nostra, neque (ex dictis) idea ejus a mente efficta vel forma necessaria sine objecto reali; ergo idea Dei, Deo non existente, nullum haberet objectum.

Ergo hoc ipso, quod Dei habemus ideam, probatur, Deum existere.

(1) *Ontol.* Pag 235, nota et Obj. 3. Pag. 243 et seqq.

2° Habemus ideam entis, quo majus cogitari nequit: atqui ens, quo majus cogitari nequit, non potest esse *in solo intellectu;* ergo hujusmodi ens seu ens infinitum, Deus, existit a parte rei.

Prob. Min. Si *objectum* ideæ, quâ percipimus ens, quo majus cogitari nequit, esset *in solo intellectu,* jam non esset *objectum hujus ideæ.* Nam certe ens, quo majus cogitari nequit, includit in suo conceptu *esse* a parte rei: majus enim est esse *a parte rei,* quam solum esse in intellectu.

Atque hoc est celebre illud argumentum, a multis *Anselmianum* vocatum, eo quod S. Anselmus illo primus usus fuerit. Ita autem sub formâ nonnihil aliâ illud habet S. Anselmus (1) : *Ergo, Domine, credimus, te esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est talis aliqua natura, quia dixit insipiens in corde suo, non est Deus? Sed certe idem ipse insipiens, cum audit hoc ipsum, quod dico, aliquid, quo majus nihil cogitari potest, intelligit, et quod intelligit, in intellectu ejus est. Ast certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo; si enim in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu, id ipsum, quo majus cogitari non potest, est, quo majus cogitari potest, sed hoc esse non potest; existit ergo aliquid*

(1) In *Proslog. de Dei exist.* Cap. 2.—Idem argumentum, quod aliqui immerito, et quin quidquam solidi opponant, ut sophisticum respuunt, modo quisque suo evolverunt et defenderunt Cartesius. *Med. V.* — Vasquez, Part. I. q. II. a. 3. Disp. 20. Cap. 4. — Wolf. *Theol. nat.* Lib. 1.— Mendelsohn in *Morgenstundem.* — Pullenberg : *Handbuch der Philosophie; Metaphysick.* Seite 183. — Præ reliquis demum profunde et fuse Cl. Staudenmaier in *Zeitschrift fuer Theologie.* 10ten Bandes, 1 stes Heft. 843.—*Vom Dasein Gottes.*

procul dubio, quo majus cogitari non valet, et in intellectu et in re (1).

Idem argumentum multiplici expositione evolutum invenies in Ontologiâ (2); unde hic pluribus illud tractare supersedemus.

Dicunt : Argumentum hoc esse mere ideale i. e. cui præter ideam subjectivam nihil objectivi respondeat. Ast falso id asseri ex eo patet, quod percipiamus, ideam mere subjectivam entis infiniti sine objecto reali externo nos nullo modo habere posse. Id quidem verum est, ideam hanc esse ideam immediate perceptam ; ast etiam omnes ideæ evidentes sunt immediate perceptæ : atqui his intellectus nequit negare objectivam realitatem, quin in scepticismum sui ipsius destructivum prolabatur. Quod si vero ideis immediate perceptis objectiva realitas negari non possit, etiam nostrum hoc argumentum concedendum est, quia percipimus, nobis hanc infiniti ideam aliunde, quam ab ente infinito existente provenire non posse, imo

(1) Memoratu dignum est, quod Hegel in : *Encyclopaedie der philosophischen Wissenschaften :* Heidelberg, 1827. Seite 181 et seq. de hoc argumento tractat, dicens : « *Es wuerde nur die groesste Gedankenlosigkeit sein, wenn gemeint sein sollte, in unserm Berwusstsein sei die Existenz auf dieselbe Weise, mit der Vorstellung der endlichen Dinge verbunden, als mit der Vorstellung Gottes ; es würde vergessen, dass die endlichen Dinge veraenderlich und vergaenglich sind, d. i. dass die Existenz nur transitorisch mit ihnen verbunden, dass diese Verbindung nicht ewig, sondern trennbar ist. Anselm hat darum mit Rechte das nur fuer das Vollkommene erklaert, was nicht blos auf eine subjective Weise sei, sondern zugleich auf eine objective Weise ist. Alles Vornehmthun gegen den sogenannten ontologischen Beweis und gegen diese Anselmische Bestimmung des Vollkommenen hilft nichts, da sie in jedem unbefangenen Menschensinne eben so sehr liegt, als in jeder Philosophie selbst wider* Wissen *und Willen zurueckkehrt.*

(2) *Ontol.* Pag. 236 et seqq. Vide etiam Notam Pag. 238.

nec conceptibilem quidem esse; nisi objectum reipsa existat (1).

ARGUMENTUM II[um]. *Ex necessitate entis improducti.* Argumentum hoc ita proponi potest :

Existit ens necessarium, seu improductum; atqui ens necessarium est ens infinitum seu Deus; ergo existit Deus (2).

Prob. Maj. Existit ens necessarium. Nam si ens necessarium seu ens *a se* non existat, nihil existere posset; at-

(1) Hæc itaque idea nobis a Deo immediate venit, qui se menti nostræ continuo præsentem exhibet sub ideâ τοῦ *esse simpliciter.* Consule hac de re etiam Bossuet : *Connaissance de Dieu et de soi-même.* Chap. IV. § 5. Fénelon : *De l'existence de Dieu.* Part. II. N° 29 et seqq.

Omittere hic non possum nativam argumentandi rationem, quâ ex ideâ Dei existentiam Dei probat Cl. Sommier, dicens : « *Nous avons dans nostre âme* (verba refero, prout in ipso opere inveniuntur) *l'idée de Dieu, ou d'un estre infini en toute perfection, qui est la mesme chose. Il faut que cette idée ait une cause, et que cette cause ait elle-mesme ce qu'elle donne à son effet, qui est cette idée. C'est ainsi que généralement toutes nos pensées ou connaissances n'ont rien objectivement ou par représentation, qui ne soit dans nos esprits et dans les autres choses, qui concourent avec nos esprits pour nous les faire former; qui n'y soit, dis-je, ou formellement et de la mesme manière; ou éminemment et d'une façon plus noble et plus parfaite. Cela paroistra évidemment dans toutes les inductions qu'on en voudra faire. C'est comme si on disoit qu'il n'y a point d'image ou de copie sans original, point de connaissance sans objet qui la termine. Or, nous sçavons très-bien que nous n'avons pas tout ce qui est représenté dans l'idée que nous avons de l'infini, et qu'il est impossible de trouver ailleurs que dans l'infini. Advoüons donc qu'il y a un infini existant, qui est Dieu mesme.* » Jean-Claude Sommier, prêtre, docteur en théologie, protonotaire apostolique, prédicateur ordinaire de son altesse royale : *Histoire dogmatique de la religion, ou la religion prouvée par l'autorité divine et humaine et par les lumières de la raison.* A Champs 1708. Tom. I. p. 31, 32.

(2) Idem argumentum presse et energice pro more suo exponit Tertullianus in Lib. contra *Hermogenem.* Idem etiam evolvit Suarez : *Metaphysicæ* Tom. II. Disp. 29, Sect. 3. N° 1 et seqq. Demum etiam Clarkius in tractatu : *De l'existence de Dieu et des attributs de Dieu;* aliique non pauci.

qui tamen omnes athei, sive materialistæ sive idealistæ sive egoistæ fuerint, saltem suam propriam existentiam admittunt; ergo....

Prob. Maj. Si enim *ens a se* non existit, primum ens vel sine causâ e nihilo prodiit, vel seipsum produxit, vel duo entia se mutuo produxere, vel demum per seriem vel circulum infinitum ens subsequens semper a præcedenti fuisset productum: atqui hæc prorsus repugnant; imprimis enim nihilum, cum non sit, producere nihil potest: sed nec seipsum ens producere potest; quod enim nondum est, nec sibi nec alteri dare potest, ut aliquid sit, cum prius sit esse, quam agere vel producere; series autem infinita implicat in se (1); ergo existit ens necessarium.

Prob. Min. Atqui ens necessarium est infinitum seu Deus. Nam

Ens necessarium seu *ens a se*, hoc ipso, quod existit vi possibilitatis absolutæ seu vi essentiæ, est *necessario* id omne, quod est: ergo si sit finitum, est *necessario* finitum: atqui *necessario* seu vi sui esse non est finitum, cum *esse a se* non solum non hanc potius, quam illam, sed nullam exigat limitationem.—Et vero *ens a se*, quod semel est, semper et necessario est, cum eadem semper sit ratio essendi; ergo si est limitatum seu finitum, ex ipsâ necessitate naturæ adeoque ex ipsâ ideâ sui ita esset limitatum, ut nec majus nec minus fieri posset: atqui hoc est absurdum. Omne enim finitum seu limitatum ex ideâ sui adeoque ex naturâ suâ est et augmenti et diminutionis

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 1. Pag. 256.

capax; ergo *ens a se* adeoque ens necessarium non potest esse finitum, adeoque est necessario infinitum, ergo existit Deus (1).

1) Vide etiam *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 1. Pag. 233. Ut tamen totum hoc argumentum clarius fiat, utque nebula quædam, quæ generatim circa illud mentem juvenum occupat, penitus dispareat, non abs re erit, totam probationem paulo fusius enucleare. Itaque

Ens a se dicitur *infinitum* ex hoc, quod existat *vi essentiæ suæ*. Sed vi cujus essentiæ debet existere ens a se, ut necessario infinitum concipiatur? Non sane vi essentiæ cujuscumque, sed *vi essentiæ absolutæ*. Quod ut intelligatur, advertamus;

a) *Essentiam entis* in statu metaphysico et ejusdem *possibilitatem internam* realiter identificari (1), atque adeo sibi mutuo substitui posse;

b) *Possibilitatem internam* esse duplicem, *relativam* et *absolutam*. *Relativa* illa est, quæ in suo conceptu includit necessariam relationem ad rationem sufficientem existentiæ actualis sibi extrinsecam: *absoluta* vero est illa, quæ nullam relationem ad rationem sufficientem existentiæ actualis sibi extrinsecam continet, et in cujus consequenter conceptu hæc ratio sufficiens *necessario* involvitur quà nota constitutiva et *essentialis*, ita ut sine hac ipsa possibilitas absoluta nec esse nec concipi possit: unde

c) *Possibilitas interna* seu *essentia*, *vi cujus ens a se ita existat*, *ut non possit concipi non existere*, non est nec esse potest *possibilitas relativa*, utpote quæ in suo conceptu non necessario involvit actualem existentiam; sed est *possibilitas* et *hinc essentia absoluta*, utpote quæ quà notam sui constitutivam involvit actualem rationem sufficientem existentiæ, et consequenter non potest concipi non existens. Jam vero

d) Nulla alia possibilitas interna seu essentia actualem rationem sufficientem existentiæ adeoque actualem existentiam ita necessario in suo conceptu involvit, ut non possit concipi non existens, quam *possibilitas* seu *essentia realissima*; utpote quæ *sola* hoc ipso, quod *omnibus* omnino *realitatibus* necessario constituta concipiatur, etiam *necessario* concipitur in se continere actualem rationem sufficientem existentiæ adeoque actualem existentiam; ergo demum

e) Essentia seu possibilitas interna, vi cujus ens a se debet existere, ut infinitum esse probetur, est *sola possibilitas* seu *essentia absoluta* et consequenter *realissima*. *Ens* vero, cujus essentia est realissima, hoc ipso et *ipsum realissimum sit* oportet. Ergo

Ens a se hoc ipso, quod sit *a se* seu *vi suæ essentiæ*, est *necessario realissimum*.

(1) *Ontol.* Part. I. Sect. I. Cap. 2. n. 128, Pag. 202.

DICUNT 1° Non intelligimus necessitatem existendi; ergo hæc necessitas admitti nequit.

R. *C. Ant. N. Cons.* Nam neque concipimus, quomodo, quod prius non erat, incipiat esse: atqui tamen necessarium est, ut ens quodlibet vel ab æterno et hinc necessario sit, vel deinceps incœperit esse; ergo ex eo,

Totum itaque argumentum per modum æquationis breviter ita poni potest:

Ens *a se*. . . . . = Ens existens vi essentiæ suæ;
Ens existens vi essentiæ suæ necessario = Ens existens vi possibilitatis absolutæ;
Ens existens vi possibilitatis absolutæ. . = Ens realissimum. Ergo
Ens *a se* necessario. . . . . = Ens realissimum seu infinitum, Deus.

Atque ad hoc argumentum omnia alia argumenta, quibus, quamvis aliis et aliis verbis, ens *a se* probatur esse infinitum, quoad intrinsecam et quandoque non nihil reconditam vim ratiocinii necessario reducuntur.

Ex hoc autem ad aliam quæstionem transimus, et ita ratiocinamur:

a) Omnia argumenta pro existentiâ Dei afferri solita (præter argumentum ab ideâ Dei et entis realissimi, et illud a sensu naturæ communi petitum) probant objectivam realitatem seu existentiam *entis a se*. Ens autem *a se* esse infinitum seu Deum probare aliter non possunt, quam per analyticam evolutionem ideæ entis *a se* argumento supra exposito. Verum

b) Hoc argumentum *subjective* spectatum idem videtur esse ac argumentum nostrum ontologicum ab ideâ entis realissimi, quod eâdem ratione et *viâ solum inversâ*, ita etiam ipsum per modum æquationis breviter exponi potest (1):

Ens realissimum ex conceptu suo . . = Ens vi possibilitatis absolutæ existens;
Ens vi possibilitatis absolutæ existens = Ens vi essentiæ existens;
Ens vi essentiæ existens. . . . . . . = Ens *a se*;
Ens *a se*. . . . . = Ens necessario seu ita actu existens, ut non possit concipi actu non existere.

c) Ergo tam ratiocinium, quo *ab ideâ* entis *a se* ad ejus esse infinitum, quam ratiocinium, quo *ab ideâ* entis realissimi ad actualem ejus existentiam concluditur, *utrumque per* simplicem et eandem *analysim ideæ* absolvi videtur.

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. II. Cap. 1. Pag. 236. Vide etiam notam, et obj. 3° Pag. 243.

quod aseitatem seu necessitatem existendi non *comprehendamus*, concludi solum potest, intellectum nostrum esse limitatum, minime vero, eum certo neque scire, *esse* talem necessitatem, etsi, *quomodo sit*, ignoret.

- Dicunt : 2° Saltem existentia Dei probari nequit. Quidquid enim probatur, per aliquid ipso prius probatur : atqui Deo nihil est prius; ergo... Et vero, Deum existere, est objectum fidei; ergo ratione probari nequit.

R. *D. Ant.* Existentia Dei, i. e. idea Dei seu entis infiniti probari nequit, *C. Ant.* i. e. objectiva realitas ideæ Dei adeoque proprie existentia ejus probari nequit, *N. Ant.* et *D. etiam Maj. primæ rationis additæ.* Quidquid probatur, probatur per aliquid ipso *prius cognitum, Tr. Maj.* Per aliquid ipso *prius existens, N. Maj.* et *D. Min.* Atqui Deo nihil est prius existens, *C. Min. Nihil prius cognitum, Subd.* Nihil prius cognitum *implicite* et *subjective*, quatenus idea τοῦ *esse simpliciter* adeoque implicite idea Dei prærequiritur ad omnem cognitionem, *C. Min.* Nihil prius cognitum *explicite* et *quoad realitatem objectivam, N. Min.* Ergo hæc adeoque existentia Dei probari et potest et neganti debet. Demum. *D. Ant. secundæ rat. additæ. Existere Deum*, est *tantum* objectum fidei, *N. Ant.* Est *etiam* objectum fidei, *C. Ant.* et *N. Cons.* Nam contra, actus elicitus fidei divinæ præsupponit certam cognitionem de existentiâ Dei. Hinc S. Thomas recte observat (1), probationem existentiæ Dei ex ratione esse quasi *præambulum* revelationis ac proinde etiam fidei divinæ. Cæterum jam in Logica (1) observavimus, fidem et scientiam de eodem objecto simul consistere posse.

(1) Part. I. Quæst. 2. Art. 2. ad 1.
(2) *Log. Applic.* Sect. 4. Ad Prop. I. Obj. 4e Pag. 179

CAPUT II.

Argumenta ex ordine physico.

114. Argumenta ex ordine physico petuntur ex conceptu rerum creatarum seu contingentium et duo præcipua sunt, nempe *ab existentiâ* et *ab ordine mundi.*

ARGUMENTUM I[um.] *Ab existentiâ mundi.* Argumentum hoc ita proponi potest:

Existit mundus hic aspectabilis : atqui mundus est ens *ab alio* seu contingens ; ergo existit ens *ab alio :* sed ens *ab alio* necessario supponit ens *a se ;* ergo existit ens *a se ;* sed ens *a se* est infinitum seu Deus ; ergo existit Deus.

Prob. per partes. *Existit mundus hic.* Nam existunt teste sensu intimo ideæ sensuales : atqui ratio sufficiens harum idearum nequit esse in mente ; ergo necessario est in objectis externis (1), quorum collectionem mundum dicimus ; ergo....

Mundus hic est ens contingens. Vel enim est contingens et *ab alio*, vel necessarium et *a se* : atqui nec mundus, nec elementa mundi sunt *a se* (2) ; ergo....

Ens contingens supponit ens necessarium. Nam ens contingens seu *ab alio* vi notionis habet rationem existentiæ in alio ; ergo illud aliud est *a se*, vel rursus habet rationem suæ existentiæ *in alio,* et sic deinceps, donec perveniatur ad ens *a se*, vel admittenda est series aut circulus infinitus ; atqui hæc series vel circulus repugnant ex jam sæpe dictis ; ergo....

(1) *Log. Applic.* Sect. 3. Cap. 3. Pag. 185.
(2) *Cosmolog.* Sect. 1. Cap. 1. Pag. 7.

Ens necessarium est infinitum seu Deus ex argumento præcedenti capite allato. Ergo existit Deus.

OBJECTIONES.

115 OBJ. 1° Inter res creatas et Deum nulla est proportio; ergo ex rebus creatis Deus demonstrari nequit. Et vero, si daretur connexio necessaria inter ens contingens et ens necessarium, ens contingens necessario existeret : atqui hoc repugnat ; ergo....

R. *D. Ant.* Nulla est proportio inter creaturas et Deum in genere *entitatis*, *C. Ant.* In genere *connexionis*, *N. Ant.* Licet enim creaturæ a Deo infinite distent, imo in *esse* non solum differant, sed etiam absolute diversæ sint, adest tamen necessaria relatio inter ipsas et Deum. Res enim creatæ, utpote contingentes, egent ente necessario, a quo producantur ; recte igitur ab earum existentiâ Dei existentia infertur. Ad prob. *D. Maj.* Si daretur connexio necessaria necessitate *absolutâ et antecedenti*, ita ut posito ente necessario poni etiam debeat ens contingens, ens contingens necessario existeret, *C. Maj.* Si daretur connexio necessaria necessitate *hypotheticâ* et *consequenti*, ita ut posito ente contingenti necessario intelligatur positum et ens necessarium, *N. Maj.* Atqui connexio, de quâ agitur, inter ens contingens et ens necessarium hypothetica tantum est et consequens; ergo....

OBJ. 2° Si ab existentiâ entis contingentis concluditur existentia entis necessarii et infiniti, aliquid majus in conclusione est, quam in præmissis : atqui legitima conclusio nihil majus continere potest, quam præmissæ ; ergo....

R. 1° Retorqueo argumentum : si ab existentiâ infantis vel ovi concluditur ad existentiam matris vel gallinæ, majus quid continetur in conclusione, quam in præmissis : atqui.... ergo....

R. 2° *N. Maj.* Nam quando ab existentiâ entis contingentis deducitur existentia entis necessarii, nihil in conclusione continetur, quod in præmissis non sit expressum. Ad hoc enim ratiocinium tota ista deductio reduci potest : *Non datur effectus sine causâ : atqui mundus iste, uti omne ens contingens seu* AB ALIO, *est necessario effectus entis necessarii et infiniti quà causæ ; ergo ens necessarium et infinitum existit.* Porro in hoc ratiocinio nullus est terminus in conclusione, qui non sit in præmissis, nec ullus latior in conclusione, quam in præmissis ; ergo....

Inst. Mundus est opus finitum : atqui effectus finitus non requirit causam infinitam ; ergo....

R. *C. Maj.* et *D. Min.* Effectus finitus non requirit causam infinitam mediate, *N. Min.* Immediate, *Subd.* Non requirit semper, *C. Min.* Non requirit unquam, *N. Min.* Videbimus enim infra, creationem rei cujuslibet requirere potentiam infinitam. Ast omnis effectus finitus saltem mediate semper requirit causam infinitam, siquidem causa proxima et remota, si finitæ sint, vim nullam ipsæ haberent, nisi a causâ primâ et *a se*, adeoque a causâ infinitâ accepissent.

ARGUMENTUM II^{um.} *Ex ordine mundi.* Argumentum hoc ita proponi potest :

Existit in mundo ordo : atqui idea ordinis involvit ideam entis intelligentis, ut auctoris hujus ordinis ; ergo existit

ens intelligens, quod sit ratio sufficiens hujus ordinis : atqui ratio plene sufficiens esse nequit, nisi sit ens infinitum seu Deus; ergo existit Deus.

Prob. per part. *Existit in mundo ordo.* Nam

1° Nihil potest esse in effectu, quod non sit in causâ : atqui in ideis sensualibus, teste sensu intimo, rerum tum varietate et multitudine, tum harmoniâ, nexu et opportunitate, tum adversorum consensione et perpetuâ stabilitate maxime mirandus elucet ordo; ergo hic ordo est etiam in earum idearum causis, i. e. rebus mundanis; ergo.... Et vero

2° Ordo est dispositio variorum ad effectum seu finem aliquem obtinendum apta : atqui hujusmodi rerum mundi dispositionem nemo negabit, qui planetarum cursus ac fixam harmoniam, anni vicissitudines ac elementorum etiam oppositorum perfectam harmoniam ad effectum in iisdem circumstantiis constanter eundem producendum attentius contempletur; neque casu ea fieri autumabit, cum casus proprie loquendo nihil in se sit, nec ea, quæ casu fieri dicimus, ullam constanter legem servent (1). Quid quod

(1) Confer de hac re ea, quæ Tullius egregie multis in locis, sed inter alia : *De Naturâ Deor.* Lib. 2. Cap. 39, habet : *Principio terra universa cernatur.... vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas amplitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines immensitatesque camporum; adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum! Qui volucrum lapsus atque cantus! Qui pecudum pastus! Quæ vita silvestrium! Quid jam de hominum genere dicam? Qui quasi cultores terræ constituti non patiuntur eam, nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperi-*

3° In rebus singularibus seorsim spectatis idem ordo resplendet. Considera humani corporis aut etiam solius oculi miram ad finem suum structuram, vel quomodo cibus in chylum et sanguinem transeat, vel quomodo ex parvo prorsus semine planta enascatur, quæ dein in arborem excrescit, ex quâ folia, flores, tum fructus oriantur, qui ut plurimum ad speciei conservationem semina in se involuta contineant etc. (1); et certe summam artificis

tate vastari, quorumque operibus agri, insulæ littoraque collucent distincta tectis, urbibus. Quæ si ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. Nec minus eximie disserit de ordine in motu astrorum, et *Quis*, inquit, *hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus.* Apposite etiam ad hoc argumentum ratiocinatur recentiorum Physicorum facile princeps Newton (*Optica*. Lib. 3.) dicens: *Dum cometæ moventur in orbibus valde excentricis, undique et quoquoversum in omnes partes cœli, utique nullo modo fieri potuit, ut cæco fato tribuendum sit, quod planetæ in orbibus concentricis motu consimili ferantur eodem omnes. Tam miram universitatem in planetarum systemate necessario fatendum est intelligentiâ et consilio fuisse effectam.* Idem asserit (*Philos. nat.* Lib. 3.) : *Elegantissima hæcce solis, planetarum et cometarum compages nonnisi consilio et dominio entis intelligentis oriri potuit.* His adde, sive quæ Lessius : *De Numine ejusque providentia.* Lib. 1.; sive quæ Fenelon : *De l'existence de Dieu*; sive demum quæ Cl. Gulielm. Wewel in suo opere recentissimo : *Astronomia et Physica in suis relationibus ad Theologiam naturalem*, exponunt, et facile invenies, quam misera, abjecta et Philosopho vere indigna sit animadversio D. La Place : *Essai philosophique sur les probabilités*. 3. Edit. Pag. 2, asserentis, nullas in hac rerum universitate dari causas finales, sed nos tantum ex ignorantiâ verarum causarum, quæ sint in ipsis rebus, recurrere ad ens supremum, omnia hujus mundi ad finem aliquem dirigens. Quasi vero bruta materia sive fato sive casu possit pulcherrimam hanc cœli terræque harmoniam producere, quæ, ut Cicero ait, quanto consilio constituatur, omni intelligentiâ suâ homo assequi non possit. Quam si La Place fato vel casui adscribere nolit, fateatur necesse est, Deum, summe intelligentem, materiam his viribus instruxisse omniaque ita combinasse, ut eximia hæc, quam miramur, harmonia constanter conservetur.

(1) Consule rursus Tullium : *De Naturâ Deorum*. Lib. 2; aliosque, qui

sapientiam omnia vel minima ad finem suum ordinantis non poteris non agnoscere; ergo existit ordo in hoc mundo.

Idea ordinis involvit ideam entis intelligentis. Nam

1° Eatenus tantum aliquid ordinatum est, quatenus ad finem tendit; nec ordinem concipere possumus, quin concipiamus finem : atqui si est finis, est ens intelligens, quod illum intendit. Nam finis est id, cujus consequendi causa aliquid fit; sed volitio rei alicujus nequit esse sine cognitione illius rei; ergo idea ordinis involvit ideam entis intelligentis. Et reipsa

2° Ubicunque advertimus ordinem, instinctu rationali concludimus necessario ad auctorem intelligentem, uti ab ædificio, libro, horologio etc. ; quod quidem vel ipsi athei faciunt; ergo a pari ab ordine mundi concludamus necesse est ad auctorem mundi intelligentem (1). Demum :

3° Plurima entia hujus mundi irrationalia, etiam pro intelligeutiâ nostrâ, naturâ suâ tendunt ad aliquid, et per id, ad quod tendunt, colligantur in unum aliquod commune : atqui entia irrationalia aguntur potius et di-

ex uno tantum genere entium existentiam Dei eruerunt, uti Fabricium, qui *Theologiam aquæ*; Niewentyt, qui *Theologiam anatomicam*; Lesser, qui *Theologiam insectorum*, etc., egregie exposuerunt.

(1) *An, cum machinatione quadam*, ait Cicero: *De Naturâ Deor.* II. 38. *moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis : cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summâ salute et conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti divinâque ratione?*

riguntur ad finem, quam propter finem agant, cum ex naturâ suâ indifferentia sint ad ordinem adeoque ad finem quemcunque, uti v. g. astra; ergo necesse est, ut ab aliquo ente intelligente ad finem dirigantur; adeoque existit ens intelligens, quod sit ratio sufficiens hujus ordinis (1) : atqui

Ratio plene sufficiens esse nequit, nisi sit ens infinitum. Nam ordinans res mundanas ad finem non potest esse in ordine, secus esset et ipse ordinatus adeoque non primus ordinans : sed qui non est in ordine ordinatorum, non pendet ab ullâ causâ efficienti nec ab ullâ causâ finali, secus esset ordinatus; ergo est prorsus independens : atqui si est prorsus independens, est perfectissimus; secus in suâ determinatione negativâ vel ab alio penderet adeoque non esset prorsus independens; vel determinaretur ad illam vi essentiæ suæ, quod ex Cap. primo hujus Sectio-

(1) Referri hic meretur, quod narrat D. Flotte (*Leçons de philosophie*). Cum tempore epularum, quas simul celebrabant plures ex impiis (ita dictis) philosophis ultimi seculi, multa in laudem et commendationem *Atheismi* prolata essent, demum Diderot proposuit, ut etiam Deo suus daretur causidicus et patronus, et electus est D. (l'abbé) Galiani. Qui graviter resedit et ita exorsus est :

Un jour, à Naples, un homme prit, devant nous, six dés dans un cornet et paria d'amener rafle de six. Il l'amena du premier coup. Je dis : cette chance était possible. Il l'amena une seconde fois; je dis la même chose. Il remit les dés dans le cornet, trois, quatre, cinq fois, et toujours raffle de six. SANGUE DI BACO ! *m'écriai-je*, LES DÉS SONT PIPÉS; *et ils l'étaient.*

Philosophes, quand je considère l'ordre toujours renaissant de la nature, ses lois immuables, ses révolutions toujours constantes dans une infinie variété, cette chance unique et conservatrice d'un monde tel que nous le voyons, qui revient sans cesse, malgré cent autres millions de chances de perturbation et de destruction possibles, je m'écrie : CERTES, LA NATURE EST PIPÉE.

Adde responsum Arabis alicujus rudis et ignari, qui interrogatus, quâ ratione se certum reddiderit de existentiâ Dei : *De la même façon*, respondit, *que je connais par les traces marquées sur le sable, s'il y a passé un homme ou une bête.* Sic D. Darvieux in suo opere : *Voyage en Arabie.*

nis est absurdum, cum vi essentiæ nihil possit determinari ad defectum; ergo existit ens perfectissimum adeoque Deus (1)

OBJECTIONES

116. OBJ. 1° Positâ existentiâ rerum mundanarum, quæ in hoc argumento supponitur, natura universa est auctor omnium effectuum adeoque ordinis hujus mundi; ergo hoc argumentum nihil probat

R. *N. Suppos. Ant.* Supponit enim, quasi quæstio esset, unde *immediate* effectus et hinc ordo mundi nascatur. Porro facile concedimus effectus et ordinem mundi *immediate a naturâ*, i. e. a collectione virium activarum et passivarum, quæ sunt in rebus mundi, oriri : ast quæstio non est, unde *immediate* hi effectus oriantur; sed quæstio est, quis ordinaverit has vires, quis statuerit has leges, juxta quas agunt, ut hi potius, quam alii effectus oriantur, uno verbo, quis, si ita loqui fas sit, naturam naturaverit : atqui certe natura non seipsam naturavit; ergo ex ordine mundi necessario concludere oportet ad ens intelligens, quod sit auctor hujus ordinis.

OBJ. 2° Notio causæ debet esse fixa, ut possit dici causa talis effectûs : atqui notio causæ in hoc argumento est vaga et indeterminata; ergo.....

R. *D, Maj.* Notio causæ debet esse fixa *antecedenter* ad effectum et quoad nos, *N. Maj. Consequenter* ad effectum, *Subd.* Debet esse fixa i. e. tanta vis tribui debet, quæ suf-

(1) Vide etiam Suarez : *Metaphys.* Tom. II. Disp. 29, Sect. 2, §. 3.

ficiat ad effectum producendum, *C. Maj.* Etiam quatenus majorem habere non possit, *N. Maj.* Quia certo opus aliquod non dat mensuram totius potentiæ opificis. Porro in nostro argumento concludimus ab effectu i. c. ordine *consequenter* ad causam, et quidem ad causam huic effectui proportionatam; ergo necesse non est, ut nobis innotescat causa *antecedenter.*

Inst. 1° Sed sic ex ordine mundi non potest inferri existentia entis summe perfecti, cum ordo finitus infinitum auctorem non exigat; ergo.....

R. *D. Min. Subspt.* Non potest inferri *immediate*, *Tr. Min. Subspt.* Mediate, *N. Min. Subspt.* Dixi *immediate*, *Tr. Min. Subspt.* Sunt enim, qui ex hoc ordine mundi concludunt immediate ad causam ordinantem infinitam, utpote quæ perfecte nosse debuit, quidquid ex viribus, quas concessit, sequi posset, omniumque rerum relationes et aptitudinem, omniaque sic in futurum disponere, ut tam compositus ordo enasceretur et constanter perseveraret, id quod concipi non possit, nisi in ente, quod adæquatam habeat rerum ideam. Ast necesse non est, ut *immediate* concludamus, cum *mediate* necessario ad infinitum concludere debeamus.

Inst. 2° Partem solum mundi cognoscimus: atqui inde nequit concludi ad summum ordinem; ergo....

R. *C. Maj. N. Min.* et *Cons.* Pars enim nobis nota manifeste probat auctorem sapientissimum, cum omnia ad finem tendere et media aptissima electa videmus. Ergo sicuti ex operis alicujus eximii, v. g. Æneidis, exiguâ solum parte ad auctorem intelligentem necessario concludimus, ita etiam ex parte solum mundi ordinatâ ne-

cessc est concludere ad opificem sapientem. Vel an forte auctor mundi, qui tantam intelligentiam patefecit in compositis, quæ novimus, intelligentiâ caruit in iis, quorum fines nos imbecilli ingenio non assequimur?

Inst. 3° Si auctor mundi esset ens perfectissimum, mundus esset perfectissimus: atqui mundus non est perfectissimus; multa enim sunt inutilia, imo etiam nociva in hoc mundo; ergo.....

R. *D. Maj.* Mundus esset perfectissimus perfectione absolutâ, *N. Maj.* Perfectione relativâ, *C. Maj.* Res enim creabiles omnes nonnisi finitæ a sapientiâ etiam infinitâ cognosci possunt adeoque in earum creatione nonnisi varia limitum possibilitas restat, quam, prout gloriam suam manifestare vult, Deus potest determinare. Unde pariter, *D. Min.* Mundus non est perfectissimus perfectione absolutâ, *C. Min.;* id enim impossibile est. Non est perfectissimus perfectione relativâ, *N. Min.* adeoque et *rationem additam.* Nam eo ipso, quod totus ordo et singulorum nexus nobis non sit perspectus, inutile vel nocivum dicere nihil possumus. Inutile enim est id, quod ad finem ab opifice intentum nullam relationem habet. Quis autem totum opus et singulorum fines ita perspiciat, ut de re quapiam pronuntiare possit, eam cum nullo ente relationem vel nexum ullum habere? Porro non de singulis in se spectatis, sed relate ad totum judicandum est: quod si fiat, omnes prætensæ imperfectiones mundi non erunt, nisi apparentes, i. e. ex finitudine mundi necessario ortæ exceptiones a regulâ ordinis. Et vero naturali instinctu, cum officinam alicujus opificis ingredimur, non judicamus inutilia instrumenta ea, quorum finem vel aptitudinem non noscimus, si artifex ille

aliunde specimina peritiæ suæ dederit; ergo a pari judicare non possumus rationali modo, entia mundi, quorum fines non noscimus, ad fines suos esse inepta, cum in cæteris innumeris partibus summam ad fines tum proprios tum communes aptitudinem observemus, imo rerum, quas primo intuitu inutiles vel etiam nocivas diceremus, deinceps diligentiori naturæ observatione utilissimas, atque adeo sæpe necessarias esse ad totius conservationem et harmoniam detegamus.

NB. Casu et fortuito concursu atomorum, uti Epicurus somniavit, hunc mundi ordinem oriri non potuisse ostensum est in Cosmologia (1).

CAPUT III.

Argumenta ex ordine morali.

117. Argumenta ex ordine morali ea dicuntur, quæ ex sensu agendique ratione populorum petuntur, et duo sunt, unum nempe *ex populorum de existentiâ Dei unanimi consensu;* alterum *ex lege naturali* desumptum.

Argumentum I^um^. *Ex unanimi populorum consensu.* Argumentum hoc ita proponi potest:

Unanimis est omnium populorum consensus, Deum existere: atqui talis consensus veritatem certo comprobat; ergo existit Deus.

Prob. Maj. Unanimis est omnium populorum consensus, existere Deum. Nam

1° *De antiquis populis* id testantur tum auctores fide

(1) Sect. 1. Cap. 2. Pag. 17 et seqq.

dignissimi, tum historici, tum monumenta. Et quidem *a*) *Auctores fide dignissimi;* uti apud Græcos Plato, qui (1) inter probationes existentiæ numinis affert consensum populorum, idem Aristoteles, Socrates, Zeno etc. Apud Romanos Tullius multis in locis (2): *Nemo omnium tam est immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipsisque in hominibus nulla est gens tam immansueta tamque fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum esse sciat.* Idem Plutarchus (3): *Si terram obeas, invenire possis urbes muris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, urbem vero templis Diisque destitutam, quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur, non bonorum causâ sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.* Item Seneca (4), Diodor. Siculus (5), aliique plurimi *b*) *Historici veterum populorum.* Nulli enim sunt, qui non sui quisque populi et reliquorum, quorum historiam scribunt, religionem referant; in asserendâ Dei existentiâ unanimes, licet in reliquis sæpe dissentiant. *c*) Demum *monumenta.* Ubique terrarum enim leguntur templa, altaria erecta, festi dies instituti, sacerdotes electi, ritus, quibus Dii celebrantur, consecrati. Idem testantur hieroglyphi, statuæ, vasa egyptiaca et hetrusca, aliæque templorum ruinæ de iis populis, quorum non supersunt historiæ.

(1) De Legib. Lib. 10.
(2) Sive *de Natura Deorum.* Cap. 16; sive *Quæst. Tuscul.* Lib. 1. Cap. 13 et 30; sive *de Legibus.* Lib. 1.
(3) Contra Coloten. Epic.
(4) Epistol. 117.
(5) Hist. Lib. 12.

2° *Inter populos recentiores.* Sive in novo sive in antiquo orbe pariter nullus est, qui in admittendo numine non consentiat, testibus ipsis historicis religionis nostræ inimicis. Fuere quidem, qui linguæ aliquorum populorum haud satis gnari speciem quamdam atheismi inter eos detexisse putabant, verum viatores posteriores, jam magis instructi, eadem loca peragrantes non obscura religionis indicia invenerunt (1). Ergo est unanimis omnium populorum consensus, existere Deum.

Prob. Min. Atqui talis consensus veritatem certo comprobat. Nam hic consensus, quoniam est omnium hominum, causam habere debet omnibus communem : atqui causa omnibus hominibus communis alia esse nequit, quam recta ratio, modo quocumque immediate percipiens. Ergo huic perceptioni et consequenti consensui falsum subesse non potest, alioquin ratio non esset ratio (2).

Et sane alia causa nulla reperitur, cur homines, qui in suis inventis usque adeo discrepant, conveniant tamen omnes in asserendâ Dei existentiâ, licet hæc doctrina, utpote maximi momenti et passionibus summopere contraria, sæpissime ad examen revocata fuerit, nec tamen unquam ex mentibus hominum, tam doctorum quam rudium, tam principum quam subditorum, evelli potuerit. *Ergo existit Deus.*

(1) Vide de hac re Bergier : *Traité de la vraie religion.* Tom. II. Cap. 4. Art. 12. Feller : *Catéchisme philosophique.* Lib. 1. Cap. 1.— Tournemine : *Réflexions sur l'athéisme.* In opere : *Démonstration de l'existence de Dieu, par Fénelon.* Fabricium : *Apologia generis hum. advers. accusat. atheismi.* — Brenna : *De generis hum. consensu in cognoscenda divinitate.* Tom. I. Lib. 1. Part. 1.

(2) *Log. Appl.* Sect. 3. Cap. 5. Pag. 163 et seqq.

OBJECTIONES.

118. OBJ. 1° Non magis valet consensus hominum in admittendâ divinitate, quam in admittendo polytheismo, idololatriâ, motu solis etc. : atqui in his nihil probat ; ergo nec pro illa.

R. *N. Maj*. Nam ingens est discrimen inter utrumque consensum. *Consensus* enim circa *polytheismum et idololatriam non fuit* 1° *universalis;* cum et populus judaicus et multi ex gentilibus, uti Job, unum Deum agnoverint, imo vix unus sit ex sapientioribus, qui non cum Socrate, Platone, Pythagorâ, Tullio, Seneca etc. pluralitatem Deorum in scriptis suis rejecerit, licet, ut populus, plures Deos patrios coleret. *Nec* 2° *constans;* cum nec ante diluvium, nec fere post Christum viguerit. *Nec* 3° *uniformis;* cum nec æque multos, nec eosdem neque eodem ritu (1) varii populi Deos coluerint. Unde facile huic consensui alius fons, quam recta ratio, assignari potest, nempe vel ignorantia, cum vix caperent, quomodo unus omnia regeret; vel variæ apud varios populos cupiditates, adulatio erga principes etc. Quæstio autem, *an sol, an vero terra moveatur, an antipodes existant* etc., relate ad usum et utilitatem hominum tam indifferens est, ut nulli examini subjecta, facile ex solâ sensuali impressione dijudicetur.

OBJ. 2° Idea Dei est idea entis infinite perfecti : atqui pleræque nationes non consenserunt in admittendo ente infinite perfecto ; ergo....

(1) Vide Sect. seq. Cap. 1. *De unitate Dei :* notam 2.

R. *D. Maj.* Idea Dei est idea entis infinite perfecti, si clara sit notio etiam circa naturam Dei, *C. Maj.* Secus, *N. Maj.* et par. *D. Minore N. Cons.* Id solum enim hic contendimus, ut ostendamus, nullum esse populum, qui Deum, etsi qualem esse deceat, ignoret, tamen habendum esse non sciat: atqui nullus est populus, qui, etsi non sub ideâ entis infinite perfecti, tamen sub ideâ entis supremi, providi, rectoris mundi, remuneratoris virtutis et vindicis vitii ideam Dei habuerit; ergo....

SCHOL. Etsi falsum sit, fuisse vel esse atheos interne Deum negantes, tamen concesso etiam esse vel fuisse aliquot etiam interne atheos, argumentum ex vi suâ nihil perdit, quia 1° consensus admittentium Deum tantus semper est, ut ex nullâ causâ accidentali, uti auctoritate, vel politiâ principum vel educatione etc. oriri potuerit, adeoque semper a ratione immediate percipiente repetendus sit; et 2° sicut non ex monstris forma humana, ita nec a paucis brutorum instar depravatis natura rationalis inquirenda est.

ARGUMENTUM II^um^. *Ex lege naturali.* Argumentum hoc ita proponi potest:

Existit lex naturalis, universalis et absoluta, omnium hominum cordibus insculpta, præcipiens honestum et inhonestum prohibens simulque præmia et pœnas decernens: atqui talis lex arguit supremum legislatorem, qui nisi Deus sit, esse nullus potest; ergo existit Deus.

Prob. Maj. Nam talem legem existere probat conscientia cujusque. Quivis enim commissâ aliquâ malâ

actione, conscientiæ stimulis urgetur, qui, ut Tullius (1) loquitur, velut assiduæ domesticæque furiæ impios persequuntur. Probat consensus omnium populorum. Nullus enim populus est, qui non discrimen inter bonas et malas actiones, ac certa quædam officia implenda agnoverit. Probat demum ipsa ratio, quæ agnoscit, sine hujusmodi lege societatem subsistere posse nullam, cum secus homines nullo freno inhibiti tot contradictoria quærerent emolumenta, quot contradictorias habent passiones et cupiditates; unde nullum vinculum, nulla unitas in societate, adeoque nec societas esse posset (2).

(1) Orat. 2 pro Sexto Rosc.

(2) Mirum est, quam ipsi increduli luculenter pro eâdem re loquantur. *Sortez de là* (i. e. ex ideâ Dei justi) ait Rousseau, *je ne vois plus qu'injustice, hypocrisie et mensonge parmi les hommes. L'intérêt particulier qui, dans la concurrence, l'emporte nécessairement sur toutes choses, apprend à chacun d'eux à parer le vice du masque de la vertu. Que tous les hommes fassent mon bonheur aux dépens du leur, que tout se rapporte à moi seul, que le genre humain meure, s'il le faut, dans la peine et dans la misère, pour m'épargner un moment de douleur ou de faim. Tel est le langage intérieur de tout incrédule qui raisonne. Oui, je le soutiendrai toute ma vie : quiconque a dit dans son cœur : il n'y a point de Dieu*, *et parle autrement, n'est qu'un menteur ou un insensé.* Et Voltaire : *Diction. philos.* Art. *Athéisme*, apprime sentit, quid societas sine ideâ summi legislatoris esset, dicens : *Je ne voudrais pas avoir affaire à un prince athée qui trouverait son intérêt à me faire piler dans un mortier ; je suis bien sûr que je serais pilé. Je ne voudrais pas, si j'étais souverain, avoir affaire à des courtisans athées, dont l'intérêt serait de m'empoisonner ; il me faudrait prendre au hasard du contre-poison tous les jours. Il est donc absolument nécessaire, pour les princes et pour les peuples, que l'idée d'un Etre suprême, créateur, gouverneur, rémunérateur et vengeur soit profondément gravée dans les esprits.* Et reapse ut idem Voltaire (Homélie sur l'Athéisme) ait : *L'athée fourbe, ingrat, calomniateur, brigand, sanguinaire, raisonne et agit conséquemment, s'il est sûr de l'impunité de la part des hommes. Car, sans la croyance d'un Dieu, ce monstre est son Dieu à lui-même : il s'immole tout ce qui lui fait obstacle*, etc.

Prob. Min. Atqui talis lex arguit supremum legislatorem. Nam

1° Lex universalis et absoluta, potentissimos quosque, non minus probos, quam improbos, reluctante licet voluntate adstringens nec existentiam nec vim obligatoriam habere potest, nisi a legislatore omnibus humanis legislatoribus et anteriori et superiori, qui in omnes homines summum habeat imperium et dominium : atqui hic legislator nequit esse, nisi Deus; ergo existit Deus. Et vero

2° Lex hæc nec ab hominibus instituta est, cum secus cam ut instituere, ita et abolere possent : quemadmodum leges positivas pro varietate temporum et characterum alias immutant, alias abolent. Nec etiam a ratione oritur. Ratio enim non facit actum bonum vel malum, sed tantum percipit; unde si actus non sit intrinsece bonus vel malus, nihil obesset, quin ratio cum in se indifferentem agnosceret. Dein ratio ad summum posset inducere obligationem quamdam speculativam et congruentiæ, non vero practicam, et cui sub pœnâ malæ conscientiæ homo adstringatur ; ergo lex hæc necessario oritur a Deo, adeoque existit Deus.

Schol. Hæc de Dei existentiâ dixisse sufficit, ut luculenter pateat, nullum esse sanæ mentis, qui Deum esse serio negare possit. Egregie enim ad hactenus dicta applicantur, quæ Cicero de divinatione (1) disserit; ita autem habet : *Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quæ disputavi, verissima; si ratio mecum facit, si even-*

(1) Lib. 1. Cap. 39.

ta, si populi, si nationes, si Græci, si Barbari, si majores etiam nostri, si denique hoc ita semper putatum est, si summi philosophi, si poetæ, si sapientissimi viri, qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt, an dum bestiæ loquantur exp^ctamus, et hominum consentiente auctoritate contenti non sumus?

SECTIO II.

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS.

119. Cum Deus sit ens omnino simplex, *absolutum et totum esse,* quidquid in ipso est, realiter atque identice ipsa divina natura et plenitudo essentiæ est (1). Ast quo-

(1) Pulchre id ipsum exponit S. August. *De Trinit.* Lib. VI. Cap. 7. dicens: *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur; sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia (non enim mole magnus, sed virtute), et eadem bonitas, quæ sapientia et magnitudo, et eadem veritas, quæ illa omnia; et non ibi aliud beatum esse, et aliud magnum esse aut sapientem aut verum aut bonum esse, aut omnino* IPSUM ESSE. — Conf. S. Anselm. *Monolog.* Cap. 16. S. Bernard. *De considerat.* Lib. V. Cap. 7. et *In Cantic.* Serm. 80. Lessium: *De perfect. divinis:* Lib. 1. Cap. 1. Bossuet: *De la connaissance de Dieu et de soi-même:* Chap. 4. § 5. et demum S. Franciscum Salesium: *Traité de l'amour de Dieu:* Lib. II. Chap. 1. ubi adducta comparatione: quemadmodum, ait, sol, qui modo ruber, modo fuscus, modo pallidus nobis videtur, non re ipsâ varii istius coloris est, sed eâdem suâ semper eâque clarissimâ luce splendescit nobisque varius tantum apparet pro varietate vaporum, per quos medios illum percipimus; ita Deus, in se unicum simplicissimum et absolutum esse, varie tamen a nobis percipitur pro varietate operum, per quæ media ipsum contemplamur. Sic prosequitur. *Si nous le regardons en tant qu'il punit les méchants, nous le nommons juste; en tant qu'il délivre le pécheur de sa misère, nous le prêchons miséricordieux; en tant qu'il a créé toutes choses et fait plusieurs miracles, nous l'appelons tout-puissant; en tant qu'il pratique exactement ses promesses, nous le publions véritable; en tant*

niam propter ejus infinitudinem unico conceptu completo attingi non potest, sub multiplici quasi respectu spectari a nobis solet, ita ut metaphysicam in ipso essentiam, nec non varia attributa ab eâ promanantia, quæ simul sumpta physicam ejus essentiam seu naturam divinam constituant, consideremus. Hæc tamen attributa neque ab essentiâ metaphysicâ, neque inter se *realiter* distinguuntur, sed *virtualiter* tantum seu solâ distinctione rationis ratiocinatæ (1).

Porro *essentia metaphysica* Dei juxta communem sententiam reponenda est in absolutâ *necessitate existendi* sive in notâ *entis a se,* quæ *aseitas* vocari solet. Et vero

Essentia metaphysica est illa nota, quæ primo in ente esse, et quà ratio sufficiens cæterarum determinationum in ente, ut hoc ens sit, necessariarum concipitur : atqui juxta nostrum concipiendi modum *aseitas* seu *necessitas existendi* concipitur *a*) *primo in Deo esse :* siquidem ex cognitione rerum contingentium ad ens necessarium tanquam ad causam primam adeoque ad ens *a se* ascendamus in probationibus pro existentiâ Dei ; et *b*) *qua ratio sufficiens cæterarum determinationum entis :* siquidem ex aseitate seu necessitate existendi probetur ens necessario debere esse infinitum, adeoque exin fluere cætera attributa.

Eandem doctrinam etiam in sacris litteris expressam

qu'il fait toutes choses en si bel ordre, nous l'appelons tout sage, et ainsi consécutivement, selon la variété de ses œuvres, nous lui attribuons une grande diversité de perfections. Mais cependant en Dieu il n'y a ni variété, ni différence quelconque de perfections, mais il est lui-même une très-seule, très-simple et très-uniquement unique perfection.

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. Pag. 288

legimus. Interroganti enim Deum Moysi, *quis esset*, respondit (1) : *Ego sum, qui sum.* Sic dices filiis Israel : *Qui est, misit me ad vos.* Quasi diceret, ego sum ille, cujus essentia est ipsum *esse*, seu ille, cujus *esse* est *existere.*

Essentia autem physica Dei statuenda est in complexu omnium perfectionum divinarum, seu omnium attributorum in gradu infinito, quorum alia, ut supra dixi, absoluta, alia relativa vocantur. *Absoluta* sunt ea, quæ Deo absolute seu ratione sui spectato conveniunt, et hæc fere numerantur : *unitas*, *immutabilitas*, *independentia*, *simplicitas*, *immensitas* et *æternitas*, de quibus distinctis Capitibus ita agemus, ut 1° Capite *unitatem ;* in 2° *immutabilitatem* et *independentiam;* in 3° *simplicitatem* et *immensitatem*, et demum in 4° *æternitatem* expendamus.

CAPUT PRIMUM.

De unitate Dei.

120. Unitatem Dei impugnarunt gentiles sive polytheistæ (2) sive etiam dualistæ seu illi, qui duo rerum principia admittebant, uti plures Indi, Persæ aliique antiquitatis populi, quibus postmodum nonnulli primo-

(1) Exodi Cap. 3. Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν.

(2) Polytheistæ sæpe cum idololatris confunduntur, quamvis non omnes polytheistæ idola coluerint. Cultus enim polytheistarum fuit valde multiplex, cujus hæ maxime species hic notari merentur, 1° *Fetichismus*, seu cultus rerum inanimatarum, uti plantarum, fluviorum, etc.—2° *Sabæismus* seu astrolatria.—3° *Zoolatria* seu cultus animalium.— 4° *Anthropolatria* seu cultus hominum, uti heroum et sæpe tyrannorum.— 5° *Idololatria* proprie dicta, seu cultus statuarum et imaginum.— 6° *Dæmonolatria* seu cultus dæmonum et geniorum. Fuerunt etiam, qui, in ipsâ adeo urbe Româ, *bello, paci, febri, timori*, etc. altaria erigerent et cultum exhiberent.

rum seculorum hæretici, ut Marcion, Apelles et Manes; et ab hoc Manichæi adhæserunt. Horum vero doctrinam recentioribus temporibus recoxit Baylius (1) et ex ipso ultimi seculi impietatis patroni. Docebant autem Manichæi, duo esse principia rerum, *a se* et *æterna*, alterum *summe bonum*, omnis boni, alterum *summe malum* omnis mali causam. Itaque unitas Dei et directe contra polytheistas, et indirecte contra Manichæos propugnanda nobis est; unde sit:

121. PROP. I. DEUS EST UNICUS (2).

Prob. 1° Deus est ens infinite perfectum: atqui ens infinite perfectum est unicum; ergo....(3).

Prob. Min. Ens infinite perfectum est illud, quo majus cogitari nequit: atqui si haberet æquale, potest cogitari aliud illo majus, quod nempe non habeat æquale; ergo si habet æquale, non infinite perfectum, adeoque nec Deus est.

Et vero ens, quod *ex essentiâ suâ* supremum habeat dominium super omnia entia; ens, a quo *solo* omnia, quæ existunt et unquam extitura sunt, dependeant, et cui *soli adæquate* existentiam suam debeant, perfectius est illo, a quo omnia ita non pendent: atqui si plures ponuntur Dii, quisque posset aliquod ens creare, quod ab eo solo, utpote creatore suo, pendeat et non ab aliis; ergo nullus esset ens, quod *omne esse* creaturarum vir-

(1) Dictionn. critiq. et philosoph.
(2) Quæ unitas hic intelligatur, vide *Ontol.* Part. I. Cap. 4. Pag. 208. Schol.— 2°.
(3) Idem argumentum egregie evolvit Tertullianus contra *Marcionem*. Lib. 1. Cap. 3.—S. Thomas *contra Gent.* Lib. 1. Cap. 42., et *Summæ*. Part. I. Quæst. 9. Art. 3.

tualiter haberet, ergo nec ullum ens, quo majus cogitari nequit, adeoque nullus Deus (1).

2° Si plures dantur Dii, vel singuli a singulis, vel omnes ab uno, vel nullus ab ullo, penderent. Si *singuli a singulis:* nullus est Deus, quia nullus est independens. *Sin omnes ab uno :* ille solus Deus est, a quo reliqui dependent, qui eo ipso, quod dependent, Dii non sunt. *Si nullus ab ullo:* nullus est Deus, quia nullus altero est superior, adeoque nec summe perfectus : nullus enim haberet *supremum* et *omnimodum* dominium, utpote circumscriptum ab aliis Diis : atqui supremum *essentialiter in res absolute omnes* dominium est summa perfectio ; ergo.....

Dicunt. Volunt, utpote æque perfecti, semper idem. Sed vel *necessario*, vel *libere* semper idem volunt. Si *necessario* et ex naturæ necessitate volunt omnia, quæ volunt ; ergo Dii illi liberi adeoque infinite perfecti non sunt. Si *libere ;* ergo ex naturâ suâ saltem possunt velle

(1) Quam in rem ita fere loquitur Lactantius : *De irâ Dei : Cap.* 11. dicens : *Satis, ut opinor, ostendimus in nostris institutionibus, Deos multos esse non posse ; quod divina vis et potestas, si distribuatur in plures, diminui eam necesse sit, quod autem minuitur, utique mortale est : si vero mortalis non est, nec minui, nec dividi potest. Deus igitur unus est, in quo vis et potestas consummata est, nec minui potest nec augeri. Si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid ac numinis, summa ipsa decrescit ; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus ; unicuique tantum deerit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores, nec in unâ domo multi domini, nec in navi unâ multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno regimine multi reges. Sed nec in cœlo quidem multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore. Adeo in unitate natura universa consentit.... Omnem igitur divinam potestatem necesse est esse in uno, cujus nutu et imperio regantur omnia.*

contraria, v. g. unus existentiam, alter non-existentiam mundi, adeoque saltem ex naturâ suâ non essent ab invicem independentes, adeoque nec summe perfecti nec Dii.

3° Deus utpote ens realissimum, existit necessario vi possibilitatis suæ (1); ergo tot solum Dii possunt existere, quot sunt possibiles : atqui possibilis non est nisi unicus; ergo unicus existit Deus.

Prob. Min. Nam si plures sint possibiles, possibiles sunt *indefiniti* vel *infiniti*, cum id, quod ex se non repugnat existere bis, potest et ter, quater, millies, indefinities existere : atqui Dii nec *indefiniti* existere possunt, quia ens infinitum necessario semper existit adeoque omne ens infinitum, quod existere potest, jam actu existit : nec *infiniti*; quia numerus actu infinitus repugnat; ergo nonnisi unicus Deus est possibilis adeoque nonnisi unicus existit.

Dicunt : Credibile non est, totum genus humanum tamdiu errasse in re tanti momenti : atqui genus humanum ferme totum admisit plures Deos; ergo adeo absurdum non est, plures Deos esse vel saltem esse posse.

R. *N. Supp. Maj.* Neque enim verum est, totum fere genus humanum errasse in uno Deo admittendo; sed contra omnes populi, utut plures Deos colerent, unum tamen supremum, cui reliqui subderentur, admiserunt; unde jam Tertullianus (2), postquam dixisset, quomodo pagani in periculo positi non Deos, sed Deum invocarent,

(1) *Ontol.* Part. II. sect. 2. cap. 1. Pag. 236 et notam præsertim in fine.

(2) *Apologet.* Cap. 17.

exclamat : *O anima naturaliter christiana.* Et reipsa etiam ethnicos unum tantum supremum admisisse, et ex philosophis, et ex poetis constat. Ita jam Orpheus poetarum antiquissimus : *Unicus est per se existens, qui cuncta creavit ; magnum adeo præter regem non alter habetur.* Et Hor. : *Qui res hominum ac Deorum, qui mare et terras variisque mundum temperat horis ; unde nil majus generatur ipso, nec viget quidquam simile aut secundum.* Objectiones ex scripturâ sacrâ fieri solitas remittimus ad Theologos.

122. PROP. II. REPUGNANT DUO PRINCIPIA A SE, ALTERUM SUMME BONUM, ALTERUM SUMME MALUM.

Prob. 1° Vel in malo principio nihil est, quod est in bono, vel aliqua sunt eis communia, alia non. Si *primum :* principium malum nullam habet realitatem, cum bonum, utpote ens *a se*, habeat omnes realitates ; ergo non est in se cognoscibile, ac proin non-ens ; sed non-ens non potest esse principium ; ergo principium summe malum esset ens, quia ex hypothesi esset principium, et non esset ens, quia non est in se cognoscibile ; ergo repugnat. *Si secundum :* principium malum non est ens *a se ;* nam ens a se habet omnes realitates : atqui ex hypothesi principium malum cum bono aliquas realitates haberet communes, alias non ; ergo esset ens *a se* ex hypothesi, et non esset ens *a se*, quia rursus ex hypothesi non haberet omnes realitates ; ergo repugnat. Verum etiamsi hæc duo principia non repugnarent *intrinsece,* tamen repugnant *extrinsece*, seu mali origo, ad et propter quam explicandam assumuntur, per ea non explicatur. Nam

2° Vel vires æquales haberent vel non. *Si æquales :*

neutrum operari potest, cum alterum ad bonum, alterum ad malum ex naturâ suâ necessitetur; sicut cum bilanci æqualia utrinque pondera appenduntur, motus nullus consequi potest. Si vero habent *vires inæquales* : illud, quod est fortius, omnia alterius opera impediet, ac proin vel nihil boni vel nihil mali esset in mundo, quod repugnat experientiæ. Demum

3° Ideo hæc principia adversarii volunt admitti, quia mala mundi componi non possunt cum potentiâ, sapientiâ, scientiâ et bonitate Dei, i. e. entis summe perfecti : atqui, posito malo principio, principium bonum seu Deus actionem principii mali vel non potest impedire, et non est summe potens, vel non scit, et non est summe sapiens, vel non vult, et non est summe bonus; ergo hypothesis mali principii non solvit difficultatem.

Sed, ait Baylius, fœdus inierunt, vi cujus se mutuo turbare nolint. Verum hujus modi fœdus

1° *Implicat in se.* Nam cum alterum principium *vi essentiæ* malum, alterum *vi essentiæ* bonum sit, illud ad omnia bona, hoc ad omnia mala impedienda necessitatur; ergo fœdus se mutuo in suis operibus non turbandi inire non potuere; quod enim vi essentiæ est, immutabile est (1).

2° *Non reddit rationem, propter quam assumitur.* Nam posito hoc fœdere principium malum aliquorum bono-

(1) Quod si quis cum aliquibus ex antiquis Manichæis principium malum assumat, non *a se* et vi essentiæ existens, sed a Deo procreatum, difficultas non magis solvitur. Quod enim procreatum est, dependet essentialiter a creatore suo, cui consequenter omnia mala a principio hujusmodi malo causata aliquâ ratione attribui necesse est.

rum, et principium bonum aliquorum malorum causa saltem permissiva esset : atqui id ex hypothesi est contra naturam et essentiam utriusque principii, adeoque principium bonum non esset constanter bonum ; ergo..... Et vero vel principium bonum absque hoc fœdere *potuit* resistere principio malo *vel non. Si potuit*, et *noluit*, juxta Baylium ipsum non est summe bonum ; *si voluit*, sed *non scivit*, non est summe sapiens ; si et *voluit* et *scivit*, *sed non potuit*, non est summe potens ; ergo remanet tota difficultas, ob quam duo principia assumuntur, adeoque hæc et intrinsece et extrincece repugnant. Ergo

Unus est Deus, qui est aliqua ratio omnium malorum. Nam

123. PROP. III. NON REPUGNAT, SUB DEO UNO, SUMME BONO, EXISTERE MALA IN MUNDO.

Prob. Omnia mala mundi ad triplicem classem referri possunt ; ad *mala metaphysica*, quæ consistunt in finitudine entibus finitis propriâ, et hinc etiam mala *essentialia* seu *mala naturæ* vocantur : *ad mala physica*, quæ ex legibus physicis oriuntur, uti ignorantia, dolores, morbi, mors etc. ; et demum *ad mala moralia* seu *peccata*, quæ a liberâ entis intelligentis deviatione a normâ sibi præscriptâ oriuntur, et hinc etiam *accidentalia* vocari solent : atqui non repugnat sub Deo uno, summe bono, existere

I. *Malum metaphysicum.* Nam malum metaphysicum consistit in rerum creatarum limitatione : atqui hoc in creatis est absolute necessarium ; creatum enim et illimitatum sibi contradictorie opponuntur ; ergo Deus illæsâ bonitate suâ *vel* nihil creare *vel* malum metaphysicum ad-

mittere potuit : atqui illæsâ suâ bonitate potuit creare; cum ens creatum quodvis, etsi, quatenus necessario limitatum, sit etiam metaphysice malum seu deficiat ab entitate absolutâ, attamen, quatenus est ens et hinc reale quid, sit non solum metaphysice, sed etiam moraliter bonum, quia ens quodvis ex naturâ suâ referibile est et reipsa refertur ad bonum summum et finem ultimum, i. e. ad Deum glorificandum (1); ergo sub Deo summe bono non repugnat malum metaphysicum. Sed neque repugnat

II. *Malum physicum*. Nam

a) Malum physicum oritur ex malo metaphysico : atqui hoc non repugnat bonitati divinæ; ergo nec illud.

Prob. Maj. Nam inprimis ratio et intellectus omnis creatus ex naturâ suâ propterea errori et ignorantiæ etc. est obnoxius, quia est finitus. Dein etiam corpus ex naturâ suâ constans partibus per se dissolubilibus, naturaliter dissolutioni et hinc morbis et ipsi morti est subjectum ; ergo.....

b) Ordo physicus est essentialiter subordinatus ordini morali et fini ultimo hominis ; ergo id solum in eo malum est adeoque bonitati Dei repugnat, quod hominem ab isto fine removet aut ipsius consecutioni obstat : atqui nulli defectus physici ullatenus obstant aut obstare possunt, ne homo finem suum ultimum consequatur, quin imo eum, si velit, ad finem hunc potius promovent ; ergo non sunt ullatenus per se mali aut bonitati Dei repugnantes; ergo sub Deo summe bono non repugnat malum physicum. Sed demum neque repugnat

(1) Vide *Cosmol.* Sect. 3. Cap. 1. Prop. Pag. 89 et seqq.

III. *Malum morale seu peccatum.* Nam peccatum est *libera transgressio legis moralis;* ergo ejus possibilitas fundatur in *finitudine intellectûs et voluntatis*, *in lege morali* et *in libertate* : atqui sub Deo summe bono non repugnat

a) *Finitudo intellectûs et voluntatis* creaturæ, ex supradictis ; nec

b) *Lex moralis.* Nam positâ creatione mundi, omnes ejus partes per media earum naturæ consentanea (1), adeoque, sicut entia irrationalia per leges fixas et necessarias, ita entia intellectu et liberâ voluntate prædita per motiva libertatis concessæ non subversiva, ad finem suum, i. e. ad beatitudinem per Dei cognitionem et amorem acquirendam, a quo alias utpote finita facile ad bona spuria deflexissent, erant dirigenda : atqui id fieri non potuit, nisi per legem moralem hominum cordibus in sculptam et pœnis præmiisque propositis sancitam ; ergo non repugnat Deo lex moralis homini præfixa, sed contra ejus sapientiæ et sanctitati essentiale est hujusmodi legem præfigere. Demum neque repugnat

c) *Libertas.* Nam si sub Deo uno summe bono repugnaret libertas in homine, repugnaret vel *quatenus est libertas,* vel *quatenus finita involvit abusum possibilem* : atqui non repugnat *quatenus est libertas.* Libertas enim, quâ talis est vera perfectio, quia anima 1° sine eâ esset merâ machina vel automaton, nec meriti nec virtutis capax, et 2° per eam solam veram et perfectam beatitudinem acquirere potest. Quemadmodum enim Deus per hoc demum est beatissimus, quia omnem beatitudinem habet a

(1) Vide *Cosmol.* Sect. 3. Cap. 1. Prop. II. Pag. 89 et seqq.

se, ita beatitudo hominis ultimum perfectionis complementum per hoc accipit, quod *ex suo* etiam eam acquisierit : atqui id fieri nequit sine libertate ; ergo.... Ergo non repugnat libertas quà talis. Sed neque repugnat libertas, *quatenus finita involvit abusum possibilem.* Nam res nulla fit mala ex abusu accidentali, vitabili atque vitando : atqui abusus libertatis est accidentalis, cum abusus necessarius vel essentialis tollat ipsam ideam libertatis ; est vitabilis, cum Deus semper et omnibus det gratias sufficientes ; est insuper vitandus, cum ad hoc Deus instiget, præmiisque ac pœnis propositis moveat ; ergo.... (1) Ergo non repugnat sub Deo uno summe bono malum morale, sed neque repugnat ex II° malum physicum, neque ex I° malum metaphysicum ; ergo non repugnant mala mundi sub Deo uno summe bono (2).

(1) Egregie ad rem nostram ipse J. J. Rousseau, in suo opere *Emile*, Lib. 4. Tom. 2. Pag. 50, ita bonitatem Dei, qui peccatum permittit, vindicans : *Murmurer de ce que Dieu ne l'empêche pas* (l'espèce humaine) *de faire le mal, c'est murmurer de ce qu'il la fit d'une nature excellente, de ce qu'il mit à ses actions la moralité, qui les ennoblit, de ce qu'il lui donna droit à la vertu. La suprême jouissance est dans ce contentement de soi ; c'est pour mériter et obtenir ce contentement, que nous sommes placés sur la terre et doués de la liberté, que nous sommes tentés par les passions et retenus par la conscience. Que pouvait de plus en notre faveur la puissance divine elle-même ? Pouvait-elle mettre de la contradiction dans notre nature, et donner le prix d'avoir bien fait à qui n'avait pas le pouvoir de mal faire ? Quoi ! pour empêcher l'homme d'être méchant, fallait-il le borner à l'instinct et le faire bête ? Non, Dieu de mon ame, je ne te reprocherai jamais de l'avoir faite à ton image, afin que je puisse être libre, bon et heureux comme toi.*

(2) Vide etiam S. Aug. : *De moribus Manichæorum,* passim et præsertim, lib. 2.

OBJECTIONES.

124. OBJ. 1° Sub unico ente summe bono et provido nulla ratio reddi potest malorum mundi. Nam Deus aut *vult* tollere mala, et *non potest*, et est imbecillis ; aut *potest*, et *non vult*, et non est bonus ; aut *nec potest nec vult*, et non est Deus ; ergo vel duo Manichæorum principia admittere, vel cum atheis Deum, vel cum deistis providentiam negare debemus.

R. 1° *N. Ass.* Nam aliquam malorum rationem reddidimus in propositione præcedenti.

R. 2° *Tr. Asserto N. Cons.* Nam etsi nullam rationem malorum reddere possemus, non propterea athei vel deistæ causam vicissent. Demonstratâ enim existentiâ Dei unius et absurditate duorum Manis principiorum, licet difficultates omnes solvere non possemus, id non infirmitatem propositionis demonstratæ, sed solum imbecillitatem mentis nostræ comprobaret. Demum

R. 3° *Ad Rat. addit.* Deus *mala metaphysica* nec potuit nec voluit tollere, cum creatum esse sine malo metaphysico implicet, nec propterea Deus imbecillis est, quia repugnantia facere nequit. *Mala physica* stricte loquendo, uti et mala *moralia* posset quidem Deus tollere vel impedire, sed potest eadem salvâ bonitate suâ etiam permittere.

OBJ. 2° Si Deus *bonus* est, æqualiter amare debet suas creaturas, iisque omnes perfectiones tribuere, quæ earum naturæ convenire possunt ; et si *justus* est, alterum individuum ab altero suis donis discernere non debet : atqui

creaturæ multas habent imperfectiones, et aliæ aliis sunt præstantiores; ergo....

R. *D. primam part. Maj.* Debet amare æqualiter *ex parte actûs suæ voluntatis;* quia amat omnia uno simplicique actu, *C. Maj. Ex parte boni,* quod confert, *N. Maj.* Deus quidem amat res omnes creatas: amare enim est velle bonum alicui: atqui Deus vult bonum omnibus rebus creatis, siquidem hæ et esse et bonum quodcunque in tantum solum habent, in quantum est volitum a Deo. Ast *non debet* Deus res omnes *æqualiter* amare. Nam sicuti liber est ad extra ad volendum esse creaturarum seu ad creandum, ita et ad creandum cum hoc vel illo gradu perfectionum (1). Dein

N. Supp. 2[dæ] *part.* Supponit enim Deum aliquid *debere* suis creaturis: atqui *nihil debet.* Nam certe rebus non existentibus Deus nihil debet; ergo et existentia, et hinc, quidquid existentiæ superadditur, gratuitum donum est, adeoque Deus pro liberâ suâ voluntate dona sua aliis plura, aliis pauciora tribuere potest. Et vero si Deus creaturis deberet conferre omne id, quod possunt recipere, inprimis dependeret a creaturis, et dein majora in infinitum bona tribuere deberet, quod repugnat, inprimis *ex parte Dei,* qui si ad optimum teneatur, liber esse cessaret; dein *ex parte creaturarum,* utpote quæ nunquam in tanto gradu perfectionis seu felicitatis esse possunt, quo major possibilis non sit. Ergo nil restat Deo, nisi ut creaturis suis determinatum aliquem gradum perfectionis et felicitatis tribuat pro libero arbitrio suo; cum præter libe-

(1) *Cosmol.* **Sect. 3. Cap. 1 et 2. Pag. 83 et seqq. et Pag. 92 et seq.**

ram electionem Dei nulla alia ratio possibilis sit, cur talem potius, quam talem alium gradum eligere teneatur. Nam quocunque gradu posito majorem continuo et Deus dare et creatura optare posset; ergo....

OBJ. 3° Saltem Deus est auctor mali moralis. Nam ille est auctor mali moralis, qui est prima ejus causa : atqui Deus est prima causa legis et libertatis, unde malum morale oritur; ergo et verus ejus auctor, adeoque non bonus est (1).

R. *N. Ant.* Ad prob. *D. Maj.* Ille est verus auctor rei, qui est prima causa *formalis* et cui *secundariæ essentialiter* subordinantur, *C. Maj.* Qui est prima causa *materialis*. et cui *secundariæ* solum *accidentaliter* subordinantur, *N. Maj.* Secus etiam faber gladios conficiens homicidiorum, quæ illis perpetrantur, et pater filium generans omnium criminum, quæ ab hoc committuntur, reus esset. Dein *D. par. Min.* Atqui Deus est prima causa libertatis et legis moralis, *C. Min.* Etiam *mali moralis, Subd.* Est prima causa *materialis*, et quâcum malum morale solum *accidentaliter* connectitur, *C. Min.* Est prima causa *formalis* et quâcum malum morale *essentialiter* connectitur, *N. Min.* et hinc *Cons.* Nam certe peccatum non per legis et libertatis existentiam, sed per legis violationem et libertatis abusum constituitur; ergo quemadmodum pater, filium, non ejus scelera, generando, hujus scelerum auctor non est, ita Deus libertatem, non hujus abusum, dando, hujus abusûs auctor dici nequit.

(1) Ita Bayle : *Dictionnaire*, Art. *Pauliciens*, *Manichéens*, *Origène*, *Marcionites*, ubi hanc et sequentes objectiones ad nauseam usque refricat. Ad eas refutandas a variis variæ viæ initæ, quæ videri possunt apud Bergier : *Dictionn. théolog.* Art. *Manichéisme*

Inst. 1° Libertas est origo peccatorum ; ergò mala est : atqui malum a Deo bono provenire nequit ; ergo...

R. *D. Maj.* Libertas est origo peccatorum, quatenus peccatum supponit libertatem, *C. Maj.* Quatenus essentialiter cum peccato connectitur, *N. Maj.* Libertas in se considerata non est origo peccatorum ; sed cum in homine non possit esse perfectissima, ideo, ut observat S. Aug., necessario conjungitur cum *possibilitate abusûs;* sed possibilitas abusûs non necessario connectitur cum actuali abusu. Unde Deus dedit, quod bonum est, i. e. libertatem, illamque dedit, prout in homine esse potest, finitam ; abusum autem, ex quo peccatum oritur, non dedit. Ast possibilitas abusûs libertatem non reddit malam, sed hæc etiam, prout in homine est, bona est ; siquidem homo semper possit eâ bene uti. Sic gladius bonus est ad patriæ defensionem, nec ideo fit malus in se, si quis eo utatur ad occisionem innocentis ; gladius enim non est nisi causa instrumentalis, cui actus non imputatur, sed agenti

Inst. 2° Saltem libertas cum actuali abusu spectata mala est : atqui spectari debet in homine cum actuali abusu ; ergo prout est in homine, est mala.

R. *D. Maj.* Libertas cum actuali abusu est mala *in sensu composito, Tr. Maj. In sensu diviso, N. Maj. Dein N. etiam Min.* Nam licet, si abusus actualis libertatis in se spectetur, actus totus malus est, libertas tamen *divisim* ab actu abusûs datur a Deo, ac proinde spectata prout datur a Deo, semper bona est.

Inst. 3° Qui dat donum, unde malum recipienti sequitur, non est bonus : atqui....; ergo....

R. *D. Maj.* Si malum inde sequens *necessario connectitur* cum dono, *C. Maj.* Si solum *accidentaliter* connectitur, *Subd.* Si dans intendit malum, malus est, *C. Maj.* Si non intendit, *N. Maj.* et *par. D. Min. N. Cons.* Nam abusus libertatis non est necessario connexus cum libertate, id imo in se implicat; nam si abusus necessario cum libertate connexus esset, jam esset abusus libertatis ex hypothesi, et non esset abusus libertatis, cum in abusu ipso nulla esset libertas. Itaque abusus solum accidentaliter ex libertate sequitur, quatenus abusus rei supponit existentiam rei; Deus autem homini libertatem solum dedit, unde si malitiâ hominis effectus malus sequitur, hic Deo tribui nequit, quia nec naturâ suâ cum libertate connectitur, nec a Deo intenditur.

Inst. 4° Qui prævidet effectum et tamen ponit causam, intendit effectum, licet ex se accidentalem : atqui Deus prævidet abusum libertatis et tamen dando libertatem ponit causam abusûs ; ergo....

R. *D. Maj.* Qui prævidet effectum et tamen ponit *causam formalem* seu ut effectus habeatur, intendit effectum, *C. Maj.* Qui ponit causam solum *materialem*, *Subd.* Si effectum tenetur impedire, *C. Maj.* Si non tenetur impedire, *N. Maj.* Nam ut egregie advertit D. Thomas, triplici in casu ponenti causam imputandus est effectus : 1° si effectus ex se necessario sequatur ex causâ libere positâ ; 2° si accidentaliter quidem sequitur, sed effectus positive intenditur ; et 3° si saltem prævidetur et cum prævisione conjuncta sit obligatio impediendi effectum. Jam vero 1° ex libertate non sequitur necessario abusus, nec Deus 2° abusum intendit, nec 3° cum, etsi prævi-

deat, impedire tenetur, cum libertatem etiam finitam, adeoque cum possibilitate abusûs conjunctam salvâ bonitate concedere possit. Dein *N. etiam Min. quoad secundum memb.* Deus enim dando libertatem non dedit causam abusûs, siquidem, ut sæpe jam diximus, libertas non est *causa* abusûs, sed solum *prærequisitum, sine quo non ;* unde *N. Cons.*

Inst. 5° Si pater filio ensem daret, quo se occisurum, si medicus porrigeret ægroto medicinam, ex quâ eum moriturum certo præcideret, non boni, sed crudeles haberentur ; ergo a pari Deus

R. *C. Ant. N. Cons.* et *parit.* Nam ut recte D. Thomas (1) animadvertit : aliter est de eo, qui curam habet alicujus particularis ; hic enim excludere debet a subdito defectum, quantum potest ; aliter de provisore generali ; hic enim, ne impediatur bonum universalitatis, sapienter malum alicujus particularis permittit, dummodo ad hoc positive non concurrat, neque hoc intendat ; eo magis si ex hoc malo sciat trahere bonum universalitatis. Sic princeps potest et debet contra regni sui hostes exercitum mittere, etiamsi certo prævideat plures ex suis subditis inde perituros.

OBJ. 4° Ens summe bonum est illud, quo melius

(1) Part. I. Quæst. 22. Art. 2. Ad 2um. ubi ait : *Quod aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis et de provisore universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest : sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius.... Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium : nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum.*

excogitari nequit : atqui si omne peccatum impediret, melius esset ; ergo....

R. *D. Maj.* Ens summe bonum est illud, quo melius excogitari nequit *in se ac bonitate absolutâ et intrinsecâ*, *C. Maj. Bonitate relativâ respectu creaturarum*, *N. Maj.* et *D. par. Min. N. Cons.* Itaque bonitate intrinsecâ Deus quidem est ens, quo melius excogitari nequit : ast ad extra tum ratione bonitatis suæ, utpote intensive infinitæ, tum ratione creaturæ, utpote finitæ, nunquam ita bonus esse potest, ut magis non possit, ut adeo ei non supersit, nisi possibilitas varii gradûs, quo velit suam bonitatem manifestare ; liber autem est, ut in creatione, ita in gradu majori vel minori manifestationis suæ ; adeoque omne peccatum non tenetur impedire

Inst. 1° Saltem bonitas Dei vetat, ne permittat malos esse, quos justitia punire debeat ; ergo libertatem concedere non debuisset.

R. *D. Maj.* Vetat, ne hoc fine permittat malos esse, ut ipsos puniat, *C. Ant.* Secus *N. Ant.* Atqui Deus non hoc fine permittit malos esse, ut eos puniat, sed ut homini majus bonum, licet sub conditione aliquâ, concedat. Nam certe beatitas sub conditione boni usûs libertatis consequenda, utpote cujus concausæ nos simus, in se majus bonum est, quam beatitas, quam a Deo sine nostrâ cooperatione consequeremur. Unde etsi relate ad eum, quem Deus prævidet libertate abusurum, non-libertas majus bonum esset, non tamen majus est in se et spectata relate ad finem a Deo intentum. Dein Deus cum mundum creaverit ad manifestanda sua attributa, justitiam manifestare non potest, nisi juxta meritum præmio

afficiendo bonos, et condignâ pœnâ malos: atqui sublatâ libertate nullus est bonus, nullus malus, nulla virtus, nullum vitium etc. adeoque nullus locus justitiæ manifestandæ.....; ergo.... Neque dicat Baylius; ergo Deus peccatum vult, ut manifestet suam justitiam. Nam certe justitia æque ostenditur in præmiando bonos, quam in puniendo malos. Deus itaque *voluntate antecedenti* et quantum ex se vult justitiam et bonitatem simul manifestare per primum medium, i. e. per præmium bonorum; *voluntate* vero *consequenti* et *hypotheticâ*, si quis nolit bene uti libertate, etiam per secundum medium, i. e. per pœnam malorum.

Inst. 2° Deus salvâ libertate potuisset homini concedere gratias efficaces, quarum auxilio nemo unquam libertate fuisset abusus: ergo vi bonitatis eas etiam concedere debuisset.

R. *C. Ant. N. Cons.* Ex eo enim, quod Deus *possit*, non sequitur, quod *debeat* aliquid facere, ut pluries jam diximus. Profecto si Deus teneretur omnibus dare gratias efficaces, dependeret a malitiâ hominum ita, ut eo abundantiora dona deberet largiri; quo perversiores fore et quo magis abusuros beneficio libertatis prævideret: atqui hoc est absurdum. Idem enim est, ac dicere, prævisam ingratitudinem exigere, ut Deus eo magis benefaciat ingratis, ob id ipsum, quod sciat futuros esse ingratos, ergo...

Inst. 3° Deus non ob ingratitudinem creaturæ, sed vi bonitatis suæ infinitæ tenetur dare gratias efficaces. Vi bonitatis enim debet serio velle beatitudinem hominum: atqui nisi det gratias, quibus prævidet homines esse res-

ponsuros, non vult serio eorum beatitudinem. Nam certe medicus non dans medicinas, quibus solis videt ægrotum esse curandum, non vult serio ejus sanitatem, nec pater bonam educationem filii sui, si non arripiat omnia media ad eam opportuna; ergo a pari.

R. *N. Ant.* Ad prob. *C. Maj.* et *N. Min.* Ut enim Deus serio censendus sit velle beatitudinem hominum sufficit, ut det gratias ad eam consequendam *de se vere sufficientes*, etsi ex malitiâ hominum non semper efficaces; unde *quoad rationes additas*

R. *Ad* 1am *N. Ant.* Quia medicus, si legitimam causam habeat, non alia remedia dandi, v. g. propterea quod nimium constarent, ut ex illis emptis familia ægroti magnum detrimentum patiatur, præsertim si ex malitiâ solum ægroti inefficacia sint, adhuc posset dici serio ejus sanitatem velle, sed *Tr. Ant. N. Cons.* et *par.* Nam remedia naturalia generatim ex naturâ suâ sunt vel apta vel inepta: gratiæ contra ex naturâ suâ semper aptæ, non nisi malitiâ abutentis fiunt ineptæ; et dein medicus ex quasi-contractu tenetur meliori modo quo potest mederi, Deus autem creaturis nihil debet.

Ad IIam *D. Ant.* Pater non censeretur velle bonam educationem filii sui ex eo præcise, quia alia media non eligeret. *N. Ant.* Ex eo, quod ad alia media eligenda obligatus, ea tamen eligere negligeret, *C. A.* et *N. Cons.* et *parit.* Nam certe si quis ditissimus ex mero beneplacito vellet ditare pauperes alicujus regionis et diceret; cuivis, qui pro viribus suis per quadrantem laboraverit, do mille scutata, is sane serio vellet ditare omnes pauperes ejus regionis, etsi præovideret, aliquos pauperes tam

fore stupidos, ut non venturi essent, nisi proponeret duo millia scutatorum. Adde hic, quod si ratio quædam sit, vi cujus Deus teneretur omnibus dare gratias efficaces, eadem ratio obligaret Deum etiam ad dandas continuo gratias excellentiores, atque ita Deus liber esse cessaret ex jam supra dictis.

OBJ. 5° Deus saltem ut sanctissimus odio infinito prosequi debet peccatum : ergo non potest illud permittere, aut creare hominem cum inclinatione ad illud committendum. Sicut enim corpus infinitum omne corpus excludere, et calor infinitus ubique se diffundere deberet, ita sanctitas Dei debet excludere omne peccatum, et ubique diffundi ita, ut nihil nisi sanctum existat.

R. *C. Ant.* et D. I^um^ *memb. Cons.* Non potest Deus peccatum *permittere*, i. e. dare licentiam illud committendi; *C. Cons,* i. e. non potest existentiam ejus efficaciter non impedire, *N. Cons.* Nam vi *sanctitatis*, quæ est *amor ordinis essentialis*, Deus nequit peccatum amare vel approbare vel commissum et non emendatum impunitum relinquere : atqui permittendo peccatum, propterea illud nec amat, nec approbat, sed infinito odio prosequens æternis etiam pœnis punit, ut adeo peccatum omne impediendo majus illius odium manifestare non posset; ergo.... Dein *N.* II^um^ *memb. Cons.* Inclinatio enim ad malum non est ipsa ex naturâ suâ mala, nec invincibilis. Unde *quoad rat. allatas N. par. Corpus* enim et *calor infinitus* ex naturâ suâ necessario *illud* ob impenetrabilitatem omne aliud corpus excluderet, *hic* ubique se diffunderet. ast Deus, licet *a se necessario* omne peccatum excludat, *in creaturis* tamen illud *libere* potest permittere.

Sed de hoc argumento jam satis dictum est. Ex probationibus certo patet, principia illa duo esse absurda; quod si ratione solâ non adeo dilucide et præsertim quoad sensum non adeo affective omnia pateant, quare non adeamus revelationem, ad quam in hujusmodi casu nobis ipsa ratio dictat confugiendum esse, et quæ sensibiliora argumenta divinæ erga nos bonitatis et misericordiæ infinitæ suppeditat?

CAPUT II.

De immutabilitate et independentia Dei.

125. *Mutatio entis* est *amissio vel acquisitio intrinsecæ realitatis*, unde *ens immutabile* est *illud*, *cujus status internus mutari absolute non potest.* Quare sit:

126. PROP. I. DEUS EST ABSOLUTE IMMUTABILIS.

Prob. 1° Deus est ens necessarium et *a se* : atqui ens necessarium (1) est immutabile; ergo Deus est immutabilis.

2° Quidquid in Deo est, est vi essentiæ : atqui quod est vi essentiæ, est immutabile, quia si vel minimum tollatur ab essentiâ, totum destruitur ens; ergo quidquid in Deo est, adeoque Deus est absolute immutabilis.

3. Si Deus posset mutari, mutaretur vel in ens melius, vel in ens minus bonum, vel in æquale : atqui nequit mutari *in ens melius*, quia est perfectissimus (2):

(1) Vide *Ontol.* part. II. Sect. 2. Cap. 3. Pag. 250.
(2) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 1 et 2. Pag. 232 et seqq.

nec *in minus bonum*; quia quidquid habet, necessario et vi essentiæ habet; adeoque amittere nihil potest, quin simul amittat essentiam : neque *in æquale;* nam hæc mutatio fieret per mutationem vel essentialium vel modorum : non modorum, quia sic non mutaretur in ens æquale, sed solum modificaretur, et vel melior vel pejor fieret: non essentialium; quia sic totus periret, adeoque amitteret totum suum esse, quod repugnat enti necessario; ergo....

Ex dictis sequitur :

1° *In Deo non esse modos simpliciter* seu notas variabiles, quæ inesse successive et abesse ab ente possint, ente manente eodem; uti in lapide talis figura vel magnitudo, in homine doctrina etc.

2° *Modos analogicos*, seu qui ad instar attributorum rationem sufficientem existentiæ suæ habent in essentiâ, sed ad instar modorum sunt variabiles, uti v. g. liberæ volitiones, *entitative* sumptos in Deo esse absolute necessarios ac proinde immutabiles, *terminative* vero esse hypothetice necessarios ac proin contingentes. Itaque liberæ volitiones, quatenus sunt *actus entis intelligentis*, afficiunt statum entis internum, ac ideo in Deo sunt necessariæ, tum quia, quidquid in Deo est, est vi illius simplicissimi actûs, quo ab æterno existit et agit et vult, tum quia cum exercitium libertatis sit vera perfectio, actus hujus exercitii nunquam a Deo abesse potuit, quamvis terminus ex duobus contradictoriis alteruter eligi potuit, cum per electionem utriusvis libertas æque exerceatur; ergo terminus volitionis divinæ extrinsecus est contingens ac proin variabilis eo sensu, quod terminus ille, qui electus

est, potuisset non eligi, non vero eo sensu, quod semel electus possit a Deo rursus rejici. Decreta enim Dei seu volitiones sunt hypothetice necessariæ ac proin immutabiles ; quia posse velle hoc vel illud est quidem perfectio, sed posse velle hoc et dein successive posse non velle hoc ipsum, est imperfectio, quæ præsupponit vel ignorantiam vel levitatem.

3° *Modos relativos seu relationes,* utpote qui statum internum entis non afficiunt, etiam relate ad Deum poni aut tolli posse, quin Deus mutetur, adeoque denominationes creatoris, conservatoris etc. non efficiunt Deum mutabilem, quia petuntur ab extrinseco, nempe ab entibus productis vel conservatis.

OBJECTIONES.

127. OBJ. 1° Qui de non creante fit creans, mutatur : atqui Deus de non creante factus est creans ; ergo mutatus est.

R. *D. Maj.* Qui de non creante fit creans, i. e. qui actum creandi prius non positum interne ponit, mutatur, *C. Maj.* Qui solum actûs sui semper positi effectum externum sortitur et quidem suo actu formaliter intentum, *N. Maj.* et *par. D. Min. N. Cons.* Actu enim interno Deus semper fuit creans, sed actus hic formaliter sumptus pro termino habuit mundum in tempore e nihilo proditurum (1). Unde actus creans et ante et cum et post existentiam mundi semper est idem, nempe volens mun-

(1) Vide *Cosmol.* Sect. 1 Cap. 4. Pag. 53 et seq

dum in tempore et tanto tempore et tali modo existentem, et tali tempore finiendum, adeoque tota mutatio in creaturâ est, quæ, cum ante non esset, existere incepit, perdurat, finitur, id efficiente eodem unico Dei actu formali ab æterno et in æternum immutabili. Itaque homo quidem, cum ex non-operante fit operans, novum ponit actum. adeoque interne mutatur, Deus autem, quod operatur, ab æterno operatur sive *necessario*, ut in actibus ad intra, v. g. amore sui, sive *libere*, uti in actibus ad extra, v. g, creatione, ita quidem, ut unicus actus Dei *propter suam infinitatem* æquivaleat omnibus possibilibus actibus sive intelligentiæ, sive potentiæ, sive voluntatis etc.

Inst. 1° Qui pœnitentiâ, odio, amore aliisque affectibus moveri potest, intrinsece mutatur : atqui ex Scripturâ scimus, Deum *moveri pœnitentiâ :* sic pœnituit eum fecisse hominem (1); *odio et amore :* sic Petrum hodie pium amat, cras impium odit etc.; ergo....

R. *D. Maj.* Qui pœnitentiâ etc. movetur *proprie et quoad affectum*, mutatur, *C. Maj.* Qui movetur *improprie et quoad effectum externum*, *N. Maj.* Atqui Deus certe non movetur.

a) *Pœnitentia quoad affectum et proprie.* Pœnitentia enim sic sumpta est sensatio quædam tristitiæ ex malefacto oriens : atqui et tristitia et malefactum in Deo repugnant; ergo.... Unde pœnitet Deum solum *improprie et quoad effectum*, quatenus eosdem externe producit effectus, qui sequerentur ex pœnitentiâ, si pœnitentiæ esset capax : Scriptura nempe hic, ut in multis aliis locis, loquitur metaphorice et se accommodat modo loquendi inter homines recepto. Neque movetur

(1) Genesi. Cap. 6.

b) *Proprie et affective amore, vel odio* MUTABILI, ita ut hodie id amet, quod heri odio habuit, vel vice versâ, sed ab æterno essentialiter determinatus est ad odium peccati et ad amorem justitiæ; unde mutatio tota est ex parte hominis, qui modo est objectum odii, modo amoris. Ast Deus uno illo simplicissimo actu, quo est, amavit v. g. justitiam Petri, odit ejus infidelitatem in atrio prætorii, dilexitque ejus justificationem, dum Petrum pœnituit, nec non ejus pro fide in cruce morientis perseverantiam; ut adeo pro variâ mutatione objecti non affectus, sed effectus varius locum habeat.

Inst. 2° Deus aliquando mutavit voluntatem. Sic prædixit per Jonam subversionem Ninives, quæ non evenit, imo quædam instituit aut præcepit, quæ postea abrogavit, aut adeo prohibuit; ergo mutatus est.

R. *N. Ant.* Quoad exempla : ad I[um] *Dist.* Deus prædixit illam subversionem absolute, *N. Ant.* Sub tacitâ conditione; nisi Ninivitæ pœnitentiam agerent, *C. Ant.* et *N. Cons.* Ad 2[um] *N. Supp. Ant.* Supponit enim, Deum illa pro semper instituisse vel præcepisse . et postmodum consilium mutasse : ast Deus uno eodemque consilio et institutionem eorum et pro tanto tempore observationem et abrogationem voluit. Præclare ad hanc rem S. Aug. (1): *Ad opus novum Deus non novum, sed sempiternum adhibet consilium.*

128. PROP. II. DEUS EST ABSOLUTE INDEPENDENS, SIBIQUE SUFFICIENTISSIMUS.

Prob. 1° Deus, utpote ens necessarium est infinite per-

(1) De Civitate Dei. Lib. 13. Cap. 17.

fectus : atqui infinite perfectus esse nequit, qui non est absolute independens sibique sufficientissimus; ergo.....

2° Ille est absolute independens sibique sufficientissimus; qui nullo indiget nec ad existendum existendique modum, nec ad suam conservationem, nec ad suam beatitudinem : atqui Deus nullo indiget

a) *Ad existendum existendique modum.* Quia quâ ens a se ab essentiâ suâ habet, ut existat, et cum ejus sit dare modum existendi, cujus est dare existentiam, etiam modum existendi ab eâdem essentiâ habet. Sed neque ullo indiget

b) *Ad suam conservationem.* Quia *ens a se* est ens necessarium et ab intrinseco immutabile, et ideo, sicut vi essentiæ atque adeo vi possibilitatis existit, eâdem vi semper existit. Cæterum si stricte loqui velimus, conservatio nonnisi de ente ab alio prædicari potest, quod sicut potuit non existere, sic nec in se habet, ut continuet existere : ast *ens a se*, cum non possit non existere, conservatione non indiget, sed vi essentiæ suæ est simplicissimum illud EST, quod semper est. Demum neque indiget ullo

c) *Ad suam beatitudinem et sufficientiam.* Nam beatitudo definiri potest : *Status permanens veræ voluptatis ortæ ex intuitu distincto veri boni, quod possidemus, unde satietas appetituum et gaudium oritur.* Itaque erit beatitudo *absolute summa*, si major nulla absolute possibilis sit in ullo subjecto : *respective summa*, si major nulla possibilis sit in hoc determinato subjecto. Unde sic : Ad beatitudinem requiritur 1° possessio boni et quidem veri et stabilis ; 2° intuitus hujus boni ut possessi et stabilis : atqui Deus quà infinite perfectus omnia bona, et quidem vera et ab omni imperfectione purificata 1° possidet, et 2° ut actu

possessa et stabilia distinctissime intuetur ; ergo est summe beatus. Sed tum possessionem tum intuitum horum bonorum, utpote ens necessarium, habet a se, ita ut major in nullo absolute subjecto possibilis sit ; ergo Deus est absolute summe beatus a seipso ; adeoque absolute independens sibique sufficientissimus.

CAPUT III.

De simplicitate et immensitate Dei.

129. SIMPLICITAS est *immunitas a compositione.* Compositio autem et hinc simplicitas duplex hic distingui potest: physica, quæ ex partibus realiter distinctis, vel ex materiâ et formâ, vel ex subjecto et accidenti constat, et *metaphysica*, quæ ex potentiâ et actu, vel ex essentiâ et existentiâ, vel ex essentiâ et attributis, vel ex genere et differentiâ constat. His positis sit :

130. PROP. I. DEUS EST SIMPLICISSIMUS.

Prob. Deus est prorsus immunis a compositione tum physicâ tum metaphysicâ ; ergo est absolute simplex.

Prob. Ant. per part. Deus est immunis a compositione

1° *Physicâ.* Nam *a*) non constat ex partibus *realiter distinctis.* Hæ enim partes vel omnes essent *ab alio*, vel omnes *a se*, vel *aliquæ ab alio*, *aliæ a se :* atqui non possunt esse *omnes ab alio :* secus ens ipsum esset ab alio adeoque finitum, mutabile, et imperfectum : atqui Deus est ens infinitum,immutabile et perfectissimum ; ergo..... Neque *omnes a se :* secus omnes essent infinite perfectæ

adeoque totidem Dii : atqui Deus unicus est. Dein partes hæ essent partes totius Dei ex hypothesi, et simul non essent partes ; cum quævis esset totum completum, utpote infinita ; de ratione partis autem sit. esse incompletum. Neque *aliquæ ab alio, aliæ a se ;* tum quia secus Deus esset imperfectus, et, utpote partim ab alio, dependens ; tum quia partes ab alio essent superfluæ, cum sine illis jam haberetur infinita perfectio, ergo..... Neque constat *b*) *ex materiâ et formâ*. Materia enim, utpote essentialiter composita et extensa, nequit esse infinita. Dein Deus, utpote auctor entium intelligentium, necessario est etiam ipse intelligens ; materiæ autem absolute repugnat cogitatio ; ergo Deus non potest componi ex materiâ et formâ. Neque *c*) *ex subjecto et accidenti*. Nam accidens est, quod substantia manente amitti et recipi potest : atqui in Deo omnia sunt necessaria et immutabilia, ergo nullum accidens. Ergo inprimis Deus est immunis ab omni compositione physicâ. Verum est etiam immunis ab omni compositione

2° *Metaphysicâ*. Nam *a*) non constat ex *potentiâ et actu*. Nam Deus est immutabilis : atqui omnis potentia involvit possibilitatem transeundi ad actum, adeoque mutabilitatem ; ergo..... Neque *b*) *ex essentiâ, existentiâ et attributis*. Nam *in ente a se* essentia, existentia et attributa idem prorsus sunt, nec una ab aliis separari potest, cum in ente necessario essentia sit absoluta existendi et quidem hoc determinato modo seu cum his attributis existendi necessitas. Nec *c*) *ex genere et differentiâ*. Nam eatenus Deus constaret ex genere et differentiâ, quatenus in ipso concipi posset aliqua nota essentialis, quà cum speciebus et individuis aliis conveniret, et aliqua alia

nota, quâ ab iisdem differret: atqui in Deo, nulla nota essentialis nec est nec esse potest communis cum creaturis, sed Deus ab ipsis est totus diversus; ergo.... (1).

Nempe *genus supremum* seu *esse genericum* duplici sensu intelligi potest: *in sensu abstracto*, si consideretur ut *esse*, quod *quomodocunque* omnibus entibus commune est, abstrahendo ab omni etiam essentiali modo existendi: et *in sensu concreto*, si consideretur ut esse, quod entibus sub se contentis modo singulis proprio inexistit. Porro *esse* generico *in sensu concreto* sumpto non etiam Deus participat; siquidem *esse* genericum, quod omnibus speciebus et individuis modo singulis proprio inexistit, non etiam Deo modo quodam proprio inexistit, ac propterea etiam Deus non habet esse aliquod reale commune cum cæteris entibus, ac proin nec differentiam in se nec genus continet, sed est ens prorsus singulare. *Esse* autem genericum *in sensu abstracto* sumptum concipitur quidem Deo cum creaturis commune, sed commune modo essentialiter diverso: in creaturis videlicet ut necessario conjunctum cum *non-esse*, et *includens* in se negationem aliquam et limitationem; in Deo vero ut necessario *excludens* omnem negationem et limitationem, ut *esse plenum et absolutum* seu absorbens omne esse, quod consequenter necessario etiam esse creaturarum eminenter et virtualiter contineat.

Schol. Expressiones Scripturæ, Deo oculos, brachia etc. tribuentis metaphorice accipiendas esse clarum est.

131. Immensitas *Dei est intrinseca divinæ naturæ et essen-*

(1) Vide *Cosmol.* Sect. 1. Cap 3. Obj. 2º Inst 1º Pag. 46 et seqq.

tialis determinatio, quâ necessario omnibus omnino rebus sine ullâ limitatione et termino substantialiter præsens sit.

Dicitur autem

1° *Determinatio intrinseca*, ut distinguatur ab *ubiquitate* vel *omnipræsentia*, quæ est prædicatum *extrinsecum*, et relatio terminative contingens, adeoque in Deo nonnisi *hypothetice*, i. e. in hypothesi creationis rerum, *necessaria* : *immensitas* autem est attributum Deo *absolute necessarium* eique ante omnem creaturam ita *essentialiter* competens, ut Deus sine eâ nec esse nec concipi possit.

2° *Ut omnibus rebus substantialiter præsens sit.* Nempe res loco præsens esse potest vel *per potentiam*, si in eo virtus rei quoad substantiam etiam absentis operetur ; vel per *substantiam* seu substantialiter, si substantia rei locum impleat.

3° *Sine ullâ limitatione et termino.* Substantia scilicet locum implere potest *circumscriptive*, si partibus loci ita diversæ suæ partes respondeant, ut ulterius non extendatur : sic corpus implet locum, quem occupat ; vel *definitive*, si substantia locum non excedat, sed in eo tota sit in toto et tota in singulis partibus, ut Christus in Eucharistiâ ; vel demum *repletive*, si substantia et tota sit in toto totaque in singulis loci partibus et a loco non definiatur ; quod si substantia ita repletive locum impleat, ut nullo possibili loco definiri possit, erit essentialiter determinata, ut præsens sit sine ullâ limitatione, adeoque erit immensa. His præmissis sit :

132. PROP. II. Deus est immensus, et ubique substantialiter præsens.

Prob. 1° Perfectius est ex essentiâ suâ esse determinatum ad existendum, ubicunque aliquid pro ullâ temporis differentiâ existet, quam ex essentiâ vel non posse existere ibi, ubi aliud ens existere potest, vel ad ibi existendum determinabile solum esse (1) : atqui Deo, utpote infinite perfecto, tribuendum est, quidquid perfectius est ; ergo....

2° Si Deus non sit immensus, naturâ suâ affigitur alicui determinato loco, vel aliquibus locis : atqui id dici nequit ; ergo....

Prob. Min. Vel enim *necessario* vel *libere* ita loco affigeretur : atqui non affigitur

a) *Necessario.* Nam si necessario ita affigitur loco, ratio, cur ita affigeretur uni loco, deberet esse in Deo ipso ; cum, utpote independens, ab alio in nulla sui determinatione dependere possit : atqui in Deo hæc ratio esse nequit. Deus enim non est nisi realitas : atqui realitas *ut sic* determinatum quemdam locum præ quovis alio per se non exigit ; ergo,... Neque affigitur

b) *Libere.* Secus saltem naturæ ejus non repugnaret, de uno loco in alium transire et vim motricem internam aliter atque aliter modificare : atqui hoc repugnat ejus immutabilitati ; ergo....

132. SCHOL. *Spatium possibile* et generice sumptum non est nisi *relatio possibilis coexistentiæ rerum possi-*

(1) Uti v. g. ille Angelus perfectior esset, qui simultanee decem civitatibus substantialem præsentiam exhiberet, quam ille, qui duabus tantum præsens esset, sic entis infinite perfecti est, nullum posse esse locum, cui non ex determinatione essentiali naturæ suæ substantialiter præsens sit.

bilium; seu ipsa *possibilitas extensionis* (1); *spatium* vero *actuale* et specifice sumptum, est *actualis et talis extensio* vel *relatio rerum extra se positarum.* Unde *a*) Deus nec in spatio possibili nec in actuali existit. Id enim existit in spatio possibili vel actuali, quod est membrum relationis possibile vel actuale: atqui Deus, utpote immensus et hinc excludens omnem extra-positionem tam sui extra res, quam rerum extra se, non potest esse membrum hujus relationis; ergo Deus nec in spatio possibili nec in actuali, sed in seipso seu in suâ immensitate existit (2). *b*) Deus seu immensitas Dei non est spatium *formaliter sumptum.* Nam spatium formale seu sub proprio conceptu est *possibilitas extra-positionis*, adeoque, cum hæc sub nullis certis limitibus constricta concipi possit, sed semper augibilis concipi debeat, est *indefinitum*: atqui immensitas Dei, utpote essentialis et immutabilis perfectio, *non potest esse indefinita*, sed est necessario actu *infinita* et excludens omnem augibilitatem; ergo Deus seu immensitas Dei non est *spatium formale.* Ast *c*) Deus seu immensitas Dei est *spatium eminens et virtuale*: *eminens*, quatenus omnem extensionem aliquo, etsi nullo determinato et assignabili modo definiri necesse est; immensitas Dei vero infinite transcendit omnem absolutum modum extensionis: *virtuale*, quatenus continet in se rationem sufficientem omnis extensionis realis adeoque omnis spatii.

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. Art. 3. Pag. 294 et seqq.

(2) Hinc intelligitur effatum illud: *Deus est nullibi et ubique.* Nempe *nullibi*, quia in nullo loco peculiari: *ubique*, quia omnipræsens. Dicitur vero Deus esse in cœlo, in templo etc., non quidem, quasi his locis contineatur, sed quatenus in illis peculiari quodam modo se manifestet, seu peculiares effectus producat.

OBJECTIONES.

133. OBJ. 1° Deus non potest esse immensus, quia existat in locis maxime sordidis : atqui hoc Deum dedecet; ergo....

R. *Tr. Maj. N. Min.* Res enim illæ, quas nos sordidas vocamus, nonnisi comparate ad sensus nostros tales sunt, secundum se autem nonnisi elementorum certâ ratione consociatorum congeries esse possunt : atqui in his Deum vel potius has in Deo existere Deum non magis dedecet, quam easdem creare. Cæterum res sordidæ purissimo spiritui minus certe adhærere possunt, quam radiis lucis, quos, utut materiales, tamen a se reflexos inficere non possunt.

OBJ. 2° Si Deus esset immensus, esset extensus ; ergo vel non est immensus vel non simplex.

R. *D. Ant.* Esset extensus *virtualiter*, i. e. essentialiter determinatus ex naturâ suâ, ut sit præsens omnibus rebus unquam extituris, *C. Ant.* Esset extensus *formaliter*, ceu spatiosa magnitudo seu diffusio, *N. Ant.* Imo contra, quod immensum est, simplicissimum etiam sit necesse est. Nam immensitas est intrinseca entis determinatio, quâ fit, ut non possit non inexistere omnibus possibilibus rebus, quæ unquam existere possunt; ergo ens illud, si extensum sit, actu infinitas partes habere debet. Etenim cum actu jam est, quod est, partes *indefinitas* habere nequit; ergo necessario *vel actu infinitas* partes habeat oportet, et hoc in se implicat : vel *finitas*, et, præterquam quod ens constans ex partibus finitis infinitum esse nequeat, neque

immensum esse potest, quia possibiles essent creaturæ, quibus præsens esse non sufficeret. Dein *extensum* in suâ notione involvit extrapositionem partium; ergo quod extensum est, nequit existere totum in toto et totum in singulis partibus.

134. Schol. Demonstratum itaque est ex ipsâ ideâ Dei ut entis infinite perfecti, Deum necessario esse immensum, id quod vel ipsis ethnicis cognitum erat. Ut autem etiam, *quomodo* Deus immensus sit, aliqualem nobis notionem efformemus, inquiramus, utrum non in creaturis similitudo quædam et ea immensitatis repræsentatio reperiatur, ut exinde ad ipsam intrinsecam naturam divinæ immensitatis et *modum, quo* Deus essentialiter est totus in toto et simul totus in singulis partibus, intelligendum perveniamus. Jam vero

Similitudo immensitatis divinæ reperitur maxime in homine, imagine Dei, et quidem tam *in influxu animæ ejus in corpus,* quam *in verbo humano.*

In influxu animæ ejus in corpus. Anima enim ex Psychologiâ necessario est spiritualis et simplex, et tamen, cuicunque opinioni de sede animæ quis adhæreat, admittere debebit, animam posse agere et reapse sæpe agere in diversas partes corporis actu simultaneo, v. g. in nervos tam eos, qui in pedes, quam eos, qui in brachia protenduntur. Unde animæ præsentiam et activitatem, adeoque, utpote simplicis, ipsum *esse* totum in pluribus simul locis adesse concludere necesse est.

In verbo humano. Nam et *idea,* cujus verbum est signum, una et simplex in se, simul ac verbo manifestata est, est simul tota in toto aliquo ambitu et tota in omnibus

audientibus. Dein ipsum *verbum* seu *vox*, utut sonus tantum et materialis modificatio aeris, totum tamen in toto aliquo ambitu est et totum in singulis hujus ambitûs partibus.

Itaque in animâ humanâ et clarius etiam in verbo humano percipimus, esse aliquid in ipsis adeo rebus creatis, quod *modum* existendi relate ad spatium *eum* habeat *sibi essentialem*, ut sit totum in toto et simul totum in singulis istius totius partibus. Dico : *quod habeat hunc modum existendi sibi essentialem*, quia reapse modus existendi ideæ et vocis humanæ alius concipi nequit, quam ut sit tota in toto et tota in singulis partibus istius totius. Intelligetur itaque etiam *modus, quo* Deus sit *essentialiter immensus*, simul ac ostenderimus, *naturam Dei ita intrinsece esse constitutam*, ut non possit concipi alius in eo modus existendi relate ad spatium, quam modus, quo idea vel vox humana existit, i. e. ut Deus ita essentialiter concipiatur totus in toto spatio et simul totus in singulis partibus istius spatii actualis seu in singulis locis existere, ut, si alio modo conciperetur existere relate ad spatium, tolleretur ipsa idea Dei. — Quod ut clarius illucescat, advertamus :

a) Creationem omnem fieri *solâ volitione* Dei tanquam *ratione sufficienti proximâ existentiæ omnium*, quæcunque existere possunt. Uti enim infra videbimus, ad creationem requiritur potentia infinita, quæ alia, quam nutus divinæ voluntatis esse nequit ; ut adeo ad creationem nulla creatura concurrat, sed sola volitio Dei immediate effectum producat seu rem existentem efficiat.

b) *Rationem sufficientem proximam* debere, ut effectum

producat, huic esse *immediate præsentem;* uti omne agens physicum effectui suo, v. g. ignis, ut urat. Ergo, ubi *volitio sola* est *ratio sufficiens proxima,* etiam hæc *immediate* et *substantialiter præsens* sit oportet (1).

c) *Volitionem* juxta illud : *Nihil volitum, nisi præcognitum : operari cognitum* seu tendere in objectum efficiendum, prout ab intellectu apprehenditur : ast intellectus ad objectum aliquod ita se habet, ut *una eademque intellectio* et singulas objecti totius partes et totum objectum simul apprehendat : ergo et *volitio,* si ipsa sola est causa efficiens proxima, *una eademque* et singulas totius partes et simul totum operabitur, adeoque *et tota erit in toto et tota simul in singulis partibus* (2).

(1) Scilicet aliud est, aliquid *agere ad imperium* voluntatis, aliud *volitionem ipsam immediate effectum producere.* Ita v. g. *volo, ut lignum comburatur, vel hunc sensum* habet, *volo,* ut lignum illud comburatur ex se, i. e. evolutione proprii interni calorici, aut ut aliud agens, v. g. ignis, in illud agat illudque resolvat in cineres; et *in utroque hoc casu* non volitio ipsa immediate effectum produceret, sed aliud agens ad imperium voluntatis : *vel habet hunc sensum :* volo, ut sola mea volitio hunc effectum combustionis producat, nullo alio agente intermedio; et tum utique, quemadmodum, ut ignis effectum combustionis producat, necesse est, ut ignis immediate et substantialiter præsens sit objecto comburendo, ita, si volitio fungatur vice ignis, æque necesse est, ut *volitio immediate et substantialiter præsens* sit.

Jam vero in creatione nullum est nec subjectum actionem recipiens nec aliud agens præter Deum : ergo necesse est, ut volitio divina sit immediate et substantialiter præsens singulis et rebus et rerum partibus, quas creat.

(2) Sic, quemadmodum, si architectus completam et distinctam habet ideam alicujus palatii, non unâ parte intellectionis hanc palatii partem, alterâ parte illam, et rursus alterâ totum palatium apprehendit, sed unicâ ideâ et singulas palatii partes et simul totum palatium attingit : ita a pari, si architectus iste solâ volitione ut immediate agente construere posset palatium, non una pars volitionis hanc partem palatii, altera illam et rursus altera totum palatium agendo efficeret, sed una eademque volitio et singulas palatii partes et simul totum palatium operaretur, et cum ad operandum requiritur operantis immediata et substantialis præsentia, una eademque consequenter volitio et tota esset substantialiter in toto palatio et simul tota in singulis palatii partibus.

His præmissis ita argumentamur:

Causa efficiens proxima existentiæ omnium rerum, quæcunque existere possunt, est *sola volitio Dei*: ergo, sicut ad quemvis effectum requiritur causæ efficientis proximæ immediatâ et substantialis præsentia, ita etiam *ad esse rerum* requiritur *immediata et substantialis præsentia volitionis divinæ*. Cessante autem ratione sufficiente, cessat rationatum; ergo cessante immediatâ et substantiali præsentiâ volitionis divinæ cessabit *esse rerum*: ergo ubicunque et quandocunque et quamdiu aliquid EST, insit necesse est volitio divina. Volitio autem divina est simplicissima et in operando sequitur modum intellectionis; ergo, ubicunque aliquod totum existit, necesse est, ut, sicut intellectio una eademque tota apprehendit et totum et ejus partes simul, ita etiam volitio divina una eademque substantialiter inexistat quà ratio sufficiens et tota in illo toto et simul tota in singulis totius partibus.

Ergo Deus, utpote essentialiter ipse solus ratio sufficiens omnium, quæcunque existere possunt, hoc ipso ita essentialiter intrinsecâ suâ naturâ est determinatus ad intimam in omnibus rebus inexistentiam, ut non possit concipi aliter existere relate ad spatium, quam totus in toto et simul totus in singulis; ut adeo jam intelligatur, definitionem immensitatis divinæ attingere intimum esse divinæ naturæ (1).

(1) Scilicet Deus, quà ratio sufficiens existentiæ rerum relate ad spatium necessario existit per modum volitionis: atqui volitio complectens aliquod objectum necessario concipitur tota totum objectum et tota singulas objecti partes simul complecti, ita quidem ut aliter concipi nequeat; ergo etiam Deus quà ratio sufficiens existentiæ omnium rerum necessario concipi debet et totus in omnibus rebus existentibus per modum unius sumptis seu in totâ universitate rerum inexistere et simul totus in singulis istius universitatis partibus.

Unde jam S. Anselmus (1) ex pari principio ratiocinans, ait : *Idem est* ESSE *Dei et potestas ejus. Sicut igitur potestas Dei est semper et ubique, ita,* QUIDQUID EST DEUS, *ubique et semper est.* Eâdem ratione idem confirmat D. Thomas (2) dicens : *Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus, est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi* (3).

CAPUT IV.

De æternitate Dei.

135. Per *æternitatem* intelligimus *durationem entis absque initio et absque fine.* Quod si vero *in naturam æternitatis* seu hujusmodi durationis absque initio et absque fine inquirimus, invenimus, *æternitatem necessario* esse *actum purum* et hunc *a se* seu vi possibilitatis absolutæ existentem adeoque ipsum Deum in suo intimo esse spectatum. Etenim

a) Deus est ens *a se;* ergo ens vi essentiæ suæ seu vi possibilitatis absolutæ existens : atqui hæc possibilitas nec potest concipi unquam incœpisse nec unquam cessatura, sed semper eadem esse necessario concipitur; ergo Deus ex essentiâ suâ, quæ est ipsa hæc absoluta possibilitas, nec incœpisse nec esse cessaturus concipi potest, sed necessario semper esse et semper idem esse concipi debet; ergo Deus ex essentiâ suâ necessario est sine initio et

(1) *De fide Trinit.* Cap. 4.
(2) Part. I. Quæst. 8. Art. 3.
(3) Consule *Cont. Gent.* Lib. 3. Cap. 68 totum et præcipue ultimam partem.

sine fine durans, adeoque essentialiter æternus. Sed Deus est actus purus et vita plena, quæ nec incrementi nec diminutionis sit capax; ergo cum Deus et æternitas sit idem, etiam æternitas actus purus et vita plena sit oportet. Quod ut intelligatur, quomodo sit, prius breviter, quid et quotuplex tempus sit, annotandum erit, ut exinde, quomodo plena vita Dei sit æternitas Dei, eruatur. Unde

b) Sicut spatium est relatio rerum extra-positarum (1); ita *tempus* est *relatio successionis rerum succedentium*, et quidem, sicut spatium, *actuale* vel *possibile*, prout relatio illa est relatio successionis actualis vel possibilis (2). Ast tempus insuper pro spiritibus est duplex: scilicet aliud est *extrinsecum* spiritibus; aliud ipsis *intrinsecum*. Successio rerum externarum; uti solis, lunæ, terræ etc, quæ per motus diurnos, menstruos et annuos dies, menses et annos constituunt, efficit tempus extrinsecum. Successio vero variarum cognitionum, volitionum etc., in mente finitâ efficit tempus intrinsecum. Unde concipimus, si nihil, nisi unus solus spiritus creatus existeret, nullum tempus actuale extrinsecum, sed tantum *intrinsecum*, atque *hoc* quidem *ipsam illius spiritûs vitam fore*. Vita enim actualis spirituum seu vita in actu secundo constituitur per hujusmodi operationes seu actus vitales cogitandi, volendi etc. Porro

c) Vita hæc interior spiritûs non potest tempore extrinseco mensurari, sed est sibi ipsi mensura. Sic sane, si duo spiritus existere supponantur, quorum unus intra horæ spatium decem, alter quinque solum cognitiones et voli-

(1) Vide Cap. præced. n° 132. Pag. 316 et *Ontol.* Part. II. Sect. 3. Cap. 3. Pag. 294.
(2) *Ontol.* Ibid. Pag 300.

tiones eliciat, prior, licet intra idem tempus extrinsecum, duplo tamen plus vitæ habet, quam posterior. Jam vero

d) Cognitio potest plus minusve æquare objectum cognitum, et volitio unica plura simul complecti per modum unius. Si ergo existit aliquis spiritus, qui cognitione suâ omnia cognoscibilia sub omni respectu cognoscibilitatis attingat, et omnia, quæ vult, suâ volitione complectatur per modum unius, unicam tantum cognitionem unicamque volitionem habebit et habere poterit, sed quæ cognitio et quæ volitio non æquivalebit modo omnibus possibilibus cognitionibus et volitionibus successivis, sed eas omnes perfectione suâ etiam excedet hoc ipso, quod universas in unam consocians excludendo successionem excludat imperfectionem. Unde talis spiritus omne tempus intrinsecum *eminenter* ac proin totam simul vitam possidebit per ipsam exclusionem essentialem omnis successionis in cognitione et volitione seu temporis *formaliter* sumpti : Atqui

e) Talis spiritus est Deus et quidem ex ipsâ essentiâ suâ. Etenim Deus, existens vi possibilitatis absolutæ (1), hoc ipso est ens realissimum seu perfectissimum : atqui *cognitio* et *volitio* est *perfectio*, *successivæ* vero *cognitiones et volitiones imperfectionem involvunt* tam *in seipsis*, utpote quæ ob defectum adæquationis objecti, seu eo quod objectum cognitionis et volitionis non totum et omne attingant, incompletæ sunt; quam *in subjecto cognoscente* et volente, quod hoc ipso, quod ipsi aliquid cognoscendum et volendum superesset; contineret in se possibilitatem transeundi

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 2. Cap. 1. Pag. 236 et notam, et Cap. 2. Probat. 1am. Pag. 250.

a potentiâ ad actum cognitionis et volitionis adeoque mutabilitatem : ergo Deus, sicut necessario est cognoscens et volens, ita necessario unicam tantum, sed adæquatam cognitionem et volitionem habet. — Hæc autem cognitio et volitio est realitas constituens ipsam possibilitatem absolutam seu essentiam adeoque ipsum esse Dei, ut adeo cognitio hæc et volitio non sit aliquid essentiæ divinæ superadditum ceu forma subjecto, sed ipsa essentia et intimum esse Dei ac proin ipse Deus.

Ergo *Deus* hoc ipso, quod essentialiter seu ex ipsâ ideâ essentiæ habet adæquatam cognitionem et volitionem, est *essentialiter vita plena et perfecta;* et hoc ipso, quod est *a se*, seu ex ipsâ ideâ essentiæ necessario ita existens, ut non possit concipi non-existens, est *essentialiter* vita plena et perfecta *interminabilis* seu sine ullo termino.

Ergo recte et secundum ideam intimæ essentiæ divinæ *æternitas Dei* juxta Boetium (1) a D. Thomâ (2) definitur:

Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio (3), seu ipsa essentia Dei vi et ideâ ipsius possibilitatis absolutæ ad adæquatam, sine initio et absque fine continuam, cognitionem et volitionem, adeoque ad interminabilem et plenam vitam determinata. Atque hoc sensu æternitatis sit :

(1) De consolat. Philosoph. Lib. 5. Prosa 6.

(2) Part. 1. Quæst. 10. Art. 1.

(3) Hæc definitio sic intellecta mire convenit cum voce Dei hebraicâ : Adnotatu enim dignum est, quod ait Cl. Drach in notâ editionis quintæ : *Sainte Bible de Vence*, ad Exod. III, 14, appositâ dicens : *Dieu prend ordinairement le nom de* JEHOVA, *nom qui renferme les trois temps du verbe substantif* ÊTRE, *en hébreu* : IL FUT, ÉTANT *ou* IL EST, IL SERA. Quasi Deus nomine ipso sibi imposito indicare velit, omnia præterita et futura tanquam præsentia se semper complecti, adeoque vitam se totam simul et perfectam possidere.

136. PROP. Deus est æternus.

Prob. 1° Ex ipsâ expositione æternitatis modo datâ et hic in brevem syllogismum contractâ : scilicet

Deus, utpote ens necessarium et a se, sicut vi essentiæ seu possibilitatis absolutæ necessario semper, sine initio et sine fine existit ; ita eâdem vi est necessario determinatus ad adæquatam objecto cognitionem et volitionem adeoque ad totam simul et perfectam vitam : Atqui *in hac tota et perfectâ vitâ a se* constituitur proprie dicta æternitas Dei ; ergo Deus vi essentiæ suæ æternus, atque adeo ipsa sibi æternitas est. — Et vero

2° Deus est ens necessarium et immutabile : atqui *quà ens necessarium* non potest habere *initium ;* secus ejus non-existentia semel non repugnasset ; nec *finem ;* secus ejus non-existentia semel non esset repugnatura ; et *quà ens immutabile* nullam realitatem acquirere, nullam amittere, adeoque nihil successivi in se continere potest, sed eadem semper vita, idem actus infinitus, et hinc vera æternitas est ; ergo.....

3° Deus existit vi essentiæ vel necessitate naturæ suæ ; ergo sicuti essentiam, ita existentiam, quam habere potest, semper *totam* habet : atqui existentia cum initio vel fine aut cum successione nunquam *tota* est ; ergo Deus nec initium nec finem nec ullam successionem habere potest, adeoque est æternus.

4° Si Deus aut *non totus*, aut *non semper* existit vel existet, *non tota* aut *non semper* existit vel existet ejus *essentia seu possibilitas* absoluta ; ergo existeret nunc, quod fuit aut futurum est impossibile : atqui hoc est absurdum : ergo.....

SCHOL. Æternitas Dei itaque non est successiva quædam duratio, ita ut de Deo interne prædicari possit *fuit*, *est*, *erit*, sed est simplicissimum et *absolutum esse*, de quo si minimum quid actuationis detrahatur, æternitas stricte dicta non est. Id adeo nonnulli etiam gentiles agnovere. Sic Plato in Timæo hæc habet: ERAT, EST, ERIT, *partes sunt temporis, et male transferuntur ad naturam æternam; huic* EST *tantum convenit* (1). Quare Deus essentialiter, uti per immensitatem ad intimam in omni loco præsentiam, ita per æternitatem ad coexistentiam in omni tempore rebus quibuscumque existentibus determinatur: ipse autem *nunquam* i. e. nullo determinato tempore vel omnino in tempore (cum membrum successionis rerum esse nequeat) et *semper*, i. e. complectens in se eminenter omne tempus, existit.

OBJECTIONES.

137. OBJ. Actiones Dei aliæ sunt præteritæ, aliæ futuræ; ergo datur in Deo *fuit* et *erit*.

R. *D. Ant.* Actiones Dei sunt præteritæ vel futuræ ratione principii operantis, *N. Ant.* Ratione terminorum, qui esse reipsa aut incipiunt vel desinunt, aut saltem concipi possunt incipere aut desinere, *C. Ant.* et *N. Cons.* *Fuit* enim et *erit* in ente æterno stricte loquendo internam successionem denotat, id quod enti simplicissimo

(1) Luculenter æternitatem Dei etiam explicat S. August. in *Enarrat. in Psalm.* CI. Serm. II. N° 10, dicens: *Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile; ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi nisi* EST. *Non est ibi* FUIT *et* ERIT*: quia, et quod fuit, jam non est, et quod erit, nondum est; sed, quidquid ibi est, non est nisi* EST.

et necessario semper toti repugnat. Ast quia Deus vel coëxistit aliis sibi succedentibus, vel saltem coexistere concipi potest, hinc fit, ut ratione temporis actualis vel possibilis momenta, dies, anni et secula in æternitate, et hâc ratione, quæ Deo extrinseca et solum ad creaturas actuales vel possibiles relativa est, *fuit* et *erit*, *heri* et *hodie*, *anni* et *secula* de Deo prædicari possint; in se vero et intrinsece Deus et æternitas Dei *tota* semper est, nec successionem, adeoque nec *fuit* nec *erit* habet.

Inst. 1° Si æternitas Dei quovis instanti est tota, quælibet creatura coexisteret toti æternitati Dei : atqui hoc est absurdum ; ergo....

R. *D. Maj*. Quælibet creatura coexisteret toti æternitati divinæ *formaliter* sumptæ seu *relatæ ad se*, quatenus est ipsa vita plena et actus purus, quo Deus est, seu quatenus est essentialis et intrinseca Dei determinatio coexistendi omnibus rebus, quæ unquam exstituræ sunt aut ullâ etiam possibili successione existere poterunt aut possunt, *C. Maj*. Coexisteret toti æternitati *virtualiter* sumptæ *seu relatæ ad durationem*, quam Deus vi essentiæ habet sine initio et sine fine : *Neg. Maj. et par D. Min. N. Cons.* Scilicet *æternitas Dei* spectatur *formaliter*, si sumitur sub proprio suo conceptu tanquam vita essentialiter tota simul et perfecta : et huic *æternitati formali* singulæ creaturæ *toti* coexistunt, siquidem Deus singulis momentis temporis nostri totum suum esse totamque et perfectam vitam habeat. Spectatur autem *virtualiter*, si sumitur sub conceptu *virtutis essentialis*, quâ, utpote vi possibilitatis absolutæ existens, essentialiter durationem absque initio et absque fine habet ; et huic *æternitati vir-*

tuali creatura nulla potest *toti* coëxistere. Creaturæ enim est, initium et successiones habere; sed nullus tantus numerus successionum possibilis, quo major possibilis non sit; neque initium creaturæ ullum, quo prius cogitari nequeat; ergo Deus *virtute* seu vi necessitatis existendi pluribus semper ante omne initium creaturis successivis coexistere sufficeret, adeoque æternitati sub respectu hujus coexistentiæ semper possibilis seu sub respectu durationis essentialiter sine initio et sine fine continuæ nulla creatura toti coexistere potest (1).

Inst. 2° Saltem Deus hodie diutius existit, quam heri; ergo æternitas non est tota, sed quotidie incrementa assumit.

R. *D. Ant.* Deus hodie diutius existit *formaliter*, *N. Ant.* *Virtualiter*, quatenus pluribus hodie successionibus coexistit, quam heri coexstiterat, seu quatenus, quæ semper in ipso eadem sunt consilia, successivum ad extra sortiuntur effectum, *C. Ant.* et *N. Cons.* Non enim æternitas Dei seu actus infinitus, quo est, incre-

(1) Exempla quædam non quidem æternitatis, sed existentiæ formalis et virtualis ex ipsis rebus naturalibus desumpta rem clariorem reddent. Sit v. g. lapis, qui, utut omni intemperiei expositus, ejus tamen sit constitutionis internæ, ut per millenos annos integer perdurare possit. Huic jam musca vel vermis, quorum vita paucorum dierum est, *toti* coexistent, si existentia ipsius *formaliter* seu tanquam *esse* spectetur, quod hic et nunc totum habet; non vero etiam coexistent *toti*, si existentia ipsius lapidis *virtualiter* seu sub eo respectu consideretur, quo lapis ille ex internâ suâ naturâ habet, ut per millenos annos durare possit; secus tamdiu existere deberent, quamdiu existit lapis. Sic Deus omne *esse* semper habet; ergo omnis creatura semper *toti esse divino* adeoque et *toti æternitati* Dei *formaliter* spectatæ coexistit: sed *esse divinum* est *esse necessarium*, cujus non-existentia absolute repugnat, adeoque in se hanc virtutem habet, ut, sicut nunquam esse incepit, ita nunquam possit desinere, dum res creatæ necessario et incipiunt et pereunt; ergo creatura nulla *toti esse divino virtualiter* spectato coexistere poterit.

menta assumit aut assumere potest, sed successiones extrinsecæ aliæ alias subsequuntur, eas efficiente actu divino infinito et immutabili, cui per eas præter extrinsecam relationem nihil accedit. Et vero diutius existere pro ente intelligente est diutius vivere seu vitæ incrementa assumere adeoque plures et novos continuo actus vitales cognitionis et volitionis elicere; ergo, cum Deus ex essentiâ suâ ad adæquatam objecto cognitionem et volitionem determinatus sit, etiam non potest diutius vivere adeoque nec diutius existere, quia vivere et existere in Deo est idem.

SECTIO III.

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS.

138. *Attributa Dei relativa* dicuntur ea, quæ sunt quidem Deo absolute propria, sed in conceptu suo includunt aliquam relationem entis divini ad aliquem terminum. Porro, si terminus iste sit ens ipsum divinum, attributa dicuntur *relativa interne* vel *ad intra;* uti sunt intellectus, quo Deus seipsum cognoscit, et voluntas, quâ seipsum amat: si vero terminus sit Deo extrinsecus et ab ipso diversus, attributa dicuntur *relativa externe* vel *ad extra;* uti sunt intellectus Dei, quatenus omnia possibilia, futura et existentia cognoscit; et voluntas, quâ rebus creatis bonum vult. Itaque generatim duo præcipua sunt attributa Dei relativa, *intellectus* et *voluntas* Dei, de quibus distinctis Capitibus

CAPUT PRIMUM.

De intellectu divino.

139. *Intellectum divinum* hic latiori sensu tanquam id assumimus, quo Deus omnia cognoscere potest. Neque vero intellectum divinum ut aliquid ab essentiâ realiter distinctum concipere licet, sed est ipsa *essentia divina ut necessario determinata ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile*, de quo jam acturi 1° *ejus existentiam et naturam;* 2° *omniscientiam*, et 3° *sapientiam* distinctis articulis examinabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De existentiâ et naturâ intellectûs divini.

140. Manifestum quidem est, sicuti Deum intellectu carere non posse, ita intellectum in ipso, non quemadmodum in homine est, potentiam determinabilem, sed necessario actum esse, attamen pro majori claritate sit :

141. PROP. I. DEUS GAUDET INTELLECTU ET QUIDEM PERFECTISSIMO.

Prob. 1° Homines, creaturæ Dei, sunt intellectu præditi : atqui nihil est in effectu, quod non est in causa ; ergo....

2° Ipsa mundi conformatio et pulcherrimus ordo summam in conditore intelligentiam produnt : atqui conditor est Deus ; ergo gaudet intellectu et quidem perfectissimo :

nam quidquid in Deo est, est sine ullâ negatione adeoque perfectissimum; ergo...

142. PROP. II. INTELLECTUS DIVINUS EST ACTUS PURUS, NON VERO FACULTAS.

Prob. 1° Deus est ens *a se* seu necessarium, ens immutabile; ergo ab æterno semper fuit id, quod esse potest: atqui si non semper totam, quam habere potest, cognitionem haberet, non semper esset id, quod esse potest; ergo semper habet totam, quam habere potest, cognitionem, adeoque est actus purus.

2° Perfectius est, omnia actu unico et simultanee cognoscere, quam actu multiplici et successive: atqui intellectus divinus est infinite perfectus; ergo...

3° In Deo, ente simplici et omnino immutabili nulli sunt modi seu modificationes: atqui, nisi intellectus divinus esset actus purus, in Deo darentur modi; siquidem tum ejus intellectus formaret diversos et successivos actus, adeoque totidem modificationes; ergo intellectus divinus est purissimus et unicus actus, nec concipi in eo potest facultas ad actum reducibilis.

ARTICULUS II.

De omniscientiâ Dei.

143. *Omniscientia divina* est *actualis, simultanea omnium rerum et adæquata cognitio.* Hanc porro, cum perfectio sit, Deo inesse tum per se, tum ex propositione præcedenti clarum est. Est itaque *omniscientia* cognitio infinita nec ab essentiâ divinâ realiter distincta, nec in se et realiter multiplex, sed unicus et simplicissimus actus;

ratione tamen *termini* seu *objecti*, quod respicit, sub diverso etiam respectu considerari potest et a nobis solet. Hinc communiter a diversis scientiæ objectis triplex in Deo distinguitur scientia, nempe :

1° *Scientia simplicis intelligentiæ*, cujus objectum seu terminus sunt res possibiles formaliter et *ut sic* sumptæ, quas cum mente solum ac intelligentiâ comprehendere liceat, earum cognitio simplicis intelligentia vocatur.

2° *Scientia visionis*, cujus objecta sunt res in quâcumque temporis differentiâ existentes, adeoque omnia, quæ exstiterunt, existunt, vel exstitura sunt : seu præterita, præsentia et futura, sive *necessario* futura sunt, ut astrorum revolutiones; sive *libere*, uti peccata etc.

3° *Scientia conditionatorum*, quæ etiam *scientia media* dicitur, cujus termini sunt res non absolute, sed conditionate futuræ, quarum nempe existentia pendet ab aliquâ conditione, quam Deus potest ponere vel non ponere ; uno verbo, termini hujus scientiæ sunt res, quæ propositionibus hypotheticis exprimi possunt, v. g. Sidonii pœnitentiam egissent, si Christus in illorum urbe miracula patrasset, quæ fecit in Judæâ. Hæc propositio nec quidquam præteritum, præsens aut futurum exprimit, nec præcise quidquam mere possibile : aliud enim est, si Deus videt Sidonios *posse* pœnitentiam agere, aliud si videt, *reipsa* et absolute pœnitentiam acturos, aliud demum, si videt, eos pœnitentiam acturos *sub hac conditione*, si Christus apud eos miracula patraturus esset, adeoque hæc scientia non est simplicis intelligentiæ,

nec visionis, sed inter utramque *media* (1). His præmissis sit :

144. PROP. I. Deus perfecte noscit omnia possibilia.

Prob. 1° Omne ens possibile est in se cognoscibile seu intelligibile : atqui Deus essentialiter est determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile ; ergo etiam ad cognoscendum omne possibile.

2° Nullum est ens possibile, quod Deus non possit creare ; ergo etiam nullum est, quod non cognoscit : prius est enim nosse rem, quam eam producere.

3° Deus perfectissime noscit seipsum adeoque suam omnipotentiam.: atqui omnipotentiam perfecte nosse nequit, quin noscat omne id, quod est possibile ; ergo....

Prob. Min. Omnipotentia divina est vis producendi omne id, quod est possibile : atqui vis alicujus rei perfecte nosci nequit, quin noscantur ea, ad quæ se vis illa extendit ; ergo....

4° Possibilia realiter spectata sunt ipsa entitas divinæ essentiæ, quatenus imitabilis ad extra (1) : atqui Deus suam essentiam necessario adæquate et sub omni respectu

(1) Hinc patet, quam pueriliter verbis ludat D. klee in suâ : *Katholische Dogmatick :* Mogunt, 1835. Vol. I.Pag. 57. cum hanc scientiæ divinæ distinctionem ratione subjecti cognoscentis, i. e. Dei, et non ratione objecti sub vario respectu cognoscibilis perperam intelligens irridet Theologos, et scientiam simplicis intelligentiæ : *Die Wissenschaft der einfaeltigen Einsicht*; scientiam visionis autem et mediam *visionaere und halbe Wissenschaft* non minus præpostere quam inepte appellat.

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. 1. Pag. 220

cognoscit; ergo necessario cognoscit etiam omnia possibilia (1).

(1) Unica fere, quæ hic remoretur, difficultas hæc est. Deus possibilia cognoscere nequit, quin cognoscat possibilia numero vel infinita vel finita: sed non potest cognoscere possibilia numero infinita, siquidem numerus infinitus ex ipsâ ideâ sui repugnat : neque etiam cognoscere potest possibilia numero finita; quia secus et scientia Dei finita foret, cum objectum ipsius esset finitum, et omnipotentia restringeretur ad finitum illum numerum possibilium, quibus ex hypothesi creatis, nihil amplius, in quod sese exerceret, superesset; ergo, inferunt, non videtur Deus cognoscere omnia possibilia. Ast respondemus :

1° Etsi, *quomodo* Deus et *quot numero* possibilia cognoscat, nullatenus intelligeremus, propterea neganda non esset cognitio possibilium in Deo, utpote quæ evidenter ex ipsâ ejus naturâ eruitur; unde sic dicere deberemus : est in Deo cognitio possibilium, sed *quomodo* sit, ignoramus. Ast

2° Duplici ratione directe varii ad hanc difficultatem respondent. Nam

a) Alii admittunt *infinita* esse possibilia, sed negant hic numerum esse, insistentes sententiæ S. Augustini dicentis, infinitorum nullum esse numerum. Hoc autem vel ita intelligi potest, quod infinitum sit id, cui nihil addi, nihil demi potest, numerus vero contra ejus sit naturæ, ut semper sit augmenti capax; ergo, ubi sint infinita, ibi nullum esse numerum. Vel forte etiam sic concipi posset. Numerus proprie est tantum in similibus realiter distinctis et sub respectu similitudinis : sic una arbor, una domus, unus homo, non pariunt numerum arborum, nec domorum, nec hominum, quia, etsi mutuo distinguantur, sub nullo tamen horum respectuum sibi similes sunt : pariunt vero numerum substantiarum, quia in notâ substantiæ sibi conveniunt. Jam vero possibilia, quatenus a Deo cognita, inprimis non sunt realiter distincta, cum realiter spectata sint ipsa essentia divina ut imitabilis ad extra; ergo neque efficiunt numerum realem. Dein possibilia vel spectantur ut perfecte similia, et tum, utpote quæ eandem habent cognoscibilitatem, ne formalem quidem seu mere logicum numerum efficere possunt; vel spectantur ut notis specificis vel individualibus inter se distincta, et tum, ut sic distinctim concepta, nihil commune habent, per quod in unum numerum coalescant, non magis, quam arbor, domus, homo. Si vero sub respectu communi sui *esse* vel realiter spectentur, sunt unum esse divinæ essentiæ ut imitabilis ad extra; ergo non plura; ergo nec numerus. Ergo possibilia, quatenus objecta sunt divinæ cognitionis, seu ideæ prototypæ rerum creabilium, nullum numerum efficere possunt. Verum

b) Alii assumentes duplicem illum respectum, sub quo possibilia considerari possunt, vel prout inter se comparata per notas specificas individuales in suâ cognoscibilate distinguuntur, vel prout individuatim sumpta includunt in se, ut in indefinitum creari possint, quin unquam tantus existat

SCHOL. Circa hanc possibilium cognitionem, seu, ut vocant, scientiam simplicis intelligentiæ, inter Philosophos nulla est opinionum diversitas : ast non idem consensus est circa *scientiam visionis* et *mediam*. Nam plerique Philosophi tum Græci, tum Romani, cum divinam præscientiam non possent cum humanâ libertate conciliare, alii omnem homini libertatem, alii Deo scientiam libere futurorum abnegarunt, ex quibus erat etiam Tul-

numerus, ut ultra alia et alia existere non possint, hanc dein sententiam tuentur. Possibilia in suâ cognoscibilitate distincta sunt numero finita : nam per cognoscibilitatem suam diversam, etsi non realiter, tamen formaliter efficiunt plura adeoque numerum; numerus vero infinitus etiam cognoscibilium et actu cognitorum tum repugnat in se, tum ex eo, quod nullum ens possibile sit cognoscibile, vel a Deo cognitum, quod non sit creabile; ergo supponi possent omnia possibilia, quatenus in cognoscibilitate suâ distinguuntur, creari : quod si vero omnia possibilia creata actu existerent, numerum actualem efficerent et quidem infinitum, si possibilia essent infinita ; ergo possibilia, quà distincta, sunt numero finita. Neque obest, quod objicitur, quasi hâc ratione scientia vel omnipotentia Dei restringatur. Scientia enim Dei non cognoscendo nisi finita numero possibilia diversa, propterea non magis fit ipsa finita, quam visio ipsius finita fit videndo res actu existentes numero finitas. Infinita scilicet est scientia divina *et* in suo objecto totali, quod simul Deum ipsum adeoque objectum infinitum complectitur, *et* in modo, quo cognoscit, adæquando intelligentiâ suâ objecta quæcunque sub omni respectu cognoscibilitatis, adeoque etiam sub respectu relationis, quam possibilia cum Deo et jam habent et haberent, si crearentur : sed nulla relatio perfecte intelligitur, nisi termini relationis perfecte intelligantur ; ergo Deus perfecte intelligendo relationem possibilium, perfecte etiam seipsum cognoscere debet, adeoque scientia Dei et in suo objecto et in modo cognitionis manet infinita, etsi possibilia, quatenus in cognoscibibilitate suâ distincta, dicantur numero finita. Manet etiam salva omnipotentia, siquidem possibilia quævis individuatim sumpta nunquam toties creari possunt, ut ultra creari non possint; ergo omnipotentia semper haberet possibilia, in quæ sese exereret, si non in diversa, saltem in eadem pluries creanda. Imo omnipotentiâ infinitâ opus est in creando quovis vel minimo ente juxta omnium fere Philosophorum placitum; ergo ipsius infinitudo non ex infinito numero possibilium desumenda est. Id imo aliunde absurdum esse videtur : nam juxta Philosophos objectum creationis infinitum seu ens creabile infinitum est impossibile; sed possibilia infinita per modum unius considerata essent objectum creabile infinitum ; ergo possibilia nequeunt dici numero infinita.

lius (1), de quo S. Augustinus (2) scribit : *Ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Scientiam autem mediam in scholis inductam a P. Molina, et hodie a plerisque Philosophis admissam, nonnulli rejiciunt, arbitrantes, ipsam ad scientiam visionis aut simplicis intelligentiæ facile reduci posse. Verum semotâ omni lite de nomine sit

145. PROP. II. DEUS PERFECTE NOSCIT OMNIA PRÆTERITA, PÆSENTIA ET TAM NECESSARIO QUAM LIBERE FUTURA.

Prob. 1° *In genere.* Intellectus divinus, utpote infinite perfectus, est essentialiter determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile : atqui omnia, quæ facta sunt, sunt aut fient, *de se* pro intellectu infinito sunt æque cognoscibilia ; siquidem de præteritis et de futuris æque ac de præsentibus enuntiari possint propositiones, quæ vel falsæ vel veræ sunt, et quæ proin ab intellectu infinito infallibiliter cognoscuntur (3).

(1) De Divinat. Lib. II. 7.

(2) De Civit. Dei. Lib. 5. Cap. 9.

(3) Idem etiam argumentum pro actionibus liberis adhiberi posset : nempe jam ab æterno *verum* adeoque ab æterno *in se cognoscibile est*, ad quodcumque homo se libere determinaturus est, ergo ab intellectu infinito, essentialiter ad omnia cognoscenda determinato, etiam cognoscitur. Antecedens hujus syllogismi approbat etiam Cicero : *De fato*, n° 12, dicens : *Nec, si omne enuntiatum aut verum aut falsum est, sequitur illico, esse causas immutabiles easque æternas, quæ prohibeant quidquam secus cadere, quam casurum est. Fortuitæ sunt causæ, quæ ita dicuntur :* VENIET CATO IN SENATUM *: non inclusæ in rerum naturâ aut mundo. Et tamen tam est immutabile venturum, cum est verum, quam venisse, nec ob eam causam fatum aut necessitas pertimescenda est.* Ast idem, nescio quâ ratione, harum ipsarum propositionum veritatem, antequam fiant, a Deo cognosci posse negat, quia secus non essent fortuitæ seu liberæ : Ita enim : *De divinat.* II. 7. ratiocinatur : *Nihil est tam contrarium rationi et constantiæ quam fortuna ; ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet, nulla est fortuna : est autem fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.* Quâ in re Ciceronem sibi ipsi contradicere apertum est.

Prob. 2° *In specie de futuris.* Deus futura, sive necessario sive libere futura sint, cognoscit tunc, cum actu existunt et quidem prout (necessario vel libere) existunt; ergo eadem eodem modo cognoscit ab æterno, et antequam actu existant; alias inciperet de novo aliquid noscere, vel saltem alio modo ac prius noscere, adeoque interne mutaretur et perficeretur, quod repugnat; ergo....

Dicunt : 1° Cognitio futurorum in Deo non est perfectio; nam quidquid perfectionis est, in Deo sub nullâ hypothesi potest abesse : atqui cognitio futurorum in Deo potest abesse, siquidem ipsa futura possint non esse futura; ergo....

R. *D. Ant.* Hæc cognitio actualis in Deo non est perfectio nullâ factâ hypothesi, *C. Ant.* Factâ hypothesi, quod futura sint absolute futura, *N. Ant.* et hinc *C. Maj.* et *D. par. Min. N. Cons.* Quamvis enim non actualis cognitio futurorum, attamen essentialis determinatio ad cognoscendum omne cognoscibile et quidem prout est cognoscibile, est vera in Deo perfectio : atqui in hypothesi, quod futura sint aliquando exstitura, futura hæc tanquam futura sunt cognoscibilia; ergo et eorum sub eâdem hypothesi actualis cognitio est vera perfectio.

Dicunt : 2° *Futura* fient aliquando *præsentia* aut *præterita;* ergo si Deus ab æterno illa affirmat *ut futura*, postmodum vel mutatur ejus cognitio, vel si perdurat, evadit falsa.

R. *C. Ant. D. Cons.* Si Deus affirmat futura ut futura respectu suæ æternitatis vel suæ cognitionis, *C. Cons.* Si affirmat ut futura respectu alicujus durationis præceden-

tis, *N. Cons.* Atqui Deus res futuras non respectu suæ æternitatis, sed respectu præcedentis alicujus durationis realis vel possibilis ut futuras affirmat. Est nempe cognitio Dei omnium rerum simplex intuitus, ac proin cognoscit res quaslibet in certo tempore seu certâ successionum serie existentes; sic. v. g. Augustum imperatorem post Cæsarem et ante Tiberium, adeoque relate ad Cæsarem ut futurum, relate ad Tiberium ut præteritum imperatorem. Res ergo non Deo, sed rebus creatis aliæ sunt præteritæ, aliæ futuræ, fere sicuti nobis in serie numerorum nullus numerus est præteritus aut futurus, etsi numerum 3 ante 4, et post 2 adeoque relate ad 2 ut subsequentem, relate ad 4 ut præcedentem concipere debeamus. Ergo cognitio Dei nec mutatur nec falsificatur, sed pro vario respectu, præterita etiam ut futura, et vicissim futura ut præterita, ast *sibi* omnia semper præsentia ab æteruo et in æternum cognoscit. Præteritum enim, præsens et futurum sunt quid Deo extrinsecum et partes temporis, adeoque uti tempus, nonnisi relationes rerum sibi succedentium; ergo Deus res omnes perfecte cognoscens, cognoscit etiam omnes earum relationes, adeoque et relationes ad res sive præcedentes, sive subsequentes (1).

(1) Clarissime pro more suo D. Augustinus eandem quæstionem tractans in libro: *De Civitate Dei*. Lib. 22. Cap. 2, ait: *Secundum illam vero voluntatem suam, quæ cum ejus præscientiâ sempiterna est, profecto in cœlo et in terrâ omnia, quæcunque voluit, non solum præterita vel præsentia, sed etiam futura jam fecit. Verum, antequam veniat tempus, quo voluit, ut fieret, quod ante tempora universa præscivit atque disposuit, dicimus:* FIET, QUANDO DEUS VOLUERIT. *Si autem non solum tempus, quo futurum est, verum etiam, utrum futurum sit, iguoramus, dicimus:* FIET, SI DEUS VOLUERIT: *non quia Deus novam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit, sed quia id, quod ex æternitate in ejus immutabili præparatum est voluntate, tunc erit.*

146. PROP. III. **Præscientia Dei actuum hominis libere futurorum non repugnat libertati humanæ.**

Prob. 1° Cognitio non requiritur ad objectum cognitionis, sed contra objectum requiritur ad omnem cognitionem: seu in nullâ cognitione est ratio sufficiens, cur ejusdem objectum sit id, quod est; sed contra in objecto debet necessario esse ratio sufficiens, cur ipsum cognoscatur. *Neque enim cognitio fieri potest*, ut ait S. Augustinus (1), *nisi cognoscenda præcedant.* Ergo objectum est naturâ prius cognitione, et cognitio naturâ posterior objecto : atqui quod est naturâ posterius, nequit influere in existentiam ejus, quod est naturâ prius; ergo præscientia divina nequit influere in libertatem actuum humanorum adeoque eam relinquit intactam. Et vero

2° Præscientia Dei est simplex intuitus objecti, prout in se est; ergo tam parum obstat, quominus actus hominum sint libere, i. e. potentiâ ad agendum vel non agendum proxime expeditâ ponendi, quam parum obstat cognitio certa et infallibilis , quâ homo cognoscit suas vel alterius actiones liberas præsentes. *Nam quid postulas,* inquit Boetius (2), *ut necessaria fiant, quæ divino lumine illustrantur, cum nec homines quidem necessaria faciant esse, quæ vident? Num, quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Sicuti vos, cum pariter ambulare videtis hominem in terrâ, et solem oriri in cœlo, quanquam utrumque sit simul conspectum, tamen decernitis, et unum voluntarium, aliud necessarium judicatis; ita*

(1) De Genesi ad lit. 4

(2) De cons. Phil. Lib. 5. Pros. 6.

etiam cuncta conspiciens divinus intuitus qualitatem rerum minime perturbat.

3° *Actus liberi* habent, etiam præcise sub respectu libertatis, seu *quà liberi*, specialem cognoscibilitatem. Unde sic : Memoria certa et evidens de actibus *liberis* præteritis non tollit libertatem, sed supponit ; ergo etiam præscientia divina actuum liberorum non tollit libertatem, sed necessario supponit.

Schol. Ad solvendas difficultates notandum est, liberum esse actum, qui est immunis ab omni necessitate *antecedenti*. Est autem *necessitas antecedens* ea, *quæ facit rem,* seu ex quâ, tanquam ex aliquo præsupposito res necessario sequitur ; sic catena, quam captivus eâ constrictus aufferre non potest, est necessitas antecedens ad non fugiendum ; *necessitas* vere *consequens* est ea, *quam facit res*, seu quæ sequitur ex ipsâ rei suppositione : sic motus est necessitas consequens ambulationis etiam libere institutæ. Ergo necessitas consequens non tollit libertatem : nam Petrus v. g. certe liber est ad ambulandum vel non ambulandum, etsi ex supposito, quod ambulet, non possit non moveri. Unde applicatione factâ, id, quod Deus præscit, infallibiliter futurum est necessitate consequente, quia ex supposito, quod sit futurum, Deus non potest non præscire, non vero necessitate antecedenti, quia præscientia non facit futurum ; non enim quia præscit Deus aliquid, id ideo futurum est, sed quia futurum est, præscit.

OBJECTIONES.

147. OBJ. 1° Præscientia Dei ex unâ parte est infallibilis, ex alterâ præcedit omne futurum; ergo quidquid præscit Deus, necessario est futurum.

R. *C.* 1um *memb.* et D. 2um *memb. Ant.* Præcedit omne futurum *existentiâ physicâ*, *C. Ant. Existentiâ logicâ*, quatenus præscientia sit naturâ prior objecto præscientiæ, *N. Ant. ex prob.* 1ª; ergo quidquid præscit Deus, necessario est futurum *necessitate consequenti*, *C. Cons. Antecedenti*, *N. Cons.* Nam etsi actus liberi *physice* in tempore solum existant, tamen *cognoscibiles* erant ab æterno, et quidem quâ libere futuri; ergo physice sunt posteriores præscientiâ, logice vero seu secundum suam cognoscibilitatem sunt priores, ut adeo præscientia aliquatenus ab illis dependeat.

Inst. Præscientia Dei non potest dependere a creaturis; ergo nec ab actu futuro.

R. *D. Ant.* Præscientia Dei non potest dependere a creaturis tanquam à causâ se determinante, *C. Ant.* Tanquam ab objecto, seu termino, *N. Ant.* Est nempe Deus *per essentiam suam* determinatus, ut nihil cognoscibile sit, quod non necessario cognoscat: ergo non sunt actus futuri, qui Deum ad ipsos cognoscendos proprie et quasi per influxum aliquem determinant, adeoque etiam ejus prævisio proprie ab actu futuro non dependet, ast ut prævideat actum futurum, necessaria est existentia futura, seu futuritio hujus actûs; quia actus, qui non est futurus, tanquam futurus non est cognoscibilis, adeoque nec

objectum determinationis divinæ ad cognoscendum omne cognoscibile; ergo actus futurus est necessarius tanquam objectum præscientiæ.

OBJ. 2° Ut libertas hominis cum præscientiâ divinâ componi posset, actio libera, quam Deus futuram prævidet, deberet posse omitti : atqui hoc fieri nequit, quin falsa reddatur præscientia ; ergo.....

R. *D. Maj.* Actio illa deberet posse omitti ita, ut Deus tamen illam futuram esse prævideret, seu *in sensu composito* cum præscientiâ Dei de illâ, *N. Maj.* Ita, ut Deus eam jam etiam non futuram esse prævideret, seu *in sensu diviso*, *C. Maj*. et *par. D. Min. N. Cons.* Itaque homo potest liberos suos actus in sensu diviso ponere *aut* omittere, ast cum non possit eundem actum ponere *simul* et omittere, jam nunc verum est, eum se ad alterutrum esse determinaturum, et prout se determinaturus est, Deum videre. Itaque in hominis potestate est mutare terminum prævisionis *antecedenter*, non *consequenter* ad prævisionem, quia quod futurum est; etsi libere futurum est, tamen certo futurum est; ergo Deus in suâ prævisione falli non potest; quia necessario supponit objectum suæ prævisionis logice prius.

Inst. 1° Quod existit ab æterno, nequit impediri per id, quod primum existit in tempore : atqui præscientia Dei existit ab æterno ; ergo ab actu libero in tempore futuro impediri nequit, adeoque actus necessario talis est, qualem Deus prævidet.

R. *D. Maj.* Quod existit ab æterno *relatione antecedenti ad futurum* in tempore, uti v. g. actus Dei libere creantis, nequit impediri per futurum in tempore, *C. Maj.* Quod

existit ab æterno *relatione solum consequente ad futurum et hypotheticâ*, quod futurum sit futurum, nequit impediri per futurum in tempore, *N. Maj.* : atqui præscientia Dei de actu libere futuro existit ab æterno relatione solum consequente et hypotheticâ, sub eâ nempe conditione, quod actus futurus sit futurus, ergo.....

Inst. 2° Saltem ex supposito, revera jam existere præscientiam Dei de actu libero absolute futuro, v. g. de peccato Leandri, hic jam non posset omittere actum; ergo cum de facto ista præscientia datur, actus ille non amplius est liber.

R. *D. Ant.* Hic jam non posset omittere actum *potentiâ consequente* et in sensu composito cum præscientia divina, *C. Ant. Potentiâ antecedente* et in sensu diviso, *N. Ant.* Nempe supposito existere præscientiam Dei de peccato Leandri, hoc ipso supponitur, Leandrum suo tempore se libere determinaturum ad peccatum, seu ejus libertatem fore determinatam ad peccatum; sed suppositâ libertate determinatâ ad peccatum, certe Leander potentiâ et hinc necessitate consequente et in sensu composito non potest non peccare; potest tamen Leander potentiâ antecedenti et in sensu diviso se non determinare ad peccatum, sed tum Deus etiam non præsciret peccaturum.

Inst. 3° Ergo saltem Leander *non potest* omittere peccatum stante præscientiâ Dei, adeoque non habet libertatem antecedentem.

R. *D. Cons. Non potest* omittere, i. e. *non* omittet peccatum, *C. Cons.*, i. e. non habebit potentiam omittendi peccatum, *N. Cons.* Duplicem enim sensum habet illud *non*

potest : *vel* enim significat *simultaneitatem non-actûs*, scilicet non-peccati, cum præscientiâ divinâ de peccato, et hoc sensu verum est, ipsum non posse conjungere non-peccatum cum præscientiâ de peccato : *vel* significat *simultaneitatem potentiæ*, scilicet potentiæ non peccandi cum præscientiâ divinâ de peccato, et hoc sensu falsum est, potentiam non peccandi cum præscientiâ de peccato conjungi non posse : sicut potentia, quâ possum non ambulare, conjungi potest cum actuali ambulatione, etsi actualis non-ambulatio conjungi nequit cum actuali ambulatione.

Verum de his et similibus objectionibus jam satis dictum est : omnes enim fere falsum suppositum habent, quasi præscientia præcedat et causet determinationem ad actum, cum eam contra tanquam *prærequisitum* supponit. Unde simulac dicitur præscientiam de peccato existere, simul etiam supponitur libertas jam determinata ad peccatum; sed certe libertas determinata esse ad peccatum, et simul ad idem peccatum non determinata esse non potest ; ergo et homo liber est, et Deus, utpote essentialiter determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile adeoque et liberas hominis determinationes, in suâ prævisione infallibilis et immutabilis est.

148. PROP. IV. DEUS PERFECTE COGNOSCIT OMNIA CONDITIONATE FUTURA, ETIAM LIBERA.

Prob. 1° Intellectus divinus est essentialiter determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile sub omni modo, quo est cognoscibile : atqui quid quælibet sive res sive libera voluntas sub quâcunque demum conditione

esset actura, est de se quid cognoscibile, cum de quovis hujusmodi actu propositiones verificari vel falsificari possint; ergo....

2° Si Deus conditionate futura non infallibiliter noscit *a*) Interrogatus, an hoc vel illud sub certâ conditione eveniret, nec ne, sine periculo erroris respondere aliter non posset, quam, *nescio*, vel, *dubito*, vel, *probabilius* esse vel non esse eventurum. *b*) Deberet de rebus mundi sæpe tantum cæco modo aut conjecturaliter disponere, et si effectus intentus non sequeretur, dicere: *non putabam hoc futurum:* atqui utrumque aperte repugnat divinæ sapientiæ et infinitæ perfectioni; ergo....(1).

(1) Quæritur inter auctores, in quo medio Deus omnia ab æterno cognoscat, siquidem res in seipsis ab æterno cognoscibiles non sint, seu non habeant esse aliquod intelligibile distinctum ab esse divino, in esse divino autem, utpote necessario et immutabili res contingentes et libere eventuræ nullo modo videantur posse contineri adeoque nec intelligi. Quâ in re, ut ordine procedamus:

Resp. 1° *Res possibiles* seu *possibilia* realiter spectata esse ipsam entitatem divinæ essentiæ ut imitabilis ad extra, adeoque a Deo cognosci in suâ essentiâ quatenus intelligibili, nos jam supra demonstravimus (*Ontol.* Part. II. Sect. 1. Prop. II., pag. 220 et seqq. et *Psych. Rat.* Sect. 2. Cap. 1. Art. 3. in fine, pag. 219 et seqq.) et clarissimo, ut solet, exemplo exponit S. Thomas (Summ. Theol. Part. I. Quæst. 18. Art. 4 ad 2), dicens: *Forma domûs in mente artificis habet esse immateriale et intelligibile, in domo autem, quæ est extra animam, habet esse materiale et sensibile. Unde et rationes rerum, quæ in seipsis non vivunt, in mente divinâ vita sunt, quia in mente divinâ habent esse divinum.* Rationes rerum seu ideæ rerum prototypæ sunt interne possibilia realiter spectata. Verum hic plura addere supervacaneum ducimus, cum locis citatis hæc quæstio fuse tractata fuerit.

2° *Res contingentes*, quatenus de facto et necessario exstituras, videt Deus in suâ essentiâ ut libere determinatâ ad eas creandas seu in conscientiâ liberæ volitionis, quâ Deus vult eas existere. Intelligit enim Deus omnia possibilia; inter possibilia sic intellecta ab æterno libere eligit certum aliquem ordinem, quem creet: igitur ab æterno habet conscientiam hujus suæ electionis, et in hac conscientia simul scientiam rerum contingentium exstiturarum. Atque hæc quidem non adeo difficulter intelliguntur: paulo major vero difficultas est de medio, in quo Deus videat actus

ARTICULUS III.

De sapientiâ divinâ.

149. Sapientia est facilitas seu promptitudo intellectûs in consiliis voluntati suggerendis circa fines actionibus præstituendos et circa media ad finem apta eligenda. Itaque eo sapientior quis est, *a*) quo meliores, i. e. rationi agentis magis consentientes fines novit, et quo aptiora finibus consequendis media suggerit; *b*) quo melius novit media finibus subordinare; et demum *c*) quo faciliori ratione hæc omnia novit. Unde *sapientissimus* est, qui *fines optimos, mediaque aptissima ac modum subordinandi novit immediate unico simplicissimo ac instantaneo intuitu*. Est ergo sapientia solius intellectûs, quâ res dicto sensu novit, non vero, quâ vult vel actu media disponit etc. id quod ad bonitatem, potentiam etc. pertinet. His positis sit:

150. PROP. Deus est sapientissimus

Prob. Deus adæquate, simultanee et sub omni respectu noscit 1° omnia possibilia ac ipsa conditionate fu-

hominum liberos, utpote qui cum decreto creationis non necessario connectuntur, uti res contingentes physicæ, sed a liberâ hominis determinatione dependent. Quâ in re ita sentimus:

3° *Actus hominum liberos* Deus ab æterno videt in essentiâ suâ juxta directionem scientiæ mediæ libere determinatâ. Scilicet vi scientiæ mediæ Deus videt, ad quid quævis voluntas creata in quibusvis circumstantiis sponte suâ se libere esset determinatura, si existeret, adeoque vi ejusdem scientiæ videt *futuribilitatem* omnium actuum liberorum. Quod si certum aliquem ordinem creationis eligat, jam etiam videt in decreto creationis et quasvis creaturas liberas exstituras et quasvis circumstantias, in quibus illæ exstituræ sunt; ergo videt etiam, ad quid de facto quævis creatura libera sit se determinatura, seu videt non tantum *futuribilitatem*, sed *futuritionem* omnium actionum liberarum salvâ et infallibilitate scientiæ divinæ et libertate humanâ.

tura adeoque omnium rerum tum intrinsecam, tum relativam bonitatem; 2° seipsum adeoque et fines rationi suæ maxime convenientes; 3° mediorum naturam intimam, et hinc omnes possibiles nexus et combinationes, adeoque et dispositionem maxime convenientem, ut media ad finem certissimâ ac brevissimâ viâ ducant: atqui in harum rerum adæquatâ et simultaneâ cognitione consistit summa sapientia; ergo Deus est sapientissimus.

CAPUT II.

De voluntate divinâ.

151. VOLUNTATEM prout est *appetitus boni ab intellectu propositi* Deo inesse nemo unquam negavit; cavendum tamen est, ne in Deo, uti in homine, voluntatem putemus esse facultatem ad appetendum determinabilem. Nam

152. PROP. VOLUNTAS DEI EST ACTUS PURUS, QUO AB ÆTERNO VULT, QUÆCUNQUE VULT.

Prob. 1° Voluntas, ex essentiâ suâ activa, ideo in homine remanet indeterminata seu a volendo aut nolendo abstinet, quia ab intellectu ipsi non proponuntur omnes rationes, quibus determinari possit: atqui intellectus divinus omnia perfectissime cognoscit; ergo nulla est ratio, cur non sit semper in actu, contra ipsæ rationes, quibus unquam ad aliquid se determinandum moveri possit, semper a totâ æternitate ipsi præsentes sunt; ergo etiam a totâ æternitate est actu determinatus ad quæcunque vult volenda.

2° Perfectius est, omnia actu unico et simultaneo velle, quam actu multiplici et successive : atqui voluntas Dei necessa rio est perfectissima ; ergo....

3° Deus est essentialiter immutabilis : atqui, si posset nova subinde velle actu successivo, intrinsece modificaretur et mutaretur ; ergo....

Schol. Cum Deus sit simplicissimus, actus Dei omnes sive intellectûs sive voluntatis non sunt nisi unus idemque actus, *quo est*, seu ipsa essentia ad diversos hos respectus determinata, id quod et de cæteris attributis intelligi necesse est. Ast actus iste eâdem actuatione varios in terminos sub vario respectu tendit, unde pro finitudine intellectûs nostri, uti multiplicem scientiam, ita et multiplicem in Deo voluntatem distinguimus, et quidem.

1° *Necessariam*, i. e. quæ in absolute necessaria tendit, seu cujus actus quoad terminum necessarius est, et *liberam*, i. e. quæ in contingentia tendit, seu cujus actus quoad terminum liber est.

2° *Antecedentem*, i. e. quæ tendit in objectum præcisis omnibus circumstantiis ; sic princeps vult omnem subditum vivere præcisione factâ ab omni homicidio etc., et *consequentem*, i. e. quæ tendit in objectum, prout est vestitum omnibus circumstantiis ; sic princeps sciens hominem a Paulo occisum esse, vult Pauli pœnam ; unde applicatione factâ, Deus *voluntate antecedenti* vult omnes homines salvos fieri, sciens autem talem hominem in peccato moriturum, *voluntate consequenti* vult ejus damnationem.

3° *Positivam*, i. e. quâ Deus positive vult aliquod ob-

jectum; et *negativam*, quæ et *permissiva* dici potest, i. e. quâ Deus quidem positive non vult objecti existentiam, sed tamen neque vult eam impedire, quamvis eveniat contra ejus voluntatem antecedentem, uti v. g. peccatum.

4° *Absolutam*, quâ aliquid sine conditione, et *conditionatam*, quâ solum *sub conditione* aliquid vult; v. g. cessationem morbi, terræ motûs etc.; sub conditione, si imploretur ab hominibus.

5° *Efficacem*, i. e. quæ habet effectum suum, seu cui respondet realis existentia objecti voliti; et *inefficacem*, i. e. cui non respondet existentia objecti voliti voluntate antecedenti, seu quæ non habet effectum suum, non quidem ex defectu potentiæ divinæ, sed quia Deus ob rationes se dignas non removet obices, quos posset tollere.

His prænotatis 1° de libertate voluntatis divinæ, et dein de cæteris attributis cum voluntate connexis, et quidem 2° de bonitate; 3° de justitiâ et misericordiâ; 4° de omnipotentiâ, et demum 5° de providentiâ totidem distinctis articulis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De libertate voluntatis divinæ.

153. Libertas *generatim* sumpta est potentia agendi vel non agendi; *libertas a coactione* est potentia agendi vel non agendi immunis a vi extrinsecâ; *libertas a necessitate* est potentia agendi vel non agendi immunis a quâcunque invincibili determinatione ad unum. Verum cum Deus, utpote purissimus actus, non possit non agere, libertas ejus non æque ac humana in potentiâ agendi vel

non agendi sita esse potest, sed *libertas Dei* sita est in eo, quod actu suo unico et necessario ab æterno aliquid extrinsecum possit velle vel nolle, velle hoc vel illud. Unde actus iste Dei, si Deum pro termino habet, i. e. ejus amorem sui, existentiam, cognitionem, exercitium libertatis etc., actus *ad intra;* si creaturas, i. e. earum creationem, majorem vel minorem perfectionem etc. pro termino habet, actus *ad extra* vocatur. His præmissis sit :

154. PROP. I. DEUS IN OMNI ACTU EST LIBER A COACTIONE.

Prob. 1° Deus vi essentiæ est absolute independens (1); ergo a nullâ vi externâ cogi potest.

2° Repugnat in terminis, ut voluntas ulla cogatur. Si enim cogeretur, vellet simul idem et nollet sub eodem respectu; *vellet*, siquidem extorqueretur ipsius actus, qui esse nequit nisi aliqua volitio; *nollet*, siquidem ipsi vis inferretur ex hypothesi; ergo...

155. PROP. II. DEUS IN ACTIBUS AD INTRA NON EST LIBER A NECESSITATE.

Prob. 1° *In genere.* Actus Dei *ad intra* est ipsa essentia : atqui essentia est necessaria; ergo et actus internus divinæ voluntatis est necessarius.

Prob. 2° *In specie pro amore sui.* Objectum voluntatis est bonum in genere ; ergo si bonum sit infinitum et voluntas perfecta, voluntas *necessario* in objectum fertur : atqui Deus est bonum infinitum ejusque voluntas perfectissima ; ergo actus divinæ voluntatis non potest non necessario ferri in Deum ut summum bonum amandum.

(1) *Theod.* Sect. II. Cap. 2. Pag. 310.

156, PROP. III. **Deus in actibus ad extra est liberrimus ab omni necessitate.**

Prob. 1° Deus est summe intelligens; ergo est etiam summe liber.

Prob. Cons. Voluntatis bene ordinatæ tendentia sequitur dictamen intellectûs; ergo sicut summa perfectio intellectûs est, cognoscere bonum non necessarium ut non necessarium, ita a pari summa perfectio voluntatis est, amare bonum non necessarium ut non necessarium sive non necessario : atqui amare non necessario idem est ac amare libere; ergo ad perfectionem voluntatis pertinet, bona non necessaria amare libere : atqui creatura nulla est Deo bonum necessarium : ergo, cum Deus voluntatem summe perfectam habeat, creaturam nullam amat quà bonam sibi necessario; ergo amat libere adeoque gaudet libertate.

2° Deus habet voluntatem perfectissimam : atqui ad perfectionem voluntatis pertinet libertas : melius enim est gaudere libertate, quam necessitate adstrictum esse (nisi tamen in hac ipsâ necessitate singularis quædam insit excellentia, uti v. g, in necessitate non peccandi, omnia cognoscendi etc.); ergo Deus est liber : atqui liber non est in actibus *ad intra ;* ergo liber in actibus *ad extra.*

3° In homine a Deo creato datur libertas : atqui nequit plus esse in effectu, quam in causâ; ergo libertas ab omni imperfectione purificata debet esse et in Deo.

4° Si Deus necessario res a se distinctas vellet, ad actus externos necessitaretur *vel ab essentiâ suâ* vel *a rebus externis :* atqui Deus nequit dici necessitari ad actus externos seu ad creationem

a) *Ab essentiâ suâ.* Nam Deus vi essentiæ est absolute independens sibique sufficientissimus; ergo repugnat, ut ejus natura rei cujuslibet procreationem exigat. Neque

b) *A rebus externis.* Nam inprimis nihili nullæ sunt actiones; atqui res externæ, antequam producantur, actu nihil sunt; ergo non possunt Deum necessitare; et deinde, si Deus a rebus externis necessitaretur, ab ipsis dependeret: atqui....; ergo...... (1).

5° Ipsa ratio naturalis, propria cujuslibet existentia et

(1) Egregie ad eam rem ratiocinatur Cl. Staudenmaier in suo opere: *Die christliche Dogmatick*, 2 Bd. Pag. 349 et 350; ubi, postquam dixisset, ens, quod non est ab alio, ab alio etiam nullatenus determinari posse, subjungit: *Was aber überhaupt nicht bestimmbar ist durch Anderes, das ist auch durch das Andere nicht bestimmbar in Absicht auf es, auf dieses Andere, d. h. aber: Kann das absolute Sein nicht bestimmt werden durch das andere relative Sein: so kann das absolute Wesen auch nicht bestimmt werden, das relative Sèin hervorzubringen: denn sonst wuerde eben das absolute Sein bestimmt werden durch das relative Sein, dieses letztere wuerde fuer das erstere die Nothwendigkeit enthalten, dass es durch es hervorgebracht wuerde. Dann aber wuerde in der That das Absolute bedingt durch das Relative, das an sich Nothwendige durch das nur Moegliche, Gott durch die Welt, und hiedurch eben wuerde die ewige Ordnung selbst verkehrt: denn das Relative wuerde das Absolute, das nur Moegliche das an sich nothwendige Sein. Zu welcher Verkehrtheit noch eine weitere kaeme, weil bei aller verkehrten Stellung dennoch das Relative durch das Absolute, und das nur Moegliche durch das an sich Nothwendige hervorgebracht werden muesste, d. h. das Bedingte muesste durch dasjenige hervorgebracht werden, was doch durch es, das Bedingte, selber bedingt waere. Die Creatur legte, wie eine hoehere Macht, dem Schoepfer die Nothwendigkeit auf, sie, die Creatur, hevorzubringen, und hervorzubringen, wie sie, die Creatur, hervorgebracht sein will, Aber indem sie so einerseits bedingte, und anderseits doch wieder selbst bedingt und in die Existenz gesetzt sein wollte durch das Absolute, wuerde es Bedingendes und Bedingtes zugleich sein. Eben dieser realisirte Wiederspruch wuerde aber auch das Absolute selbst sein. Denn wie es einerseits bedingte; muesste es sich anderseits bedingen lassen. Der goettliche Willse ist daher frei in Absicht auf alles das, was er nach Aussen setzt, und zwar ist er gerade so frei, wie das ganze goettliche Wesen als ein absolut mangelloses des Endlichen nicht bedarf.*

accepta beneficia hominem impellunt, ut Deo pro suâ liberalitate ac beneficentiâ grates exhibeat : atqui, nisi Deus esset liber, nullas ipsi deberemus gratias pro suâ liberalitate et beneficentiâ. *Liberalitas enim*, ait Seneca de vitâ beatâ, *quia a libero animo proficiscitur, ita vocata est*, et *Beneficium id est, quod quis dedit, cum illi liceret et non dare*, ut idem habet (1)

157. Schol. Itaque Deus, quamvis exercitium libertatis ipsi sit necessarium, ad creandum tamen vel non creandum est liberrimus, cum creatio et non-creatio sint ipsi duo media exercendæ libertatis prorsus æqualia ; ast *quomodo Deus liber simul et tamen immutabilis esse potest ?* Ad concilianda duo hæc Dei attributa duplex præcipue Theologorum ac Philosophorum est sententia. Alii enim

1° Dicunt, decreta divina seu actus divinæ voluntatis ad extra esse Deum ipsum decernentem, sed nihilominus concipienda esse tanquam modificationes in Deo contingentes, etsi ejus minime perfectivas. Verum hæc sententia rejicienda videtur ; modos enim et mutationes in Deo supponit, et tollit ab eo rationem actûs puri. Alii vero, quorum sententia verior videtur,

2 Dicunt, actum divinæ voluntatis *quoad entitatem* unicum esse et necessarium, utpote ipsam divinam essentiam; sed actum hunc posse tendere vel non tendere in plures terminos, habitudinem aliquam habere vel non habere ad unum terminum, v. g. mundum. Itaque juxta hos libertas Dei consistit *in entitate volitionis divinæ seu in essentiâ Dei pro nutu suo respiciente objectum contingens;*

(1) Lib. 7. de beneficiis. Cap. 19.

unde *immutabilis* manet Deus, cum actus divinæ libertatis *entitative* sit ipsa essentia seu actus necessarius, *quo* Deus *est:* manet autem *simul liber*, cum ex infinitudine istius actûs aliquatenus concipi possit, quod sine additione novæ entitatis seu sine novâ actuatione, adeoque sine mutatione, possit tamen tendere vel non tendere in aliquod objectum, quamvis id creatura, utpote finita, sine novâ actuatione non possit (1)

1) Exemplum tamen aliquod, modo sanâ ratione intelligatur, in homine dari posset, quomodo actus idem sine novâ actuatione in alterutrum ex duobus vel pluribus objectis tendere queat. Ponatur enim homo aliquis jam actu determinatus ad scribendum calamis : calami vero duo vel plures supponantur perfecte æquales : nihil igitur erit in ullo calamo, quo alter alteri præferatur. Jam homo iste nullâ novâ determinatione indiget ad utendum calamo *A* potius, quam calamo *B*, sed ipsa determinatio scribendi in se includit, ut alterutrum calamum eligat : quod si feratur in calamum *A* eligendum, non necessario, sed ita in illum fertur, ut possit æque ferri in calamum *B ;* ergo determinatio illa scribendi ex hypothesi necessaria libera tamen est in medio executionis seu exercitii. Jam vero Deus ex necessitate naturæ suæ est liber actu, non potentiâ, seu Deus ex necessitate naturæ suæ exercet libertatem : hujus autem exercitii objecta seu termini sunt relate ad Deum perfecte æquales, nimirum non-creatio aut creatio et quidem creatio hujus vel illius mundi, cum tali vel tali perfectionis gradu. Ergo, sicut homo ex supposito determinatus ad scribendum non indiget novâ actuatione, ut hoc potius quam illo calamo utatur, quia quovis calamo æque perfecte finem suum attingere potest, electioque alterutrius calami in ipsâ determinatione scribendi continetur; ita Deus ex essentiâ suâ determinatus ad agendum ad extra; utpote essentialiter actu liber, hujus suæ actionis terminum aut non-creationem aut creationem eligere potest sine novâ actuatione, quia alterutrius hujus termini electio jam in ipsâ determinatione ad agendum ad extra continetur, ita tamen, ut si unum elegerit, potuerit eligere alterum, quia utroque æque perfecte finem suum attingere potest. Ergo determinatio Dei necessaria agendi ad extra libera est in medio exercitii, illudque eâdem determinatione sine novâ actuatione alterutrum eligere potest.

Neque dicatur, Deum, si eligeret non-creationem, nullum habere terminum, adeoque nec agere : hoc enim casu Deus poneret actum, quo omnes possibiles seu creabiles mundos sibi obversantes nollet, nolle autem certe est agere. Sic homo profecto, dum ponit positivam nolitionem, agit, neque dicitur nullum habere objectum nolitionis suæ.

OBJECTIONES.

158. **OBJ.** In Deo non datur electio : electio enim involvit deliberationem et consilium, quod in Deo repugnat; ergo non est liber ad volendum et nolendum extra se.

R. *N. Ant. Rat. add. Dist.* Electio involvit deliberationem et consilium in intellectu et voluntate imperfectâ, qualis humana est, *Conc.* In intellectu et voluntate infinite perfectâ, qualis divina est, *Neg.* Deliberatio enim seu inquisitio rationum oritur ex defectu cognitionis; ergo cum in Deo cognitio sit sine omni discursu, etiam electio in ipso est sine omni deliberatione; unde *N. Cons.*

Inst. 1° Si electio in Deo est sine deliberatione, Deus nunquam non fuit determinatus ad unum : sed qui semper est determinatus ad unum, non est liber; ergo.....

R. *C. Maj. N. Min.* Deus quidem semper fuit determinatus ad idem; ast inde non sequitur, eum non ad aliud potuisse esse determinatum. Siquidem, etsi non determinationem ad mundum cum determinatione ad non-mundum, tamen determinationem actualem ad mundum cum potentiâ (1) determinationis ad non-mundum conjungere potest. Unde

Dico : 1° *Deus semper fuit determinatus ad idem.* Nam sublatâ causâ indeterminationis tollitur et indeterminatio.

(1) Dum hic dico *potentia*, intelligo *indifferentiam* actûs divini ad alterutrum terminum seu non-necessitatem tendentiæ actûs divini in determinatum terminum.

Unde ita : Causa indeterminationis est *vel actuabilitas;* sic homo, ut ad unum ex duobus se determinet, debet suam potentiam actuare ; *vel ignorantia;* sic homo eo diutius et eo magis indeterminatus manet, quo obscurius rationes menti obversantur : atqui in Deo *nulla est actuabilitas,* cum sit necessario infinite actuatus, utpote simplicissimus et immutabilis ; neque *ulla ignorantia,* cum, utpote omniscius, omnium rerum, finium mediorumque adæquatam habeat notionem ; ergo.....

Dico : 2° Propterea tamen non est minus liber. Quemadmodum enim homo libere jam determinatus ad unum concipitur in ipso actu determinationis, utpote libero, posse esse determinatus ad ejus contradictorium (1), ita Deus, etsi semper determinatus ad unum, v. g. ad existentiam mundi, ita tamen concipi potest determinatus ad hoc unum, ut pro nutu suo potuisset etiam esse determinatus ad ejus contradictorium v. g. ad non-existentiam mundi. Unde non datur in Deo *indifferentia negativa et suspensionis*, sed datur *indifferentia positiva electionis.*

Inst. 2° Ergo volitio existentiæ mundi potuit in Deo non esse : atqui si potuit non esse ista volitio, non pertinet ad ejus essentiam ; ergo et nunc potest abesse.

R. *D. Illatum. Volitio* ut *actus entitative* sumptus po-

(1) Sic supposito ; me libere brachium protendere, certe actus hic interne ita constituitur, ut, quamvis non possim brachium protendere simul et non protendere, adeoque dum protendo, necessario protendam, intelligatur tamen, potuisse poni actum etiam oppositum. Ergo a pari actus Dei, quo libere nunc vult mundum, quamvis ab æterno velit, tamen ita interne constituitur, ut egegrie distinguatur ab actu illo, quo per absurdam hypothesim ad mundum volendum supponeretur necessario determinatus : hic enim ab æterno alius esse non potuisset, ille vero potuisset.

tuit in Deo non esse. *N. Illat. Volitio,* ut *actus terminative* sumptus seu ut *tendentia volitionis* in existentiam mundi potuit in Deo non esse, *C. Illat.*, et hoc ultimo sensu *C. Min. N. Cons.* Itaque volitio spectata ut *actus intrinsece et in se*, præcisione factâ a tendentiâ in hoc, seu ipsa entitas actûs est necessaria, utpote realiter ipsa essentia, adeoque a Deo abesse nequit : ast actus hic seu entitas actûs talis est, ut respicere possit *sine sui mutatione* hoc objectum vel illud eo ipso, quod sit *infinite actuatus.* Supposito enim, Deum, ut tendat vel non tendat in objectum, aut ut sic vel alio modo tendat, debere novum actum actui necessario superaddere, *hic* actus necessarius jam non haberet omne *esse*, cum novâ actuatione augeri posset; ergo actus ille, quia *infinite actuatus* est, respicere seu habitudinem habere potest contingentem terminativam ad hoc vel illud absque sui immutatione. Dico *absque sui immutatione.* Nempe homo habet potentiam inter plures actus hunc vel illum eligendi, sed ut aliquem determinate eligat, necesse est, ut se actuet seu ut a potentialitate transeat ad actum, in Deo vero vice potentialitatis fungitur actus. Unde ita : *Potentialitas* in homine, spectata *ut sic* seu ut entitas potentialitatis, per novam actuationem non mutatur, seu nec plus nec minus entitatis potentialis acquirit ; ergo concipi aliquatenus potest nec *actum in Deo, spectatum ut sic,* per novam terminationem mutari, quia per hanc terminationem nec plus nec minus entitatis actualis acquirit. *Terminatio* enim hæc vel illa est solum perfectio *entitative* seu quatenus est *ipsa essentia terminata* seu *tendens,* non vero est perfectio præcise *ut terminatio;* essentia enim sive in hoc tendat sive in illud, propterea non cessat esse eadem

essentia, etsi necessario terminata seu tendens sit in aliquid (1).

Inst. 3° Si Deus creando interne nihil perfectionis acquirit, non plus realitatis habet ut volens producere creaturas, quam ut mere possibiles cognoscens; imo posset, quin mutaretur, velle res novas in tempore: atqui hoc repugnat; ergo....

R. *C. Maj. quoad* 1[um] *memb.* Reipsa enim Deus non plus entitatis habet, cum producit creaturas, quam cum illas ut possibiles cognoscit, sed tantum habet novum respectum. Actus nempe divinus tendit in utrumque, sed modo diverso. Nec dici potest, ad creationem requiri in Deo entitatem novam, quia sicut in homine, dum exercet libertatem, non requiritur nova potentia, sed tantum potentiæ determinatio ad actum, sic in Deo non novus actus, sed diversus tantum respectus (1), qui

(1) Quâ ratione in Deo, etsi sit libertas seu virtus ad utrumlibet oppositorum, non tamen sit potentialitas, exemplo fere simili ac nos in notâ aliquâ præcedenti egregie ostendit D. Thomas, *Cont. gent.* Lib. I. Cap. 82. Nam ad hanc difficultatem, *Deus... videtur se ad utrumlibet habere : omnis autem virtus, quæ est ad utrumlibet, est quodammodo in potentiâ,* ita respondet :

Ad utrumlibet esse alicui virtuti potest convenire dupliciter : uno modo ex parte sui ; alio modo ex parte ejus, ad quod dicitur. — Ex parte quidem sui, quando nondum consecuta est suam perfectionem, per quam ad unum determinetur : unde hoc in imperfectionem virtutis redundat et ostenditur esse potentialitas in ipsâ, sicut in intellectu dubitantis, qui nondum assecutus est principia, ex quibus ad alterum determinetur.—Ex parte autem ejus, ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis a neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest; SICUT ALIQUIS, QUI DIVERSIS INSTRUMENTIS UTI POTEST ÆQUALITER AD IDEM OPUS PERFICIENDUM. *Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit et ob hoc determinatur ad neutrum.... Sic autem est in divinâ voluntate respectu aliorum a se.*

(2) Id sensibili quâdam similitudine in ipsâ visione physicâ hominis de-

ex dictis in ente infinito sine entitatis mutatione varius concipi aliquatenus potest, et efficax quidem.

D. Maj. quoad 2[um] *memb.* Posset res novas velle in tempore, quin mutaretur, *præcise ratione immutabilitatis, C. Maj.* Ratione sapientiæ, constantiæ etc., *N. Maj.*

Inst. 4° Terminatio, quatenus est libera, debet Deo esse interna: atqui ex dictis terminatio tantum externe sumpta esset libera; ergo.....

R. *D. Maj.* Terminatio *concrete sumpta*, i. e. actus terminans debet Deo esse internus, *C. Maj.* Terminatio *abstracte sumpta*, *N. Maj.* et hinc *Min.* Non enim tantum terminatio abstracte sumpta est libera, sed actus Dei, seu *summum esse* includit in se, ut sine sui mutatione vel novâ actuatione possit terminare in hoc vel in illud, adeoque interne velle hoc vel illud.

Sed hæc dixisse sufficiat. Modum unum ostendimus, quo immutabilitas Dei cum ejus libertate concilietur. Quodsi nos imbecilli nostro ingenio aliquem aliquatenus modum perspiciamus duo hæc attributa sibi mutuo conciliandi, quidni Deus, cujus infinita est sapientia,

clarari potest. Etenim actus visionis physicæ nihil utique novæ entitatis acquirit, cum ex duobus objectis perfecte similibus unum potius, quam alterum oculo exhibetur, sed mutatio omnis est in diversitate respectûs, quem visio illa v. g. nunc habet in A, loco in A'. Est tamen visio illa, ut cum D. Thomâ loquar, ad utrumlibet adeoque intrinsece libera, quia dum respicit A, ita illud respicit, ut respectus iste non sit necessario in A intentus, sed possit sine mutatione entitatis intrinsecæ. respicere etiam A'. Ergo entitas istius visionis physicæ intrinsece eadem manet, sive respiciat A, sive A', quia utrumlibet respiciat, ita respicit, ut alterum respicere valeat, ergo sive respiciat A sive A' semper habet entitatem non necessario in A potius, quam in A' respicientem, sed ad utrumlibet æquabilem adeoque liberam sine intrinsecâ potentialitate vel mutabilitate in suo esse interno.

alios modos multos, nobis quidem ignotos, ipse habeat, quibus melius etiam divina libertas cum immutabilitate non concilietur solum, sed prorsus ita identificetur, ut absoluta immutabilitas necessario summam libertatem, et absoluta libertas summam immutabilitatem necessario involvat? utque adeo absoluta libertas sit ipsa absoluta immutabilitas, et absoluta immutabilitas absoluta libertas?

ARTICULUS II.

De bonitate Dei.

159. Bonum dicimus, quod perfectum est. Triplex vero distinguitur *bonitas: naturalis*, seu entitas; *moralis*, seu sanctitas; et *respectiva* seu beneficentia. Itaque Deus erit summe bonus, si triplicem hanc bonitatem in summo gradu possidet; unde

160. PROP. I. DEUS EST SUMME BONUS IN SE, SEU HABET SUMMAM BONITATEM NATURALEM.

Prob. Omnis perfectio est bonitas in se, consensus autem plurium perfectionum in ente est bonitas entis, ejusque entitas (1), ergo si omnes perfectiones perfectissime consentiant in aliquo ente, erit ens illud obsolute bonum sine ullâ malitiâ metaphysicâ, seu determinatione negativâ: atqui Deus habet omnes perfectiones possibiles, utpote infinite perfectus, et hæ perfectiones ita consentiunt, ut identificentur (2); ergo est absolute bonus in se.

(1) *Ontol.* Part. I. Cap. 4. Pag. 209 et seqq.
(2) *Theodicea*, sect. II., Cap. 3. De simplicit. Dei. Pag. 312 et seqq.

161. PROP. II. Deus est summe sanctus, seu habet summam bonitatem moralem.

Prob. Bonitas moralis seu sanctitas est consensus actionum liberarum entis cum ejusdem entis bonitate naturali; ergo summe sanctum illud ens erit, cujus omnes actiones liberæ cum naturali bonitate perfectissime consentiunt: atqui actiones Dei liberæ omnes perfectissime consentiunt cum summâ ejus bonitate naturali; ergo.....

Prob. Min. Si vel minima actio Dei libera non consentiret cum summâ ejus bonitate naturali (adeoque cum omnibus attributis, intellectu, sapientia etc.) Deus esset capax defectûs saltem accidentalis : atqui hujusmodi defectûs Deus capax non est; ergo omnes actiones Dei liberæ perfectissime consentiunt cum ejus bonitate naturali : atqui ita consentiunt per ipsam Dei essentiam; ergo Deus per essentiam suam est summe sanctus.

Corol. Ergo vi sanctitatis suæ Deus, etsi liber sit ad creandum vel non creandum, tamen posito decreto creationis, suam voluntatem sive antecedentem sive consequentem, sive positivam sive negativam conformare debet regulis sapientiæ suæ, adeoque in benefaciendo creaturis suis in individuo non potest solam bonitatem suam respectivam respicere, sed necesse est, ut actiones ejus liberæ cum cæteris omnibus attributis consentiant.

162. Bonitas respectiva est propensio quædam ad promovendam veram aliorum felicitatem, seu, uti alii volunt, est *promptitudo voluntatis ad promovendum verum aliorum bonum.* Itaque bonitas respectiva erit absolute

summa, si quæ voluntas ad bona pro capacitate uniuscujusque conferenda ita prompta est, ut promptior esse non possit. Quare considerari debet tum *in se* seu prout est in subjecto illam habente, tum *relate ad terminum*, seu prout esse potest in subjecto recipiente; unde sit:

163. PROP. III. DEUS EST SUMME BENEFICUS, SEU HABET SUMMAM BONITATEM RESPECTIVAM IN SE.

Prob. 1° Ille est summe et essentialiter beneficus *in se*, qui habet voluntatem ita necessario constitutam ad volendum bonum aliorum, ut agere in aliquid a se distinctum absolute non possit, quin illi bonum conferat: atqui Deus ita intrinsecâ et essentiali voluntate est constitutus, ut agere ad extra non possit, quin hoc ipso rei creandæ existentiam et omnia bona, quæ existentiam consequuntur, tribuat; ergo Deus est essentialiter beneficus *in se* (1).

2° Beneficentia seu bonitas respectiva non a benefacto, sed præcipue a conditione benefacientis respectu illius, cui benefacit, repetenda et dijudicanda est; ut scilicet eo major sit beneficentia, quo minus est debitum benefaciendi (2). Unde ita.—Beneficentia seu bonitas respec-

(1) Simili ratione argumentatur D. Thom. *Cont. gent.* Lib. II. Cap. 18. 40 dicens: *Deus non sic agit, quasi suâ actione aliquid acquirat, sed quasi suâ actione aliquid largiatur, quia non est in potentiâ, ut aliquid acquirere possit, sed solum in actu perfecto, ex quo potest aliquid elargiri.*

(2) Sic sane homo quidam nullo cognationis, grati animi vel alio quocunque vinculo tibi conjunctus, plus bonitatis erga te ostendit, si tertiam bonorum suorum partem tibi deleget, quam si debitor tuus totam suam fortunam, quam tibi debet, tibi reapse transcribat; tanto magis, si homo ille prævideret ingratum tuum erga se animum et abusum sui doni erga se ipsum directum. Applicatio ad Dei erga nos homines beneficentiam patet.

tiva in se spectata est in ratione inversâ debiti benefaciendi : atqui Deus, utpote ens a se et absolute independens (1), ex essentiâ suâ necessario infinite et ita distat ab omni debito erga quidcunque, ut ne concipi quidem possit alicui antecedenter aliquid debere ; ergo agere ad extra et creare vel minimum non potest, quin infinitam, non quidem in effectu, sed in se spectatam, beneficentiam exhibeat, adeoque ex essentiâ suâ est necessario infinite beneficus *in se.*

3° Beneficentia est perfectio in homine : atqui Deo in gradu infinito tribuendum est, quidquid perfectionis est in creaturis ; ergo est infinite beneficus *in se.*

Schol. Beneficentiam relate ad terminum non posse esse infinitam patet ex eo, quod nulla creatura possit habere infinitam recipiendi capacitatem. Imo potest Deus, in hypothesi, quod velit creaturas beatitudinem proprio etiam conatu et libere acquirere, iis, qui libere eam non acquirunt, salvâ suâ beneficentiâ nullam vel minorem, quam cujus physice capaces essent, beatitudinem conferre, non quidem voluntate antecedenti, sed consequenti, exigente id justitiâ, sapientiâ et sanctitate divinâ.

ARTICULUS III.

De justitiâ et misericordiâ Dei.

164. Justitia generatim sumpta communiter definitur : *Voluntas tribuendi unicuique suum jus.* Ast hæc definitio justitiæ proprio sensu Deo non convenit, cum nemo jus ullum proprie dictum in Deum habeat. Ita-

(1) *Theodiceâ,* sect. II. cap. 2. De independentiâ Dei. Pag. 310 et seqq.

que *justitia Dei* recte dicitur *bonitas respectiva cum sapientiâ sancte attemperata;* quatenus nimirum dum bonus est erga aliquos, bonus esse non cesset erga alios; sic princeps *ex bonitate* vult ex unâ parte tranquillitatem subditorum, ex alterâ neminem puniri: *sapientia* vero ipsi ostendit, non punire maleficum esse aperire viam omnibus sceleribus atque adeo tranquillitatem communem subvertere: unde bonitas exigit, ut puniat maleficos, ne bonus esse cesset erga bonos; ast ita tamen, ut ex dictamine *sanctitatis* ita bonus sit erga bonos, ut non fiat malus erga maleficos, adeoque ne ita puniat errantes ad reliquos terrendos, ut pœna excedat crimen delinquentis. Itaque erit summa et absoluta justitia, si bonitas cum sapientiâ et sanctitate sit perfecte attemperata, quibus positis sit:

165. PROP. I. Deus est infinite justus.

Prob. Ille est infinite justus, qui habet infinitam bonitatem respectivam, infinitam sapientiam et sanctitatem: atqui Deus per essentiam suam est infinite bonus, sapiens et sanctus, ut supra demonstratum est; ergo est etiam infinite justus per essentiam suam.

166. Misericordia est *prompta voluntas amovendi vel impediendi vera aliorum mala.* Unde

167. PROP. II. Deus est summe misericors.

Prob. 1° Qui veram aliorum felicitatem promovere studet, quod bonitatis respectivæ est, is sane etiam vera aliorum mala, utpote veræ felicitatis subversiva, impedire vel amovere vult, quod est misericordiæ; ergo misericordia est pars bonitatis respectivæ: atqui

Deus habet bonitatem respectivam infinitam et quidem per essentiam ; ergo per essentiam est etiam infinite misericors (1). Et vero

(1) Ut variæ difficultates circa bonitatem et misericordiam Dei, quæ maxime ex malo pœnæ æternæ ortum ducunt, hic breviter attingantur, in unicam objectionem et ad unicum responsum contrahimus ea, quæ supra Sect. II. Cap. 1° *de unit. Dei*, Pag. 296 et seqq. fuse tractavimus. Scilicet.

Deus *salvâ bonitate* suâ vel *non potuit concedere libertatem*, vel *concessâ libertate debuit concedere gratias efficaces*, ut nemo damnaretur.

Ad quod ita respondemus :

Deus salvâ bonitate non solum potuit creare, sed creatione etiam maximam bonitatem manifestavit. (Vide cap. præced. De bonitate Dei respectivâ : probationes duas priores.) Ast Deus si creat, necessario debet operi præstituere tanquam finem gloriam suam extrinsecam seu manifestationem divinarum suarum perfectionum, adeoque creare ens rationale seu ens intelligens, cui istæ perfectiones manifestentur. (*Cosmol.* Pag. 89 et pag. 92.) Ens vero intelligens est necessario liberum, (*Psych. Rat.* Pag. 110 notam ex S. Thom. et in nostrâ synopsi) et quidem, utpote creatum et consequenter finitum, liberum libertate finitâ adeoque cum possibilitate abusûs conjunctâ. Ergo

a) Deus *salvâ suâ bonitate potuit concedere libertatem*, et quidem cum possibilitate abusûs conjunctam; cum secus ne creare quidem adeoque nullam bonitatem respectivam exhibere posset. Imo libertas humana ea est, quæ sola compleat hominis beatitudinem. Ast

b) *Deus concessâ libertate non debet seu non tenetur impedire ejus abusum gratiis efficacibus*, et quidem

a) *Neque ex parte creaturarum*, quarum natura, utpote finita, potius abusum possibilem de se exigit

b) *Neque ex naturâ bonitatis divinæ*, sive *absolutæ*, utpote quæ includit necessario libertatem in omnibus operibus ad extra : sive *respectivæ*, utpote quæ non potest ad extra et in effectu infinita esse. Quemadmodum enim potentia Dei, utut infinita in se, non potest tamen infinitum opus producere, ut adeo ipsi non restet, nisi vel nihil vel aliquid finitum creare : ita etiam bonitas Dei respectiva, utut infinita in se, non potest tamen hominem ad summum possibilem gradum perfectionis et beatititudinis evehere, ut adeo et bonitati divinæ non restet, nisi vel hominem omnino non creare, vel eum destinare ad gradum aliquem perfectionis finitum. Ergo sicuti omnipotentiæ divinæ nemo vitio vertit, si mundum in hoc potius, quam alio gradu finitudinis creet, adeoque hoc potius quam alio modo velit eum ad finem ultimum creationis, i. e. ad manifestationem divinarum perfectionum tendere, ita a pari non est defectus aliquis in bonitate divinâ, si hominem in hoc potius, quam alio gradu perfectionis

2° Deus novit omnia mala, et potest illa amovere vel impedire; ergo nisi reipsa amoveat, summe bonus dici nequit, nisi tamen, ne aliis noceat (1), necessario debeat ea non impedire.

168. Corol. Ergo 1° Deus nec ad manifestandam suam justitiam, nec ullâ aliâ de causâ potest velle peccatum aut *voluntate antecedenti* peccatoris mortem: attamen misericordiæ non opponitur, ut peccatum negative

constituat, adeoque et ipsum hoc potius, quam alio modo ad finem ultimum totius creationis velit concurrere. Sicut enim, cur potentia divina mundum in hoc potius gradu finitudinis, quam in alio creet, ratio alia nulla concipi potest, quam liberrima Dei voluntas; ita a pari, cur bonitas divina inter finitos gradus perfectionis et beatitudinis, qui soli sunt illi possibiles, pro homine hunc potius, quam illum eligat, ratio nulla datur, quam liberrima Dei voluntas. Id adeo elucet ex ipsâ intrinsecâ naturâ beneficentiæ, quæ, ut beneficentia sit, libera sit oportet. Beneficium enim est id, quod quis ita dat, ut ei etiam liceat non dare; ut recte adnotat Seneca. Lib. 7, cap. 19. *De beneficiis*. Hinc fit, ut ei solum benefico, qui libere possit beneficium negare, nos etiam sentiamus obligatos ad gratum animum exhibendum; ei vero, quod necessario agit, uti v. g. currui atmodynamico, qui nos citissime ab uno loco in alterum transfert, repugnat gratias referre.

Pari ratione argumentari licet de misericordiâ Dei, quæ ad ejus bonitatem respectivam pertinet. Namque etiam misericordia Dei, utut infinita in se, non potest tamen ad extra omne malum a creaturâ tollere; siquidem omnis defectus ulterioris gradûs perfectionis et beatitudinis sit malum, omnem autem defectum perfectionis et beatitudinis Deus hoc ipso tollere nequeat, quod non possit creaturam ullam producere infinitam. Ergo non restat misericordiæ divinæ, quam inter varios gradus malorum. quibus creaturas affici necessarium est, seu, quod in idem recidit, inter varios possibiles gradus perfectionis et beatitudinis eum, quem libere voluerit, eligere: ut adeo etiam misericordia sit necessario libera ad extra, ita tamen, ut in exercitio actuali dirigatur sanctitate ex unâ et sapientiâ ex alterâ parte ad omnia coordinanda ad finem huic mundo præ reliquis mundis possibilibus electo libere præfixum. Unde jam sive Corollarium subnexum, sive responsa ad objectiones sequentes facile intelligentur.

(1) Vide n. 164 de justitiâ Dei; unde elucescit, ordinem in hoc mundo fore nullum, adeoque nec Deum vere bonum erga bonos et optimos quosque, si certum hominibus esset omnibus, quantumvis multa et magna scelera et crimina commisissent, semper a Deo esse parcendum.

permittat, aut ut mortem peccatoris *voluntate consequenti* velit, si hæc mala non impediendo in particularibus misericordia major ac bonitas universalitati hominum contingat. Unde potuit Deus velle, ut homines per conatus proprios et liberos beatitudinem assequantur, quia sic majus bonum est, licet præviderit multos esse perituros; 2° Deus ex se pronus est ad parcendum peccatori etiam maximo, et misericordiæ est, *aliquibus* per media efficacia ad pœnitentiam reductis reapse parcere, licet non teneatur hæc media dare ulli in particulari; imo nisi sanctitas et sapientia vetarent, vi misericordiæ solius seorsim spectatæ omnes salvarentur.

Dicunt: 1° Si Deus sit misericors, non intelligitur, cur Deus hunc ordinem elegerit, in quo tot pereunt; ergo non est misericors.

R. *N. Ant.* Ordo enim iste talis est, ut summa in eo eluceat sapientia, justitia, sanctitas, bonitas ac misericordia, quâ non solum multi peccatores ad pœnitentiam reducuntur, multi justi a peccato præservantur, sed *omnes* obtinent gratias vere sufficientes sive ad se præservandos a peccato, sive ad resipiscendum post peccatum; ergo iste ordo est ordo, in quo Deus suam bonitatem et misericordiam exercere potest, etsi modo finito; nullus autem ordo est, in quo infinito modo relate ad terminum suam bonitatem Deus manifestare potuisset; ergo cum nonnisi finiti modi possibiles sint, Deus, quem inter illos eligat, liber est, adeoque potuit et hunc præsentem ordinem eligere, elegit autem, ut suam exerceret libertatem.

Dicunt; 2° Cur ergo inter cadentes Deus aliquos ele- malios in peccato relinquit?

R. Quia, ubi sanctitas et sapientia se non opponit, agit misericordia; jam vero bono publico et ordini præelecto non nocet, adeoque sapientiæ et sanctitati non opponitur, ut aliquibus parcat, noceret vero, si parceret omnibus: nec propterea illi, quibus non parcit, conqueri possunt, quia omnes digni sunt pœnâ.

ARTICULUS IV.

De omnipotentia Dei

169. Omnipotentia est *vis reducendi ad existentiam, quidquid in se nullam involvit repugnantiam*, seu *vis omnia ex nihilo soloque voluntatis nutu efficiendi*. Prior definitio explicite solam vim creandi, posterior vero præterea vim producendi ad extra effectus quoscunque sive naturales sive supernaturales denotat, adeoque plura divinæ omnipotentiæ attributa, uti conservationem rerum, Dei ad actiones creaturæ concursum etc. complectitur. Quo sensu sit .

170. PROP. I. Deus est omnipotens.

Prob. I° Potentia seu vis agendi est perfectio; ergo et in Deo sit oportet : sed quidquid in Deo est, est infinitum; ergo et potentia in Deo est *infinita*, sive *entitative*, ut non sit potentia determinabilis ad actum, sed totus actus, et potentia vocetur tantum respectu libertatis tendendi seu terminandi; sive *quoad modum agendi*, ut opus non habeat materiâ ullâ aut instrumento; sive *quoad objectum*, ut nullo objectorum vel perfectionum productarum numero infinita divinæ essentiæ participabilitas seu virtus exhauriatur, adeoque Deus est omnipotens.

2° Deus est creator hujus mundi (ex Cosmol. et Arg. pro exist. Dei) : atqui ad creationem requiritur potentia infinita ; ergo....

Prob. Min. a) Omne ens in statu meræ possibilitatis ac physice nihil nullam habet tendentiam, nullam resistentiam ad existendum ; ergo unum possibile nec plus nec minus, quam aliud, suæ creationi resistit ; adeoque omnia æque facile seu eâdem potentiâ possunt creari, et qui potest unum, potest omnia (distributive sumpta) creare : atqui potentia omnia creandi est potentia infinita (1); ergo... *b*) Creare est esse ratio sufficiens ultima et completa existentiæ rerum possibilium : atqui *ens finitum*, utpote necessario ens *ab alio*, *non potest esse ratio sufficiens ultima propriæ existentiæ*, alioquin vi possibilitatis suæ existeret, ac proin esset ens necessarium et infinitum, ergo neque potest esse *ratio sufficiens ultima existentiæ aliorum entium;* quia nemo dat, quod non habet : sed quod non potest esse ratio sufficiens ultima existentiæ alicujus entis non potest creare ; ergo ens finitum non potest creare, seu ad creandum requiritur ens infinitum adeoque et potentia infinita.

COROL. Ex dictis patet, creaturas seu entia finita nequidem posse concurrere tanquam causas instrumentales ad creandum, uti aliqui auctores cum Avicenna arbitrati sunt. Potest quidem Deus uti operâ creaturæ in operibus, quæ præexistentem materiam *ex quâ* supponunt ; ast in creatione non est nisi intellectus Dei omnia possibilia

(1) Si enim esset finita, cogitari posset ens aliquod possibile majus istâ potentiâ, v. g. Angelus majoris potentiæ, quam ipsa potentia divina : quovis enim finito minus finitum cogitari potest.

cognoscens et voluntas efficax inter possibilia unum præ alio eligens, jam vero ad hos actus Dei nullam creaturam concurrere posse clarum est.

Schol. Deus, utut infinite potens, nequit tamen effectum infinitum producere, facta infecta reddere etc. (1) cum sit quid intrinsece impossibile, ad id autem, quod contradictionem involvit, i. e. ad nihil efficiendum nulla est potentia.

171. Cum omnipotentiâ, tanquam attributum, connexa est conservatio rerum creatarum. Intelligitur autem ex iis, quæ hucusque in decursu Philosophiæ sparsim tradita sunt, conservationem concipiendam esse ut actum creationis, formaliter tantam rei durationem intendentem, quatenus Deus eodem voluntatis nutu, quo vult rem existere, vult etiam eam tanto tempore existere, ut adeo vi ejusdem actûs, quo incipit res existere, etiam existentiam continuet et tanto tempore continuet (2).

(1) Plura etiam alia hujusmodi affert Plinius: *Hist. natur.* Lib. II. Cap. 5. ad labefactandam fidem in omnipotentiam Dei. Ast S. Thomas simplici responso: *Deus hoc non potest, quia est contradictio:* hujusmodi refutat. Jam ante D.Thomam S. Anselmus *Proslog.* Cap. 7 ad eadem respondit, dicens: *Sed et omnipotens quomodo es, si non omnia potes? Aut si non potes corrumpi, nec mentiri, nec facere verum esse falsum: aut, quod factum est, non esse factum, et plura similiter: quomodo potes omnia? Aut hæc posse, non est potentia, sed impotentia. Nam qui hæc potest, quod sibi non expedit et quod non debet, potest, quæ quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia.* Fortius etiam loquitur D. August. *Serm.* 214 *in traditione Symboli III.* dicens, Deum hæc et hujusmodi alia non posse, quia non vult et velle non potest. Nam: *Quia non vult, non potest, quia et velle non potest. Non enim potest justitia velle facere, quod injustum est, aut sapientia velle, quod stultum est, aut veritas velle, quod falsum est.*

(2) Uti jam D. Thomas docet *Summa Theol.* P. 1. Quæst. 8. art. 1. ubi postquam dixisset, quamvis creaturam esse effectum Dei quà causæ, et

Verum Philosophi inter se unanimes quoad definitionem conservationis ex parte Dei, ut sit *ratio sufficiens*, *ut ens creatum existentiam suam continuet*, tamen dissentiunt circa naturam istius rationis sufficientis, et hinc conservationis, et admittunt *alii* conservationem *directam*, quâ Deus *actu positivo* creationis res etiam conservet, ut ad earum annihilationem non requiratur nisi mera cessatio seu non ulterior continuatio istius actûs positivi; *alii* vero *indirectam*, quâ res semel existentes per se quidem et propriâ virtute existentiam continuarent, Deus vero ea solum removeret, quæ ipsis possent interitum afferre, ut adeo ad earum annihilationem requiratur actus Dei positivus. Contra hos sit :

172. PROP. II. DEUS RES OMNES CREATAS, ET QUIDEM DIRECTE, CONSERVAT.

Prob. Vel Deus directe conservat res creatas, vel hæ propriâ virtute suam existentiam continuant : atqui res creatæ nequeunt propriâ virtute suam existentiam continuare. Nam si ens creatum per se et propriâ virtute suam existentiam continuaret, a primo suo ortu rationem suæ existentiæ in se solo contineret : atqui hoc repugnat. Vel enim ratio illa existentiæ esset *in essentiâ entis*, vel esset tantum *accidens entis* : atqui non potest esse in *essentiâ vel possibilitate entis* ; secus ens creatum esset ens *a se*, cum existeret vi essentiæ seu vi possibilitatis suæ : sed

ideo Deum cuivis creaturæ immediate conjungi; addit : *Hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur : sicut lumen causatur in aëre a sole, quamdiu aër illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet, quod Deus adsit ei secundum modum, quo esse habet.*

neque potest esse *accidens entis*, quia accidens supponit subjectum se prius, cui inhæreat; ergo ens creatum existeret vel existentiam continuaret vi accidentis ex hypothesi, et non existeret vi accidentis, quia prius debet existere, quam ut capax sit accidentis; ergo ens creatum rationem continuatæ suæ existentiæ non potest in se habere, adeoque rationem ut existentiæ primo momento, ita existentiæ 2°, 3°, 4° etc. momento habet in Deo seu in actu Dei creante, prout tantam rei durationem intendit; ergo..... (1)

OBJECTIONES.

173. OBJ. 1° Ens creatum existentiam, quam semel accepit, retinet, donec eâ spolietur; ergo res semel existentes non indigent conservatione directâ.

R. *D. Ant.* Ens creatum existentiam retinet per se et suâpte virtute, *N. Ant.* Per actionem, quâ a Deo con-

(1) Directam rerum mundanarum conservationem admittit et defendit etiam S. Augustinus, *de Genesi ad litter.* Lib. IV. Cap. 11, dicens: *Creatoris potentia et omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessasset, simul et illorum cessaret species omnisque natura concideret.... Neque enim, sicut structor ædium, quum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus, ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit.* Idem docet Mallebranche (VII. *Entret. Métaph.* n° 7) dicens: *Si le monde subsiste, c'est donc parce que Dieu continue de vouloir que le monde soit. La conservation des créatures n'est donc, de la part de Dieu, que leur création continuée. Je dis de la part de Dieu qui agit, car de la part des créatures, il y paraît de la différence, puisqu'elles passent du néant à l'être par la création, et par la conservation elles continuent d'être. Mais en Dieu, la conservation et la création ne sont qu'une même volonté.*—Idem etiam sentit Fénelon (*Traité de l'exist. de Dieu*, part. II, cap. 5, art. 3), attamen conservationem considerat quasi seriem succedentium sibi creationum, quatenus existentiæ rerum renoventur per novas continuo creationes.

servatur, *C. Ant.* et *N. Cons.* Nam cessante hoc actu annihilatur ens, quin activâ quâdam vel positivâ spoliatione opus sit.

OBJ. 2° Ad infinitam Dei potentiam pertinet, res producere, quæ suâpte virtute in statu semel accepto perseverare possint ; ergo.... Et vero animæ humanæ sunt naturâ suâ immortales ; ergo ex naturâ habent, ut continuent existere.

R. *D. Ant.* Quæ perseverare possint Deo conservante seu rationem existentiæ non retrahente, *C. Ant.* Secus, *N. Ant.* et *Cons.* Ad potentiam enim Dei non pertinet, posse res producere, quæ intrinsece impossibiles sunt : atqui intrinsece impossibile est ens creatum, quod suâ virtute existentiam continuet. Esset enim simul ens *ab alio,* et simul ens *a se,* vel certe ante ipsam rationem sufficientem suæ existentiæ existeret, si hæc ratio sufficiens supponatur esse accidens entis ; ergo....

Quoad Rat. add. D. Ant. Animæ humanæ sunt naturâ suâ immortales eo sensu, quod in naturâ contineant rationem suæ existentiæ, *N. Ant.* Eo sensu, quod, quamdiu servantur a Deo, nullis naturalibus causis destrui vel vitâ privari possint, *C. Ant.* et *N. Cons.*

Inst. Etsi machina aliqua, v. g. horologium, operâ artificis indigeat, ut existere incipiat, deinceps tamen absque istâ existere potest ; ergo a pari.

R. *C. Ant. N. Cons.* et *par.* Nam substantiæ alicujus horologii ab opifice non existentiam, sed certum modum coexistendi recipiunt, quem deinceps suismet viribus conservant, quamdiu unà cum his viribus a Deo conservan-

tur, neque a causâ aliquâ extraneâ ad alium modum coexistendi determinantur. Ens autem creatum nihil in se habet vel habere potest, quo existentiam ipsam, adeoque quidquid habet, continuet; ergo si, nisi directe conservatum a Deo, existentiam continuat, eam reipsa absque omni ratione sufficiente continuat (1).

174. Ex quæstione de conservatione resolvenda est quæstio altera *de concursu Dei ad actiones creaturarum.* Dicitur vero ens aliquod *concurrere* ad alterius actionem, si agendo contineat aliquam rationem, cur alterum ens agat. Sic concurrit et quidem *physice,* qui alteri ad agendum necessaria suppeditat, *moraliter,* qui consilio, adhortatione, imperio etc. ad agendum inducit. Vocatur autem concursus Dei *immediatus,* si Deus non minus ad existentiam effectûs, quam ad existentiam causæ concurrat; *mediatus* vero, si concursus duntaxat in eo consistat, ut Deus creaturis suis vim agendi conservet; *physicus,* si Dei influxus sit physicus; *moralis,* si sit influxus moralis, v.g. illustrando intellectum, movendo voluntatem etc. His prænotatis sit:

175. PROP. III. DEUS AD UNES ACTIONES CREATURARUM PHYSICE CONCURRIT.

(1) Id clarissime pro more suo explicat S. Thom. *Summ. Theol.* part. I. Quæst. 104. Art. 1. dicens : *Ædificator est causa domûs, quantum ad ejus fieri, non autem directe, quantum ad ejus esse..... Sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem activam, scilicet ignis : ita ædificator facit domum adhibendo cæmentum, lapides et ligna, quæ sunt susceptiva et conservativa talis compositionis et ordinis. Unde* ESSE *domûs dependet ex naturis harum rerum, sicut* FIERI *domûs dependet ex actione ædificatoris..... Sicut igitur* FIERI *rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum* FIERI, *ita nec* ESSE *rei potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectûs non solum secundum* FIERI, *sed etiam secundum* ESSE.

Prob. Qui agendo rationem continet, cur alter agat, ad illius actionem concurrit : atqui, de quacunque creaturæ actione sermo sit, Deus agendo rationem aliquam continet, cur ens creatum agat. Nam Deus agendo seu actu positivo conservat singulas creaturas, earumque omnem agendi vim, et quidem eo ipso momento, quo illæ vim suam exerunt seu quo agunt. Ergo ad omnes actiones concurrit per conservationem : sed conservatio est actio physica ; ergo ad omnes actiones concurrit physice.

176. Schol. Quæstio jam est, an *physicus Dei concursus*, qui, eo quod ad omnes omnino creaturarum actiones se exporrigit, recte etiam *generalis* dicitur, sit *immediatus* vel *mediatus*. Sunt, qui *ipsam hanc conservationem immediatum concursum* volunt esse, quatenus actio Dei, virium creatarum conservatrix, sit ratio quædam *proxima et immediata* quorumvis effectuum; alii autem volunt hunc concursum non esse nisi *mediatum* effectuum, quatenus Deus subjectum ceu principium, quod agit, et vim ceu medium, quo principium agit, conservat.

Verum inter hos, cum utrique Deum solâ conservatione directâ et positivâ ad actiones creaturarum concurrere doceant, lis magis de verbo, quam de ipsâ re est; an nempe *hæc conservatio* concursus *mediatus*, an *immediatus* sit appellandus.

Ast quæstio ulterior est, an non Deus præter conservationem rerum directam et positivam ratione quâdam peculiari et ita concurrat ad actiones creaturæ seu causæ secundæ, ut non modo sit ratio sufficiens immediata et

proxima existentiæ causæ secundæ, sed *simul cum causâ secundâ* etiam *ratio sufficiens proxima et immediata* ipsorum *effectuum* causæ secundæ, quos consequenter simul cum creaturâ operante etiam Deus *immediate* operetur; uti v. g. effectum visionis physicæ seu actualem aliquam visionem physicam simul cum animâ operante, i, e, visum intendente, quà principio visionis subjectivo operatur lumen physicum, quà principium visionis objectivum.

Quâ in re prænotandum est:

a) Agi hic de *concursu* Dei, *non morali*, *nec supernaturali*, sed *physico* tantum et *naturali* ad *actiones mere physice*, seu quatenus vi physicâ ponuntur, *spectatas*. Ad actiones enim creaturæ quà naturaliter honestas, multoque magis ad actiones ejus supernaturales Deus non solum physice, sed etiam moraliter concurrit, imo supernaturales creaturæ actus insuper speciali quâdam et supernaturali gratiâ promoveat necesse est.

b) Creaturas alias *necessario* agere: uti astra et generatim res omnes materiales; alias *libere*; uti creaturæ rationales: unde et concursus Dei immediatus ad istas diversæ naturæ actiones diversus sit oportet.

Atque his prænotatis jam, quid circa hanc quæstionem sentiamus, breviter exponemus:

a) *Concursus* Dei ad *actiones causæ necessariæ* ab ipsius *conservatione* directâ et positivâ *non est distinctus*. Etenim Deus actu voluntatis eodem, quo *causas necessarias* vult existere, vult eas, omni vi suâ instructas, etiam tanto tempore seu cum tot sibi intrinsecis successionibus et singulas in tali cum aliis combinationum et relationum serie

existere : ergo eas omnes, uti ad existentiam tantam ac talem, ita ad singulos earum effectus et actus determinat actu voluntatis eodem : atqui actus Dei, quo creaturas seu causas necessarias ad tantam ac talem existentiam determinat, est ipse actus conservationis directæ et positivæ (1) ; ergo etiam actus quo Deus concurrit ad actiones causarum necessariarum, a conservatione directa et positiva non est distinctus.

Hic autem *concursus*, an *immediatus* an *mediatus* nominandus sit, ex supra dictis lis de verbo est.

b) *Concursus* Dei *ad actiones* vitales spirituum, i, e, ad cognitiones et volitiones *creaturarum liberarum est simultaneus, immediatus ad ipsos actus*, et hinc *a conservatione* etiam directâ et positivâ *distinctus*. Etenim ex una parte Deus actiones ipsas creaturæ rationalis, utpote *causæ liberæ*, non æque ac creaturæ irrationalis, utpote *causæ necessariæ*, potest actu voluntatis suæ prædeterminare, cum secus periret libertas : ex alterâ vero parte, ut *creatura rationalis actum* rationalem vel liberum *ponat, non sufficit, ut Deus eam* ipsam ipsiusque vim omnem cognoscendi et volendi *simpliciter conservet*, sed, ut creatura rationalis, v. g. mens humana actu aliquam cognitionem vel volitionem elicere possit, requiritur necessario, ut Deus *actu simultaneo et immediato* voluntatem humanam moveat, et quà principium objectivum omnis cognitionis ad singulas cognitiones, et quà principium objectivum omnis volitionis ad singulas volitiones *immediate* concurrat. Ergo *concursus Dei ad actiones creaturæ ratio-*

1) Vide supra n. 171. Pag. 372.

nalis præter mediatum per conservationem est etiam *immediatus ad ipsos actus* et a conservatione distinctus.

Quomodo vero hujusmodi concursus ex parte Dei ad omnes actiones creaturæ rationalis requiratur, et quà ratione cum hujusmodi concursu et integra maneat activitas mentis humanæ et salva ejusdem libertas, supra in Psych. Rat. (1) fuse explicatum est (2).

(1) Sect. II. Cap. 1. Art. 2 et 3. Pag. 179 et seqq. et Cap. 2. Art. 1. Pag. 224 et seq.

(2) Operæ pretium erit adnotare, quid D. Thomas circa concursum Dei sentiat, quamvis nec de immediato nec de mediato concursu loquatur, nec concursum ad actiones causæ necessariæ a concursu ad actiones causæ liberæ explicite distinguat. Ita autem *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 105. Art. 5. habet: *Deum operari in quolibet operante aliqui sic intellexerunt, quod nulla virtus creata aliquid operaretur in rebus, sed solus Deus immediate omnia operaretur : puta, quod ignis non calefaceret, sed Deus in igne : et similiter de omnibus aliis.*

Hoc autem est impossibile, primo quidem, quia sic subtraheretur ordo causæ et causati a rebus creatis, quod pertinet ad impotentiam creantis. Ex virtute enim agentis est, quod suo effectui det virtutem agendi. Secundo quia virtutes operativæ, quæ in rebus inveniuntur, frustra essent rebus attributæ, si per eas nihil operarentur; quinimo, omnes res creatæ viderentur quodammodo esse frustra, si propriâ operatione destituerentur...... Sic igitur intelligendum est, Deum operari in rebus, quod tamen ipsæ res propriam habeant operationem.

Jam explicat, qua ratione Deus ita concurrere ad omnes actiones creaturarum dici possit. Quatuor enim ait esse species causarum : *materiam*, quæ non tam principium, quam subjectum actionis sit, *finem*, *agens*, et *formam*, quæ sint actionis principium, et secundum quæ omnia Deus in quolibet operante aliquid operetur. Et quidem inprimis Deus in creaturis agit *secundum rationem finis*. Nam *cum omnis operatio sit propter aliquod bonum verum vel apparens* (*nihil autem est vel apparet bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus*) *sequitur, quod ipse Deus sit cujuslibet operationis causa ut finis.* Dein *secundum rationem agentis et formæ*, quatenus : *Si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis. Nam primum agens movet secundum ad agendum; et secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei, et ita ipse est causa omnium actionum agentium.* Nempe sicuti v. g. in horologio motus indicis a motu alicujus rotulæ, et motus hujus a motu alterius, et ita porro, dependet, donec ad elaterium perveniatur, quod, utpote primum movens materiale in horo-

Objiciunt. Si Deus ad omnes actiones creaturæ rationalis immediate concurrit, concurrit etiam ad actionem peccaminosam: atqui hoc est absurdum, ergo.

R. *D. Maj*. Concurrit ad actionem peccaminosam, quà *actionem physicam*, quæ in se bona et reale quid est; *C. Maj*. Quà *actionem peccaminosam*, quatenus deficit a regulâ moralitatis, *N. Maj*. Nam inprimis conservando vim inter duo alterutrum eligendi Deus relinquit peccatum possibile, quod non repugnat: ast ad peccatum ipsum non magis concurrit, quam pater ad peccatum filii, quem genuit et nutrit. Deinde etiam, quà principium objectivum cognitionis et volitionis concurrens immediate ad actionem ipsam quà physicam, non magis concurrit ad actum quà peccaminosum, quam lumen, quà principium objectivum visionis physicæ concurrit ad aspectum turpem, præcise quà turpem: quia scilicet, sicut visio physica, ut actio physica in se bona, pro termino habere potest objectum aliquod pium æque ac turpe pro liberâ electione videntis, ita cognitio aliqua vel volitio, ut actio physica in se etiam ipsa bona, pro termino habere potest objectum aliquod ad legem moralitatis coordinatum vel non çoordinatum pro liberâ electione cognoscentis vel volentis. — Demum auctor peccati ille est, cujus volun-

logio, omnia reliqua moventia moveat, adeoque omnes motus eorum etiam ipsum cum intermediis moventibus causet; ita Deus et res et vires rerum seu res secundum proprias cujusque formas creans easdemque conservans, omnia, quæ ab ipsis causantur, etiam ipse quà prima causa seu primum agens cum ipsis causis intermediis causat. Unde dein, ut idem D. Thoma advertit: *Cont. gent*. Lib. III. Cap. 70 in fine: *Patet, quod non sic idem effectus causæ naturali et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus.*

tate peccatum existit; qui nempe vel peccatum *libere* admittit vel *moraliter* ad illud concurrit; ast Deus non moraliter, sed physice tantum ad peccatum concurrit, neque concursu physico peccatum libere admittit, cum concursus hic non sit necessario connexus cum peccato.

ARTICULUS V.

De providentia Dei.

177. PROVIDENTIA (a *prævidere*) definiri potest: *Voluntas sapienter disponens ac dirigens ordinem mediorum ad finem.* Usu nonnihil differt *a gubernatione*: providentia enim proprie est *ratio divina, quæ cuncta disponit;* gubernatio vero est *executio hujus dispositionis;* sed a nobis providentia hic usurpatur, prout simul exprimit rationem disponentem ac dispositionis executionem; uti eandem etiam explicat S. Thomas (1)

Contra providentiam sic sumptam insurrexerunt olim Epicuræi (2) et Stoici (3), insurgunt hodiedum deistæ plurimi, qui supremum judicem reformidantes negant, Deo curæ esse res humanas. Contra quos sit:

178. PROP. DEUS EST SUMME PROVIDUS

Prob. 1° Entis intelligentis est *non agere nisi propter finem* aliquem: sed qui vere vult finem, necessario vult etiam media ad finem; ergo entis intelligentis est *velle media*

(1) Part. I. Quæst. 22. Art. 1 ad 2

(2) Quorum unum ita inducit loquentem Cicero, *De nat.Deor.* Lib. I. n° 54. *Imposuistis cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus; quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum!*

(3) Vide Ciceron. *De nat. Deor.* Lib. 3

ad finem. Atqui media non sunt media ad finem seu medii rationem non habent, nisi disposita ac directa sint ad finis consecutionem; ergo entis intelligentis est *disponere ac dirigere media ad finis consecutionem.* Atqui nullum ens creatum in mundo est aut esse potest, quantumvis minimum, quod a Deo non sit creatum ad finem aliquem, eo ipso, quod creatum sit a Deo ente intelligentissimo, quod non potest non intelligenter creare adeoque ad finem aliquem creare; ergo nullum est ens, quod a Deo disponi ac dirigi ad finem non debeat, adeoque non reipsa ad finem disponatur ac dirigatur: atqui providentia est dispositio et directio mediorum ad finem; ergo Deus est summe providus.

2° Si Deus omnibus rebus creatis non providet, vel est, *quia nescit*, vel *quia non potest*, vel *quia non vult*: atqui, *non*, *quia nescit*: est enim omniscius et sapientissimus; *non*, *quia non potest*: est enim omnipotens; *non*, *quia non vult*: nam si quâ de causâ id nollet, maxime, ut aiunt, quia eum dedeceret: atqui Deum non magis dedecet operibus suis providere, quam ea creare, imo contra dedeceret Deum rebus a se creatis non providere. Ut enim ait S. Ambrosius (1): *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat aut destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est non regere, nonne major est injuria fecisse et non curare?* Ergo cum Deus res quaslibet creavit, et quidem, prout eas habere voluit, creavit, necesse est, ut illis etiam provideat.

Argumenta alia desumi possunt ex ordine mundi tum physico tum morali, ex consensu populorum etc. (2).

(1) De Offic. ministr. Lib. 1. Cap. 13. N° 18.
(2) Vide *Theod*, Sect. I. Cap. 2 et 3. Pag. 269 et seqq. et Pag. 277 et seq.

OBJECTIONES.

179. OBJ. 1° Si Deus dirigit omnia ad finem; ergo et peccatum et hominem peccantem dirigit ad manifestandam suam justitiam : atqui si Deus peccatum et hominem peccantem dirigit ad finem', vult peccatum et hominem peccantem ut medium ad finem, quod repugnat; ergo....

R. *Tr. Maj. D. Min.* Deus vult peccatum et peccatorem ut medium voluntate consequente liberam hominis determinationem ad peccatum, *C. Min.* Voluntate antecedente, *N. Min.* Utique etiam peccatum dirigit Deus ad finem generalem, posito quod existat. Ast peccatum non est necessarium medium ad manifestationem justitiæ. Itaque Deus nec peccatum, nec manifestationem justitiæ suæ per peccatum, nec peccatoris damnationem vult *voluntate antecedenti*, sed solum *voluntate consequenti*, posito nimirum peccato et peccatoris morte in peccato. Id vero non repugnat : nam justitiæ manifestatio per rigorem pœnæ a liberâ hominis voluntate determinatur, quatenus recusando Deum libere glorificare juxta finem hominis, Deus, qui fine suo frustrari nequit, ex malo, quod non vult, scit eruere bonum manifestando justitiam suam per pœnam peccatoris, ita ut homo negando gloriam, quam Deo debet, quando se ut ens rationale non ostendit, saltem aliis manifestare debeat Dei attributa, et cum noluerit libere, jam cogatur gloriam Deo reddere et sic ad finem mundi generalem concurrere.

OBJ. 2° Saltem providentia tollit libertatem hominum.

Quod enim Deus vult, hoc infallibiliter futurum est: atqui Deus vult, ut omnia juxta suam dispositionem fiant; ergo....

R. *N. Ant.* Ad prob. *D. Maj.* Quod Deus vult, infallibiliter futurum est *vel* necessario *vel* libere, *C. Maj.* Semper necessario, *N. Maj.* et *par. D. Min. N. Cons.* Deus enim vult, ut alia libere, alia necessario eveniant in mundo. Nempe per providentiam generalem vult, ut omnia ad gloriam suam tendant: ast in dirigendis entibus ad hunc finem generalem sequitur naturam dirigendorum, adeoque per providentiam specialem vult, ut entia irrationalia ad finem tendant necessario; cum vero entibus rationalibus libertatem concesserit adeoque velit, ut finem attingant libere, secundum eorum naturam disponit ea ita, ut qualiscunque sit usus libertatis, ultimum creationis finem, i. e. gloriam suam extrinsecam obtineat. Verbo: Deus entia libera voluntate conditionatâ disponit eâ ratione, ut per ipsa semper finem creationis assequatur, v. g. Titius me glorificabit per suam beatitudinem, si bene utatur libertate: et id est, quod vult Deus et ad quod impellit motivis propositis voluntate antecedente relate ad omnes homines. Titius me glorificabit per æternam suam infelicitatem, si male utatur suâ libertate: et hunc modum glorificationis non vult Deus nisi voluntate consequente.

OBJ. 3° Plura fortuito eveniunt in mundo. Aliunde ridiculum est Deum sollicitum esse de minimis, sicut ridiculum esset, si rex minima per seipsum curaret; ergo....

R. *Ad* 1um *memb. N. Ant.* Nihil enim evenit sine ra-

tione sufficienti, adeoque nihil fortuito, nisi apparenter, quatenus ratio sufficiens alicujus eventûs nos latet. *Ad* 1um *memb. N. Supp.* Non enim Deus sollicitus est, uti homo, nec multâ curâ vexatur, sed sicut unico voluntatis actu cuncta creavit, sic eodem actu cuncta disponit ac dirigit. Neque dedecet Deum minima curare : magnæ enim et parvæ nobis quidem res sunt, non vero Deo; coram Deo enim nihil, quod finitum est, magis vel minus æstimabile est, sed relate ad se considerata omnia nihil sunt, etsi ut opera manuum suarum non possit non ea æstimare. Itaque nulla est paritas Dei cum rege : huic enim alia majora, alia minora sunt: unde, cum, utpote finitus omnia per se curare non possit, minima perperam curaret; Deus vero vel nihil curare debet vel omnia; *inprimis* ratione æstimabilitatis relate ad ipsum, cum omnia sint ejus opera, et *dein*, quia majora curare et dirigere nequit, quin curet et dirigat minima, ex quibus majora coalescunt. Inde patet etiam responsum ad illud, quod Fridericus M. rex Borussiæ (1) objicit, Deum solummodo rerum species curare, non vero quodvis individuum. Species enim nihil aliud est, quam collectio individuorum; ergo, si Deus speciem curat, curat etiam individua.

OBJ. 4° Videmus constanti experientiâ sua cuique negotia pro ratione industriæ succedere. Mercator impius, sed solers, ditescit; bonus, sed incurius, in imis hæret. Idem dic de integris nationibus, quæ, quo magis industriæ fuerint, peritiores belli duces etc. habuerint, magna undique incrementa capiunt, et contra; ergo

(1) Philosophe de Sans-souci. Tom. I. Epît 3me à M. de Maupertuis.

Deus res humanas non curat, sed hominibus relinquit.

R. *C. Ant. N. Cons.* Nam id solum ex antecedenti sequitur, postulare Deum ab hominibus non solum pietatem, sed etiam industriam et prudentiam, quæ si ab hominibus non adhibeantur, suum causis naturalibus cursum relinquere. In quo sane Deus provide agit, cum secus agendo homines incurios et rerum suarum negligentes, imo etiam pigros et otiosos efficeret.

Inst. Sed si Deus rebus humanis provideret, permittere non posset, ut, quod passim fieri videmus, scelesti prosperâ utantur fortunâ, boni autem mille calamitatibus conflictentur; ergo Deus rebus humanis non providet.

R. *N. Ant.* et hinc *Cons.* Inprimis enim falsum est, id tam passim fieri, ut boni affligantur, mali prosperent. Dein, etsi verum esset, *a*) nemo ita bonus est, ut non quandoque delinquat; nemo ita malus, ut non aliquid interdum boni operetur. Igitur juste possunt in hac vitâ boni pœnis, mali præmiis affici, præsertim cum hi nullam in alterâ vitâ mercedem, nisi resipiscant, exspectare possint. *b*) Providentia etiam ultra hujus vitæ terminos protenditur, ut adeo Deus utrisque, sive bonis sive malis, in vitâ alterâ sua pro meritis vel præmia vel supplicia impertiri possit (1).

(1) Vide de providentia divina etiam Tullium : *De naturâ Deor.* Lib. 1. — Tertullian. *Contra Marcionem.* Cap. 24. — Lactant. *De irâ Dei.* Cap. 9.—S. August. *De verâ religione.* Epist. 70. — Senecam : *De beneficiis.* Lib. 4. Cap 7.—Leonard Lessium, S. J. *De providentiâ et immortalitate animæ.* — De Maistre : *Soirées de Saint-Pétersbourg.* — Young : *Nachtgedanken.* Pag. 297-299.

Verum hæc de Deo atque adeo de Philosophiâ theoreticâ dixisse sufficiat. Memores vero semper simus, nihil juvare alta de Deo disputare, si careamus humilitate, unde displiceamus divinitati, ne iis assimilari mereamur, qui *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum* (1).

(1) Ad Roman. Cap. I. v. 21 et 24.

SYNOPSIS PHILOSOPHIÆ.

1. In scientiâ quâcunque tradendâ *duplex via* eligi potest : scilicet *vel via,* quæ *subjecto scientiæ* illius seu ingenio discentium sensim evolvendo magis accommoda est ; cum nimirum incipitur a sensibilibus et facile intelligendis et paulatim ad insensibilia et difficiliora transitur : *vel via,* quæ *objecto scientiæ* seu naturali veritatis connexioni dilucidandæ magis apta est, cum nimirum ex ideâ principe per continuas conclusiones totum systema deducitur. — Priorem viam secuti nos sumus tradendo tyronibus præcepta et notiones philosophiæ : operæ autem pretium erit, etiam alterâ viâ succincte philosophiam enucleare, ut ita totum systema, prout variæ ejus partes interne sibi mutuo cohærent et ab invicem defluunt, breviter quasi sub uno conspectu ob oculos ponatur.

2. Verum ante omnia animadvertendum hic est.

A. Quandocunque de scientia agitur, de scepticis universalibus sermonem esse non posse.

Præterquam enim, quod natura ipsa humana sive psychologice sive moraliter considerata a scepticismo abhorreat, insuper, ut patet, intrinsece repugnat, aliquid scire et veritatem non cognoscere : intime veritati cognitæ ad-

hærere seu, quod idem sonat, evidenter intueri, rem aliquam ita esse et aliter esse non posse, et de eâdem re dubitare aut adeo eam negare (1).

B. Ideam absoluti necessariam et omnis scientiæ fundamentalem atque adeo radicem esse (2).

Id enim et *natura tam objecti quam subjecti cognitionis* seu *natura tam rerum cognoscibilium, quam rationis humanæ cognoscentis* requirit, et *idea scientiæ* postulat, et tota ab omni antiquitate *historia philosophiæ* testatur. Et quidem.

a) *Natura objecti cognitionis seu rerum cognoscibilium.*

Cognoscibilia enim necessario sunt vel *absolutum vel relativa, Relativa* vero utique in indefinitum sine ullo fine ad alia et alia continuo referri repugnat; cum secus essent relativa, quia referuntur ad aliud; et non essent relativa, cum ultimato nihil esset, ad quod referrentur. Sicut enim non mutuâ dependentiâ in serie vel circulo infinito ab invicem dependere, ita neque mutuâ relatione ad invicem relativa esse possunt, quin sit perpetuo relatio sine ullo fundamento relationis (3). Unde idea relativorum necessario supponit ideam absoluti.

b) *Natura subjecti cognitionis seu rationis cognoscentis.*

Natura enim rationis est ratiocinari seu a conditionatis ad conditionem eniti, donec ad ultimam conditionem, quæ eo ipso nullam aliam præsupponere potest, perve-

(1) Vide *Log. Applic.* Sect. II. *De scepticismo.* Pag. 107 et seqq. et Sect. III. *De Evidentiâ.* Pag. 122 et seqq.

(2) Id ipsum postmodum ex theoriâ totius systematis illucescet.

(3) Vide *Ontol.* Part. II. Sect. III Cap. 1. Pag. 285 et seqq.

nerit: hæc porro alia esse nequit, quam absolutum. Ex ratiocinio insuper patet, rationem ex naturâ suâ ad unitatem continuo eluctari: unitas autem omnimoda in relativis esse nequit, cum omne relativum necessario aliud respiciat adeoque dualitatem implicet. Ergo natura rationis requirit ideam absoluti ut fundamentum suarum operationum.

c) *Idea scientiæ.*

Scire nempe est cognitionis suæ ultimam rationem reddere: sed ultima ratio reddi nequit, quin ad absolutum perveniatur; cum omne, quod absolutum non est, sit relativum et conditionatum, quod absolutum tanquam conditionem et terminum ultimum relationis necessario præsupponit. Ergo sine idea absoluti nulla scientia possibilis. Demum

d) *Historia philosophiæ.*

Philosophi enim omnes aut nihil certi admittunt; et sunt sceptici, de quibus ex dictis nobis sermo non est; aut certitudinem aliquam dari adeoque aliquid existere contendunt, et tum necessario esse aliquod absolutum explicite vel implicite agnoscere debent, cum vel enti extra-mundano vel materiæ vel menti suæ existentiam æternam et a se adeoque esse absolutum seu esse, quod a nullo alio sit ac proin ad nullum aliud referatur, attribuere necessario teneantur. Et vero si a verbis et a variâ concipiendi et proponendi methodo abstrahamus, et intimam solum systematum philosophicorum naturam et quasi essentiam perscrutemur, animadvertemus, exceptâ theoriâ creationis, reliqua systemata omnia vel ad scepticismum vel ad pantheismum referri, sive hunc dein materialismum sive fatalismum sive casualismum sive ema-

natismum transeuntem vel immanentem vocare libeat (1). Jam vero pantheismus, quocunque nomine palliatus, absolutum, ut patet, non modo admittit, sed etiam absolutum *solum* et unice admittendum esse propugnat. Unde præter scepticos nemo unquam philosophus absoluti ideam rejecit vel omnino rejicere potuit, sed imo cuncti tanquam ideam fundamentalem et radicem suorum systematum amplecti debebant et vero amplexi etiam sunt.

3. His præmissis expositionem systematis philosophici ita proponemus, ut primum quidem subjectivam solum evolutionem systematis spectemus, quin ad objectivam ejus realitatem attendamus; deinceps vero in decursu exponetur, quâ ratione a subjectivo ad objectivum perveniamus.

EXPOSITIO

SYSTEMATIS PHILOSOPHICI.

4. *Prima idea*, homini connaturalis (2) et hinc ab omnibus philosophis necessario admissa, est idea absoluti (3); radix omnis scientiæ.

(1) Vide *Cosmolog.* Sect. I. Cap. 1, 2 et 3. Pag. 5 et seqq.

(2) Voco ideam absoluti connaturalem eo sensu, quo Cartesius ambigue ideam Dei appellat innatam, non quod idea ipsa absoluti inhæreat menti humanæ, sed quod in homine naturalis insit prædispositio ad percipiendum tempore opportuno hanc ideam, uti quibusdam familiis, quemadmodum loquitur Cartesius. Epist. 30. Tom. II. (Vide *Psych. Ration.* Sect. II. Cap. 2. notam ad proposit. 3am) ingenitus dicitur aliquis morbus, non quod morbum ipsum infantes istarum familiarum habeant, sed tantum, quod cum quâdam ad hunc morbum prædispositione naturali nascantur.

(3) Non certe omnes philosophi ideam absoluti sub hoc præcise no-

5. In fundamento itaque scientiæ ponendo error et veritas consentit (1). Ast ad primam jam ideæ absoluti evolutionem in diversa philosophi abeunt, et alii pantheismum, alii dualismum sequuntur, seu, ut clarius loquar, alii, *absolutum solum* existere contendunt rejectâ creatione; alii *præter absolutum*, sed *ab absoluto* existentiam creaturæ propugnant, id quod, licet improprie, dualismus a multis vocatur. Nempe

6. *Absolutum* sub duplici respectu considerari potest: *primo* quidem quasi *a priori* seu in suâ essentiâ; et sub hoc respectu ab omnibus philosophis, quamvis diversâ ratione, apprehenditur ut *infinitum et omne esse* (2). Ast

mine explicite admittunt. Multi enim absolutum nomine concreto sine aliis præambulis Deum appellant; pantheistæ vero pro variâ ratione systematis, quod constituunt, alii illud materiam (ὕλη), alii unum aut esse, alii ideam puram aut esse purum etc. nuncupant. Ast sub vario isto nomine in se semper absolutum concipiunt.

(1) Adeo ne errare quidem quis potest, quin eandem hanc absoluti admittat saltem implicitam ideam. Error enim nullus sine aliquali saltem notione veritatis in se seu veritatis absolutæ, seu, quod idem est, sine notione absoluti.

(2) Apud pantheistas modernos, qui logico seu ideali pantheismo maxime insistunt, absolutum in se consideratum idem fere sonat, ac ens generice sumptum seu genus supremum. Scilicet, quemadmodum v. g. equus, arbor, spiritus etc. logice concipi potest ut ens certo quodam modo determinatum seu ut genus supremum in suas species vel in sua individua modificatum, sic res quæcunque est ipsis absolutum certo quodam modo determinatum, seu una ex infinitis positionibus absoluti. Sicut autem per abstractionem genus supremum *in se* considerari potest ut nondum in suas species et individua distinctum; ita etiam absolutum per abstractionem concipiunt ut adhuc indeterminatum. Atque ita *absolutum in se* et quasi *a priori* consideratum est idem, ac apud Indos (in Vedanta) Brahma somno sopitus et ens indeterminatum, vel apud Schelling absoluta indifferentia omnium differentium, vel apud Hegel idea pura vel esse purum, i. e. esse nullâ modificatione determinatum, etc. Ast licet sic per abstractionem quidem et solum logico conceptu considerari absolutum possit, in se tamen et objective necessario concipi debet ut semper essen-

cum *omne esse* necessario concipiatur continere in se et *esse vitæ*, hinc *secundo* absolutum, ut plena ejus notio habeatur, æque necessario concipi debet in suâ absolutâ activitate et vitâ seu *in evolutione sui*. Jam vero.

7. *Hanc evolutionem* pantheistæ ex ipsâ ideâ pantheismi concipere debent, ut *evolutionem absoluti in secum identica et quidem necessariam*. — *Ut evolutionem in secum identica;* scilicet in attributa aut modos ejusdem secum substantiæ et essentiæ : quia juxta doctrinam pantheismi omnia, quæcunque sunt aut esse possunt, necessario unum idemque esse sunt; ergo et ea, in quæ se evolvit absolutum, identificantur cum essentiâ ipsius (1). *Ut evolutionem necessariam:* absolutum enim necessario cogitatur ut ens necessarium adeoque necessario hoc ens, utpote quod omnia, quæcunque est, ex essentiâ suâ est, quod autem ex essentiâ (ex ipsâ possibilitate, ideâ) est, necessario est (2). Verum.

8. Absurdum est.

A.—*Absolutum evolvi in secum identica*, modo quo-

tialiter juxtà naturam sui esse determinatum ; cum aliunde, quam ex essentiâ suâ, utpote solum esse, determinari non possit : quod autem ex essentiâ est, semper est.

(1) Vide expositionem systematis pantheistici. *Cosmol.* Sect. I. Cap. 3. Pag. 31 et seqq

(2) Cæterum hoc ipsi panthæistæ claris verbis profitentur. Ita Fichte in *Anweisung zum seligen Leben*, Pag. 163, necessitatem evolutionis in secum identica sic proponit : *Es giebt durchaus kein Sein und Leben ausser dem unmittelbaren goettlichen Leben. In Gott und aus Gott* WIRD *nichts*, ENTSTEHT *nichts, in ihm ist ewig nur das* IST ; *und was da sein soll, muss ursprunglich bei ihm sein, und* MUSS ER SELBST SEIN. — Apertius etiam idem enuntiat Hegel tum multis in locis, tum in *Religionsphilosophie*, I. Bd, pag. 21. 2ª Edit. dicens : *Die Philosophie ist.... Erkenntniss dessen, was ewig ist, was Gott ist und was aus seiner Natur fliesst : denn diese Natur* MUSS *sich offenbaren und entwickeln*. Confer. etiam D. Cousin. *Cosmol.* Sect. III. Cap. 1. Pag. 86 et 87 Notam.

cunque sive emanatione transeunte sive emanatione immanenti reali vel ideali : quia secus — a) eidem substantiæ inessent modi quam maxime oppositi, eidemque actiones omnino contradictoriæ eodem prorsus tempore essent attribuendæ; et—b) eidem absoluto, a se existenti et hinc necessario immutabili, successiva mutatio interne obveniret (1).

Quod si evolvi dicatur absolutum *per emanationem transeuntem*; —a) Esse absolutum esset simul simplicissimum, utpote infinitum, et simul compositum : simul immutabile et illimitatum, et simul mutabile et finitum (2). *Emanatio* vero *immanens neque realis* admitti potest, cum secus præter alia absurda eidem absoluto attributa contradictoria essent adscribenda; *neque idealis*, cum secus, præterquam quod absolutum varias successive positiones haberet, insuper — b) tolleretur omnis realis distinctio inter virtutem et vitium, justum et injustum etc. omnisque certitudinis fons occluderetur ita, ut consequenti philosopho nihil superesset, nisi absolutus scepticismus; imo — c) absolutum necessario concipi deberet ut Deus in fieri : *Gott im Werden*, quatenus per evolutiones successivas seipsum continuo perficeret (3). Absurdum etiam est.

B. *Absolutum necessario evolvi in* sensu pantheistico. —Dico *in sensu pantheistico*. Nempe absolutum, utpote infinite perfectum, est quidem necessario in actu, seu necessario agit. Perfectius enim est agere, quam non agere vel solum in potentiâ esse ad agendum. Ergo hoc

(1) Vide *Cosmol.* Sect. I. Cap. 3. Proposit. I. Pag. 35 et seqq.
(2) Ibid. Prop. II. Pag. 38.
(3) Ibid. Prop. III. Pag. 38 et seqq.

sensu absolutum necessario se evolvit, si tamen evolutionem vocare liceat, quod est ipsa intima essentia et hinc æterna constitutio entis. Ast absolutum, dum necessario agit, *actioni suæ necessariæ necessarium quoque terminum* præfigere, id vero pantheisticum et absurdum est. Nullum enim ens ad id necessitatur, quo non indiget: sed absolutum hoc ipso, quod est infinite perfectum, nullo determinato termino indiget; ergo nec ullum actioni suæ præfigere necessitatur (1). Et vero

9. *Ens absolutum est liberum libertate indifferentiæ et contradictionis* (2). Nam — *a*) Libertas indifferentiæ, i. e. libertas, actioni suæ necessariæ terminum ex contradictoriis alterutrum pro libitu præfigendi, est vera perfectio: ergo hæc libertas absoluto inesse debet (3). — *b*) Libertatis indifferentiæ habemus ideam: atqui hæc idea, nisi absolutum sit liberum libertate indifferentiæ, etiam in systemate pantheistico, utpote objecto carens, est

1) Breviter et venuste id ipsum ostendit S. August. [*Lib.* 83 *quæst. qu.* 22. dicens: *Ubi nulla indigentia, nulla necessitas, ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo, nulla ergo necessitas.*

(2) Dico absolutum esse liberum libertate indifferentiæ seu libertate immuni ab omni non solum coactione, sed etiam necessitate; et dein libertate contradictionis, non contrarietatis, quâ scilicet possit velle hoc vel illud bonum ad extra vel idem etiam nolle, non vero, quâ possit velle malum. Hæc enim omnia satis stolide confundit D. Cousin sive in *Hist. de la philosophie; cours de* 1828, 5e *leç.* sive in *Fragments philosophiq.* 1838. Vide textus ipsos citatos in *Cosmol.* Sect. III. Cap. 1. Pag. 86 in Nota. Consule de libertate ejusque variis distinctionibus. *Psych. Rat.* Sect. I. Cap. 1. Pag. 102 et seqq.

(3) Juxta theoriam creationis hæc libertas in absoluto evincitur præterea sive ex ipsâ creatione, quæ non potest esse, nisi actio libera Dei, sive ex libertate humanâ concludendo ad causam et ideam libertatis, juxta quam causa absoluta creavit hominem, et quam habere non potuit, nisi causa absoluta sit libera eâdem libertate.

impossibilis; ergo absolutum necessario concipi debet liberum libertate indifferentiæ (1). Jam autem

10. *Libertas indifferentiæ in absoluto involvit possibilitatem creationis proprie dictæ*, i. e. creationis rei ex nihilo sui et subjecti. Namque *absolutum non est liberum* libertate indifferentiæ *in actibus ad intra*, i. e. nec in cognitione sui omniumque cognoscibilium, nec in agendo vel non agendo et consequenter neque in exercendâ libertate vel non exercendâ, neque in omnibus illis, sine quibus infinite perfectum non esset. Ergo *absolutum est liberum solummodo in actibus ad extra*, i. e, in mundo reali producendo vel non producendo, in volitione mundi vel non-mundi, talis vel alterius mundi ponendâ, cum scilicet alteruter terminus æque ipsius libertatem atque adeo infinitam perfectionem compleat. Ergo absolutum vel nullatenus est liberum, quod repugnat enti infinite perfecto: vel liberum est eo solum sensu, ut actu suo necessario volitionis possit tendere in mundum vel non-mundum; i. e. ut *possit creare*. Ergo *libertas*, absoluto necessaria, *involvit possibilitatem creationis.*

Idem eruitur ex infinitâ potentiâ absoluti. Nam potentia infinita ex ipsâ notione suâ debet id omne posse, quod nullam involvit contradictionem : atqui creatio proprie dicta nullam involvit contradictionem (2); ergo etiam potentia absoluti, quà infinita, ex ipsâ ideâ suâ involvit possibilitatem creationis.

11. Quod si jam logice evolvamus ideam absoluti in

(1) Reliquas probationes pro libertate Dei asserenda vide in *Theodic.* Sect. III. Cap. 2. Art. 1. Pag. 353 et seqq.

(2) Vide *Cosmol.* Sect. I. Cap. 4. Object. 2am. Pag. 56.

hypothesi creationis, seu in hypothesi, absolutum pro termino exercitii libertatis elegisse mundum, absolutum, utpote infinite sapiens, necessario finem tam *sibi operanti*, quam *operi volito* præstituere debet. Porro.

12. *Finis operantis* debet esse talis, qui attingi possit, qualiscunque terminus actionis eligatur, i. e. qui creatione æque ac non-creatione obtineatur : ast talis finis alius esse nequit, quam ipsum exercitium libertatis, absoluto quà complementum infinitudinis seu gloriæ intrinsecæ omnino necessarium. Et vero.

Finis semper est bonum aliquod appetibile : atqui absolutum neque extra se bonum aliquod appetere potest, utpote absolute bonum in se et omnimode independens; neque intra se aliud, quod quidem creatione obtineri possit, nisi ipsum exercitium libertatis; ergo hoc exercitium est solus finis operantis (1).

13. *Finis operis* autem est necessario gloria extrinseca (2) seu manifestatio divinarum perfectionum in determinato gradu. Nam absolutum, quà absoluta bonitas, non potest creare, quin manifestet certo gradu suam bonitatem, i. e. omnipotentiam, intelligentiam, sapientiam, providentiam atque reliqua attributa : et quà absoluta sanctitas ut essentialiter amans ordinem, non potest non velle, ut res creatæ pro suâ singulæ naturâ, irrationales scilicet solum manifestent, rationales et manifestent et sive in se sive in aliis manifestatas divinas perfectiones agnoscant, admirentur, ament, atque hac ipsa

(1) *Cosmol.* Sect. III. Cap. 1. Prop. 1am. Pag. 84.

(2) Quid per gloriam sive extrinsecam sive intrinsecam intelligamus, consule *Cosmol.* Sect. III. initio Pag. 83.

agnitione et amore ad manifestationem divinæ sanctitatis conspirent : ergo absolutum, posito, quod velit creare, per creationem vi bonitatis et sanctitatis necessario intendit gloriam suam extrinsecam; adeoque hæc gloria seu manifestatio divinarum perfectionum necessario est finis mundi (1). Jam vero.

14. *Omnis manifestatio supponit* tria (2), nempe præter ens, quod manifestet, et id, quod manifestetur, *ens*, *cui manifestetur* : ergo, cum absolutum non sibi ipsi manifestet divinas perfectiones, manifestatio divina per creationem necessario requirit *ens creatum, quod divinas perfectiones in rebus creatis expressas cognoscere valeat, i. e. ens rationale*. Unde.

15. Essentia rationis, (i. e. naturæ rationalis, prout rationem simul et intellectum comprehendit) juxta necessariam intentionem et ideam creatoris est, divinas perfectiones in se et aliis rebus repræsentatas intelligere : quare theoria cognitionis ex ipsâ theoriâ creationis naturaliter defluit. Nam.

16. Ut mens nostra in rebus creatis cognoscat divinas perfectiones, necesse est, ut cognitio involvat ex unâ parte ideam absoluti seu τοῦ esse simpliciter, et ex alterâ sensationem creaturæ, utque duplex hoc elementum sub unâ conscientiâ comprehendatur. Nempe

17. Res creatæ non ipsæ sunt divinæ perfectiones, sed eas tantum quasi voces vel litteræ ideas, quasi imagines prototypa repræsentant. Porro ut ideæ per voces vel litte-

(1) *Cosmol.* Sect. III. Cap. 1. Prop. 2am. Pag. 89.
(2) Vide *Cosmol.* Sect. III Cap. 2. Prop. 1am. Pag. 92.

ras, prototypa per imagines intelligantur; non sufficit percipere solum voces vel litteras aut imagines, sed requiritur, ut nexus inter voces et ideas, inter imagines et prototypa percipiatur : et cum nexus percipi non possit, quin terminorum, qui nectuntur, saltem aliqualis habeatur notitia, requiritur, saltem directa, notio etiam ejus, quod per voces vel litteras aut per imagines significatur. Hinc applicatione factâ

a) Ut ratio in rebus creatis et per eas cognoscat divinas perfectiones, necesse est, ut percipiat ex unâ parte res ipsas creatas tanquam voces vel litteras aut imagines, et ex alterâ parte, ut absoluti directam saltem et implicitam ideam immediate habeat. Atque ita fiet, ut res creatæ intellectui sint occasio acquirendæ ideæ absoluti *reflexæ*, et ejusdem dein evolvendæ et perficiendæ et sub multiplici respectu contemplandæ, et ut vicissim idea absoluti implicita sit norma, per quam solam intellectus proprie dictam cognitionem rerum formare possit. Sine eâ enim sensationem quidem rerum, non autem cognitionem unquam haberet; sicut omnino ignarus Matheseos, si figuram circuli ante oculos habeat, sensationem quidem, qualem et bruta habere possunt, ast nunquam cognitionem circuli habebit. Unde.

Radix rationis est idea absoluti seu τοῦ esse simpliciter subjectiva et objectiva (1) : seu ratio constituitur in esse rationis per hoc, ut mens præter facultatem sentiendi sublimetur ad potentiam intuendi immediate absolutum,

(1) Exinde sequitur, empirismum seu illam doctrinam, omnes nostras cognitiones per sensus acquiri, contradicere ipsi fini creationis, et in se impossibilem esse. Confer. *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 2. Prop. I. Art. 2. Pag. 182.

et ut absolutum ipsum continuo menti immediate præsens se sistat ceu normam, juxta quam sensationes per sensus datas judicet atque sic divinarum perfectionum cognitionem formet (1). Ast ex eâdem creationis theoriâ

b) Absolutum necessario est ultima conditio et absoluta causa omnis existentiæ, et consequenter omnes creaturæ necessario sunt conditionatæ et effectus relativi. *Essentia* porro *rationis est* (juxta omnes philosophos) *veritatem cognoscere*, ergo essentia rationis est creaturas cognoscere conditionatas et ut effectus relativos. Ast sic cognoscere creaturas nequit, nisi per conceptus retativos, i. e. per conceptus, qui simul involvant ideam ultimæ conditionis et absolutæ causæ, i. e. ideam absoluti seu ideam τοῦ *esse simpliciter* (2).

c) Creaturæ sunt necessario entia *talia* seu entia *finita adeoque negativa infiniti* (3); ergo conceptus earum, sub quocunque respectu sive veri sive pulchri, sive justi vel boni etc. spectentur, necessario etiam erunt conceptus negativi. Sed omnes conceptus negativi necessario simul involvunt notionem ejus, cujus sunt negatio. Itaque conceptus creaturarum necessario involvunt, si considerentur sub respectu entitatis suæ, ideam entis seu τοῦ esse simpliciter, sub respectu veritatis, pulchritudinis etc. ideam

(1) Et universim omnes cognitiones universales, quarum origo nunquam sensibus solis attribui potest, cum eo ipso, quod universales sint, omnem experientiam transcendunt.

(2) Ex hoc tamen non sequitur, nos, quotiescumque aliquid cognoscimus, simul etiam reflexam ideam absoluti habere debere, sed tantum hanc ideam in conceptu rei creatæ cujuscumque ita implicite inhærere, ut conceptus creaturæ evolvi et distinctus haberi non possit, quin mox idea absoluti in illo implicita detegatur.

(3) Vide *Ontolog.* Part. II. Sect. 2. Cap. 2. Schol. post Prop. 3am. Pag. 249.

veri, pulchri etc. simpliciter, seu, quod idem est, ideam τοῦ esse, veri, pulchri etc. absoluti (1).

Ergo ex ideâ creationis evolutâ consequitur, in omni cognitione necessario implicari ideam absoluti.

18. Ex modo dictis illucescit, theoriam creationis cum theoriâ cognitionis intimâ quâdam propinquitate connecti. Et vero Empirici, si consequentes sibi fuerint, necessario fient materialistæ (2); Idealistæ vero primum quidem ad pantheismum alterutrius coloris deducentur, demum vero in scepticismum prolabentur (3); ut adeo per solam ideam creationis problema cognitionis humanæ solvi possit, et vice versâ cognitio humana recte evoluta infallibiliter ad creationem proprie dictam mentem reducat.

19. Ast hucusque nos ipsi formali tantum et mere logicâ analysi evolvimus ex ideâ ipsâ absoluti primum hujus libertatem et dein ex hac possibilitatem creationis. Ex creatione autem, si locum habeat, deduximus necessitatem existentiæ creaturæ rationalis, rationisque naturam intimam et essentiam, et exinde theoriam cognitionis.

Jam vero necessarium est ostendere, hæc, quæ subjective quidem vidimus sibi connexa esse et ex se mutuo evolvi, etiam objective et independenter a mente nostra esse realia. Quâ in re ita procedimus:

20. In omni cognitione proprie dictâ implicita est idea absoluti seu τοῦ *esse simpliciter*: hæcque eadem idea est

(1) Vide *Psychol. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 2. Prop. 1am. Pag. 182 et seqq. et Prop. 5am. Pag. 196 et seqq.

(2) Vide *Hist. Phil.* Period. III. Epocham 2am totam, excepto Rationalismo, et Epochæ 3æ præsertim scholam sensualisticam in Galliâ.

(3) Vide ibidem Period. III. Epoch. 3am a Kantio usque ad Hegel et in Galliâ Eclectismum.

norma ad omne judicium et consequenter ad omne etiam ratiocinium prærequisita (1); et a principiis rationis realiter adeo non distinguitur, ut hæc potius sint ipsa idea τοῦ *esse simpliciter* formulis quibusdam expressa (2). Jam vero

a) Τὸ *esse simpliciter* seu *absolutum* debet concipi ut *esse a se*. Nam *τὸ esse simpliciter est* norma ultima omnis esse, omnisque veri, pulchri etc. dijudicandi : atqui hæc norma non potest esse *ab alio*: cum omne esse, omne verum et pulchrum *ab alio* ad hoc aliud referri et juxta illud judicari debeat (3); ergo *τὸ esse simpliciter* seu *absolutum* est *esse* seu *ens a se*. Ast.

b) *Esse seu ens a se est ens realissimum*. Inprimis, quia ens *a se* hoc ipso, quod sit *a se* seu ex essentiâ suâ, necessario semper est id omne, quod esse potest, seu essentia id omne continet, quod non necessario excludit (4) : nihil autem necessario excludit; ergo omnia continet. Dein quia ens *a se* neque *a se* neque *ab alio* limitari potest (5). Ergo *τὸ esse simpliciter* seu *absolutum* est *ens realissimum* seu infinitum. Verum.

c) *Ens realissimum nequit concipi ut idea mere subjectiva*, sed *notio ipsius involvit necessario objecti existentiam*. Nam ens realissimum nequit concipi possibile nisi ut actu existens, seu ipsa ejus possibilitas includit actualem exis-

(1) Consule *Psych. Empir.* Sect. II. Cap. 1. Pag. 21 et seqq. et *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 2. N° 89. Pag. 198 et seqq.

(2) Vide *Logic. puram*, n° 63.

(3) *Psych. Rat.* Sect. I. Cap. 2. Art. 3. Prop. 1. Pag. 203 et seqq.

(4) Dico : quod non *necessario* excludit : quod enim essentia excludit, essentialiter seu vi essentiæ suæ seu vi et ideâ ipsius possibilitatis excludit, ut adeo id omne, quod excludit, ens illud ne concipi quidem possit *habere posse*.

(5) *Ontol.* Part. II. Sect. II. Cap. 1. Prop. II. Pag. 233 et seqq.

tentiam (1). Dein si ens realissimum a parte rei non existat, idea ipsa ejus subjectiva, utpote quæ actualem ejus existentiam exhibet ut essentialem, erit subjective falsa : sed si id ut falsum agnoscere debeamus, quod essentialiter ita esse et aliter esse non posse percipimus, necessario in scepticismum absolutum prolaberemur, et omnis scientia impossibilis foret (2).

Ergo *idea absoluti seu τοῦ esse simpliciter est objective realis*, seu objectum ipsius, i.e. absolutum, ex ipsâ ejus notione subjectivâ evincitur actu existere : sed objectum hoc, utpote ens *a se* et realissimum seu infinitum est Deus ipse implicite sub idea *τοῦ esse simpliciter* perceptus (3) ; ergo solummodo per ideam Dei, sive sub ideâ *τοῦ esse simpliciter* veri aut pulchri etc. ceu *norma* omnis cognitionis et judicii, sive sub *formulis principiorum rationis* exhibeatur, possibilis est homini proprie dicta cognitio, judicium et ratiocinium, *Deique implicita perceptio est constitutiva rationis creatæ*, adeo ut sine illâ quâ radice sui esse ratio non esset ratio (4).

(1) Ibid. Prop. III. pag. 236 et seqq. in quâ ad hoc ipsum probandum quatuor afferuntur probationes. Vide etiam Objnis 3æ responsum totum : et *Theodic.* Sect. I. Cap. 1. Argum. 1. Pag. 257.

(2) Quibus aliis modis objectiva realitas ideæ *τοῦ esse simpliciter* evincatur, vide *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 3. Prop. 2. Pag. 204.

(3) Ibid. Prop. 3. Pag. 205.

(4) Hinc est, ut tam SS. Patres, quam ipsi pagani philosophi, qui quidem penitius mentem humanam scrutati fuerant, unanimes sint in asserendo, menti humanæ Deum, divinitatem, aliquid divini inhærere. Ita jam Tertul. *Contra Marcion.* Lib. I. Cap. 10, ait : *Animæ a primordio* CONSCIENTIA DEI *dos est : eadem nec alia in Ægyptiis et in Syris et in Ponticis.*—Minutius Felix *in Octav.* Cap. 32. Deus *ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est.* — Lactant. *De ira.* Cap. 7. *Quis enim tam indoctus est, ut nesciat, quis tamen imprudens, ut non sentiat*, ALIQUID *inesse in homine* DIVINI ? —Joan. Damasc. *De orthodox. fid.* Lib. I. Cap. 1.

21. Itaque norma omnis esse, veri, justi, pulchri etc. dijudicandi et principia rationis non sunt meræ formæ intellectus (1), quæ regulativum solum, nullum vero realem valorem habeant, sed objectivâ realitate gaudent independenter a mente nostrâ. Unde etiam.

Id omne, quod sive lumine istius normæ immediate innotescit, (notiones immediate evidentes) sive quod mediate vi principiorum rationis per legitimam conclusionem cognoscitur (cognitiones mediate evidentes) eâdem objectivâ realitate gaudere cognoscetur (2). Jam vero.

22. Ex principiis rationis innotescit nobis inprimis exis-

πᾶσα γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι θεὸν ὑπ' αὐτοῦ φυσιχῶς ἐγκατέσπαρται. Idem et simili ratione profitentur Just. Mart. *Apolog.* 1. Basil. Mag. *Homil. in Ps.* 14. Gregor. Naz. *Orat.* 28.—17. aliique passim.

Nec fere minus clare, quod magis mirandum, loquuntur ipsi pagani. Ita Socrates mentem humanam ait participem esse divinitatis: μετέχει τοῦ θεοῦ. *Xenoph. Mem.* I. 4. et IV. 3. Aristoteles vero homines dicit anteceptam mente Dei ideam habere : πάντες ἄνθρωποι περι θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν. *De cœlo.* Lib. I. Cap. 3. Cicero autem pluribus locis; uti *De nat. Deor.* I. 16. *Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat, sine doctrinâ, anticipationem quandam Deorum, quam appellat* πρόληψιν *Epicurus i. e. anteceptam animo rei quandam informationem*, SINE QUA NON INTELLIGI QUIDQUAM, NEC QUÆRI, NEC DISPUTARI POTEST.—*De Legib.* I. 7. *Prima hominis cum Deo* RATIONIS SOCIETAS. Et *Quæst. Tuscul.* I. 26. *Ergo animus, ut ego dico, divinus est, ut Euripides audet dicere, Deus est.*

Consule de tota hac re *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 3. Prop. 3am cum suis corollariis.

(1) Quemadmodum Kantius voluit, neque menti proprie loquendo innatæ, uti asseruere Cartesiani, neque ab eâ propriâ activitate productæ, uti Arnoldus et Fichte somniavit. Confer. *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 2. Prop. II. III, IV. Pag. 192 et seqq.

(1) Fere quemadmodum somnians, se cum lumine examinare cubiculum, cognoscere nequit, quid realiter in cubiculo sit, sed sicut lumen, quocum examinat, sic ea, quæ examinantur, sunt mere subjectiva mentis somniantis phantasmata, ita contra vigilans et reflexe videns in manu suâ lumen accensum, sicut non potest dubitare de realitate luminis, sic neque de realitate eorum, quæ cum hoc lumine examinat.

tentia animæ nostræ ipsiusque actualium affectionum sensibilium *per sensum intimum* : dein existentia corporis proprii aliorumque corporum tum generatim tum individuatim sumptorum per sensus *externos* : demum existentia variorum factorum sensibilium loco vel tempore a nobis distantium per *auctoritatem humanam* (1).

De horum omnium *objectivâ realitate* consequenter eandem *certitudinem philosophicam* habemus, ac de ipsâ *objectivâ realitate principiorum rationis ac normæ omnis cognitionis*. Imo.

Ex istis criteriis sic objective realibus ea etiam omnia, quæ per illa criteria certo cognoscentur, eâdem objectivâ realitate gaudere admittendum necessario erit. Unde argumentatio nostra in posterum non idealem tantum, subjectivam et mere logicam, sed realem, objectivam et ontologicam veritatem pro objecto habebit.

His positis jam ita ratiocinamur:

23. Existit mundus. Nam teste sensu intimo existit in mente nostrâ idea sensualis hujus mundi, quæ rationem sufficientem suæ existentiæ aliam habere nequit, quam ipsum mundum actu existentem: siquidem nec mens ipsa illam ideam producat, neque Deus sive immediate per se, sive mediate per genios subalternos illam imprimat. Ergo idea sensualis de mundo, ejusque corporibus, ordine et nexu, supponit quâ effectus necessario actualem existentiam mundi, ejusque corporum, ordinis et nexûs quà causam (2).

(1) Vide *Logic. Applic.* Sect. III. Cap. 2, 3. 4. et *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 3. Prop. 3am cum suis appendicibus. Pag. 205 et seqq.
(2) *Logic. Applic.* Sect. 3. Cap. 3. Pag. 186 et seqq.

24. Mundus est creatus. Nam mundus, utpote ex testimonio sensuum externorum finitus, mutabilis et compositus, non est *ens a se*, cum *ens a se* sit necessario infinitum, immutabile et simplicissinum (1). Ergo mundus iste est *ens ab alio*, contingens, productum : quod autem productum est, aliquando nihil fuit, adeoque ex nihilo productum, seu quod idem est, creatum fuit. Ergo *mundus iste de facto est creatus*. Unde.

A. *Deus est infinite potens et intelligens*. Creatio enim supponit vim producendi et intelligentiam eorum, quæ producantur; et cum, quidquid Deo, utpote enti a se adeoque infinito, inest, sit necessario infinitum, creatio supponit Deum infinite potentem et intelligentem (2).

B. *Deus est liber*. Nam quod creatum est, potuit non esse : quod potuit non esse, non est necessario : quod non est necessario, est libere ex parte producentis seu creantis. Ergo qui produxit hunc mundum, libere illum produxit. Ergo Deus est liber.

C. *Deus est personalis*. Personalitas enim consistit in eo, ut substantia suarum operationum sit rationale seu intelligens adeoque liberum principium. Ergo *Deus*, utpote ex ipsâ ideâ creationis operator necessario intelligens ac liber *est æque necessario personalis* (3).

(1) *Ontol.* Part. II. Sect. II. Cap. 1. Prop. 2.—Cap. 2. Prop. 3. et Cap. 3. —*Cosmol.* Sect. I. Cap. 4.

(2) Consule etiam *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 3. Corol. 3um.—2o Pag. 216 et seq.

(3) Quod in Deo tres sint personæ, id quod ex fide cognoscimus, non impedit, quominus ipsam substantiam divinam personalem dicamus. Nam, uti ait Petavius : *De Theolog. dogmatibus.* Tom. II. Part. 1. Lib. 4. Cap. 11. no 5. *Si personæ vocabulum ad se et secundum substantiam, hoc est, essentiam dicitur, non potest evitari, quin Pater, Filius et Spiritus sanc-*

25. **Mundus creatus est ad similitudinem Dei.** Nam

1° Res nulla existere potest sine determinatâ formâ : atqui forma determinata supponit in producente ideam exemplarem et prototypam, juxta quam rem efformet. Ergo *creaturæ supponunt in Deo creatore suo singulæ singulas ideas exemplares*, juxta quas ipsæ formatæ sunt (1).

tus perinde una persona nominentur ac personæ tres. Siquidem non aliud est Deo esse, et aliud personam esse. Et. S. Thom. *Summ. Theol.* Part. I. quæst. 39. Art. 1. *In Deo non est aliud essentia, quam persona secundum rem.*

(1) Vide hanc quæstionem fuse tractatam *Ontol.* Part. II. Sect. I. totâ. Pag. 213 et seqq.—*Cosmol.* Sect. III. Cap. 2. Obj. 3a. Pag. 96 et *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 3.—III. Quoad conceptus stricte dictos. Pag 216 et seqq.

Ad eandem rem non possum non hic apponere, quod habet D. Thom. *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 44. Art. 3. *Respondeo dicendum, quod Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequantur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod inspicit, sive illud sit exemplar, ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem, quod ea, quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet, quod reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere, quod in divinâ sapientiâ sint rationes omnium rerum, quas supra diximus quæst. 15, art. 1, ideas, id est, formas exemplares in mente divinâ existentes. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divinâ essentiâ, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium.*

Dein ad objectionem, quod res creatæ, utpote finitæ, non possint Deo, utpote infinito, ullo modo esse similes, ita respondet : *Licet creaturæ non pertingant ad hoc, quod sint similes Deo secundum suam naturam similitudine speciei* (i. e. in esse, quod creaturæ omnino diversum habent a Deo); *attingunt tamen ad ejus similitudinem secundum repræsentationem rationis intellectæ a Deo, ut domus, quæ est in materiâ, domui, quæ est in mente artificis.* Quia, etsi domus materialis habeat esse omnino diversum et nullatenus simile cum esse ideæ artificis, imitatur tamen eam similitudine repræsentationis.

Clarius etiam loquitur ibid. *Quæst.* 47. *Art.* 1. *Ad* 2um dicens : *Secun-*

2° Res nulla existere potest sine fine sibi præstituto. Nam entis intelligentis est non agere, nisi propter finem: ergo entis intelligentis, dum agit, est velle media ad finem: ergo entis intelligentis est *constituere* media ad finis consecutionem. Jam vero Deus est creator intelligens; ergo Deus *constituit* seu *formavit* creaturas omnes et singulas ad finem primo unicuique proprium seu proximum et specialem (1) et per hunc ad fines ulteriores et demum ad finem ultimum totius creationis consequendum. Ergo creaturæ non solum singulæ singulas ideas exemplares, sed per suam *intimam constitutionem* seu *essentiam* etiam *finem Dei et legem ipsis ab eo præscriptam* (2), et dein per nexum mutuum et mutuam unius

dum quod ideæ dicuntur exemplaria, pluralitati rerum correspondet in mente divinâ pluralitas idearum.

(1) Vide *Theodic.* Sect. III. Cap. 2. Art. 5. *De providentia Dei*, pag. 382.

(2) Scilicet, cum juxta ideam exemplarem divinæ sapientiæ res quævis creata est, cuivis rei quasi impressa est idea, juxta quam res illa esse debet; et hæc idea est essentia ejus rei et lex, juxta quam agere debet, ut juxta ideam (intentionem, voluntatem) Dei agat. Sic, ut ex rebus humanis exemplum sumamus, *idea horologiarii* de certo quodam horologio *ad extra actuata* est *ipsa essentia* hujus horologii. Essentia enim horologii quà horologii complectitur, sicut idea ejus, proprietates omnes necessarias earumque mutuum nexum et coordinationem ad tale horologium constituendum, i. e. ad constituendum horologium, quod tali vel tali modo temporis divisiones indicet. *Essentia* autem horologii est ipsa ejus *destinatio naturalis* ipsi horologio impressa. Destinatio enim rei naturalis est id, ad quod res tendere debet juxta intentionem destinantis, sed intentio horologiarii in tali horologio sic constituendo est, ut tali modo temporis divisiones indicet: quæ intentio actuata est ipsa horologii istius essentia. *Ergo essentia horologii* est ipsa ejus *destinatio naturalis*. Sed *destinatio naturalis* et *lex* horologio observanda, ut patet, identificatur. Ergo *idea rei actuata*, *essentia ejusdem rei, ejusdemque destinatio naturalis et lex idem sunt.*

Quod ergo S. Paulus *ad Rom.* Cap. II. v. 14,15 dicit: *Ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: i. e. totam hominis essentiam ita intrinsece et in suo intimo esse constitutam esse, ut ipsa hæc constitutio ipsi sit lex, quam sequi debet; id ipsum recte dici potest et de-

ad alteram subordinationem ad finis ultimi consecutionem formatæ, etiam *totalem in Deo creatore* supponunt *ideam exemplarem*, juxta quam formatæ sunt (1).

bet de singulis entibus creatis, cum hac tamen differentiâ, quod pro variâ naturâ entium varia, ut patet, sit lex; et quod creaturæ irrationales legem suam necessario sequantur, seu necessario juxta suam internam et relativam constitutionem agant; creaturæ vero rationales, hoc ipso, quod earum intimam essentiam constituat libertas, libere eandem sequantur, ita tamen, ut, ad quamcunque partem se determinaverint, ultimam creatoris intentionem seu ultimum finem creationis, i. e. gloriam Dei extrinsecam, semper et necessario assequantur, quamvis, si contra destinationem sibi propriam et specialem egerint, hac speciali suâ destinatione, seu fine suo speciali, i. e. beatitudine excidant.

Egregie ad rem nostram Cl. Staudenmaier in suo opere: *Die Christliche Dogmatick.* Tom. II. Pag. 365.... *An sich ist es nicht ein anderswoher gegebenes Gesetz, welches der Natur, und ein anderswoher gegebenes, welches dem freien Geiste von Gott auferlegt ist, sondern beide haben ein goettliches, d. h. von Gott gegebenes Gesetz zu vollziehen: vielmehr bezieht sich der Unterschied auf die Beschaffenheit des Wesens selber, welchem der goettliche Wille als ein zu vollziehender gegeben ist. Denn das eigentlichste Gesetz eines jeden Wesens ist die Natur dieses Wesens, oder vielmehr die Jdee dieses Wesens: es ist die wesentliche Jdee, was als zu erfuèllende Bestimmung jedem Wesen aufgetragen ist. Was aber einerseits Bestimmung ist, das ist anderseits wieder Gesetz. So ist also die Jdee eines jeden Dinges das Wesen eines jeden Dinges, das Wesen eines jeden Dinges ist aber die Bestimmung eines jeden Dinges: was aber Wesen und Bestimmung eines jeden Dinges ist, das ist auch das Gesetz eines jeden Dinges: denn es wird nach diesem Gesetze jedem Dinge vorgeschrieben zu sein, was es seiner Jdee, seinem Wesen und seiner Bestimmung nach sein soll. In die Jdee des Wesens, welche zugleich Bestimmung und Gesetz des Wesens in sich enthaelt, ist aber auch die Beziehung, die volle Relation jedes Dinges eingeschlossen, denn die Relation gehoert zum Wesen eines jeden Dinges selbst, und ist ein mitconstituirendes Moment im Begriffe des Umfanges desselben. Denn erst das ist das Wesen, was es in seinem vollen Umfange ist. In ihrem vollen Umfange zu zu sein, was sie sein soll, hat auch die unfreie Natur die Bestimmung.*

(1) Nempe, quemadmodum singulæ partes domûs singulas ideas prototypas in mente artificis, partium vero domûs connexio mutua et subordinatio unius ad alteram ad totam domum constituendam totalem artificis ideam seu totius domûs prototypon manifestat: ita singulæ creaturæ hujus universi singulas ideas prototypas seu exemplares in mente divinâ, creaturarum vero mutua connexio et subordinatio unius ad alteram ad totum hoc universum in perfectissimâ harmoniâ ad unum finem constituendum totalem ideam divinam de universo, prout hæc omnes creatura-

Ergo *mundus iste per formale suum esse similitudinem quandam Dei refert*, sive per modum unius, sive in suis partibus singularibus consideretur.

Ex dictis jam facile ad cæteras philosophiæ quæstiones transire earumque philosophicam seu scientificam solutionem acquirere licet. Namque

26. Mundus ad similitudinem Dei creatus solvit problema omnis philosophiæ (1).

Problema enim omnis philosophiæ in hoc consistit, ut certo cognoscamus, *quid natura*, *quid homo*, *quid Deus* sit sive *in se* sive *relative*. Jam vero ex eo, quod natura et homo creatus sit a Deo, cognoscimus, quid natura, quid homo et quid Deus sit *in se;* ex eâdem autem creatione et præcipue ex eo, quod, quæ creata sunt, necessario ad similitudinem aliquam Dei formata sunt, cognoscimus, quid illa eadem sint *relative* seu quam mutuam relationem habeant. Itaque ex creatione mundi ad similitidinem Dei jam quæstiones illas omnis philosophiæ fundamentales solvere aggrediemur, prætermissis tamen iis, quæ circa easdem jam supra exposita sunt.

rum mutuas relationes et propriam singulis ad unum finem tendentiam complectitur, seu totius universi harmonicum prototypon repræsentat.

(1) Cl. Staudenmaier pluries in operibus suis et cum ipso multi alii moderni Germaniæ philosophi et theologi tanquam principium omnis veræ, i. e. objectivæ et realis, scientiæ statuunt ipsam personalitatem Dei, aut, quod idem sonat, liberam creationem mundi. Unde re ipsâ, etsi verbis differamus, omnino concordes sumus. Ex eo enim, quod mundus creatus sit ad similitudinem Dei, nos quidem cæteras quæstiones de naturâ, homine et Deo solvimus : ast mundus ipse ad similitudinem Dei creatus dici nequit, nisi ad liberam Dei creationem et ultimato ad absolutum libertate præditum reducatur. Itaque proprie primum solutionis principium objectivum est absolutum et hoc liberum adeoque personale seu personalitas Dei.

27. QUID EST NATURA ?

Per naturam hic intelligimus omnia entia mundi, præsertim rationis expertia, earumque vires, fines et varias relationes. De quâ hæc breviter :

I. Natura non est æterna.

Nam id æternum est, quod nullum habet initium. Sed quod nullum habet initium, non existit *ab alio* seu non est creatum, cum creatio involvat necessario initium existentiæ a parte creaturæ tum ex ipsâ ideâ creationis, tum ex infinito numero successionum, quæ secus necessario locum haberent (1). Quod vero non existit *ab alio*, existit *a se* adeoque vi essentiæ et immutabiliter. Jam vero nec natura tota, nec elementa existunt *a se*, vi essentiæ et immutabiliter (2). Ergo natura non est æterna.

Hinc etiam atomismus seu casualismus Democriti et Epicuri in se repugnat (3).

II. Natura non agit juxta leges absolute, sed tantum hypothetice necessarias.

Nam leges naturæ dependent a liberâ voluntate creatoris. Leges enim creaturis adimplendæ (ex n° 25) nihil aliud sunt, quam idea prototypa seu essentia actuata in creaturis, prout hæ finem sibi propositum in ipsa suâ constitutione involvunt. Scilicet cum Deus creat, necessario creat ad aliquem finem, adeoque quamvis creaturam creat quà medium ad finem : cum vero medium

(1) Vide *Cosmol.* Sect. 1. Cap. 4. Pag. 53 et seqq.
(2) *Ibidem*, Sect. I. Cap. 1. Prop. 1 et 3. Pag. 7 et 11.
(3) *Ibid.* Cap. 2. Pag. 18 et seqq.

non habeat rationem medii, nisi aptitudinem in se includat ad sui finis consecutionem, Deus rem quamvis necessario creat aptam, i. e. intrinsecâ suâ constitutione tendentem, ad suum finem, ut adeo finis, ad quem tendere, seu, quod idem est, lex, quam sequi debet, sit rei cuivis connaturalis et ipsius essentiæ intima relatio ad finem.

Ergo hoc ipso, quod Deo liberum est, non solum creare vel non creare, sed, dum creat, etiam talem vel talem mundum creare, pariter ipsi liberum est, naturæ hos vel alios fines proponere adeoque juxta varietatem finis variare leges creaturæ propositas. Ergo hæ leges a liberâ voluntate Dei dependent, adeoque hypothetice tantum necessariæ sunt (1). Unde

A. *Miraculum, seu effectus supernaturalis insolitus, est possibile. Vel* enim talis effectus a Deo immediate et extra omnem cum creaturis relationem producitur, et tum patet, illi a creaturis nullum obstaculum opponi posse. *Vel* effectus ille est talis, ut spectatis circumstantiis naturaliter seu vi naturæ contrarius effectus sequatur; v. g. conservatio trium puerorum in fornace Babylonicâ, qui, si ignis naturalem effectum habuisset, comburi debuissent; et tum patet, Deum hunc effectum naturalem, uti in casu dato effectum ignis, posse suspendere vel cohibere pro arbitrio suo eodem, quo igni talem finem præstituit (2).

B. *Miraculum, etiam quoad nos, est cognoscibile.*

(1) Vide *Cosmol.* Sect. II. Cap. 1. Prop. 2. Pag. 69.
(2) Ibid. Cap. 2. Pag. 72 et seqq.

Nam ex modo dictis (n° 27 — II.) vires naturæ fundantur in intimâ relatione essentiæ rerum ad finem, ut adeo effectus istarum virium sint rebus connaturales. Si itaque effectus aliquis non sit rebus creatis connaturalis, uti v. g. luto connaturale non est, cœco visum restituere, nec voci humanæ febrim depellere vel adeo mortuum suscitare, necesse erit, ut effectus iste causam habeat præter-super-vel etiam contra-naturalem, adeoque ut sit miraculum.

Jam vero effectus istiusmodi *vel* est talis, ut certo cognoscatur, nulli omnino rei creatæ esse connaturalis, *vel* est talis, ut quidem rei cognitæ, v. g. in dato exemplo, luto vel voci humanæ, connaturalis non sit, non autem cognoscatur directe, an alteri rei creatæ connaturalis esse non possit.

In *primo* casu directe et immediate hoc ipso talis effectus cognoscitur extra-naturalis adeoque miraculum.

In *posteriori* casu autem id ipsum indirecte cognoscitur. Etenim effectus, rei cognitæ non connaturalis, alteri rei creatæ incognitæ connaturalis esse nequit, nisi in essentiâ illius rei adeoque in dispositione divinæ sapientiæ, rem illam ad talem finem constituentis, fundetur.

Jam vero divina sapientia nequit constituere rem quamcunque ad effectum, ex quo homo nullam perfectionem divinam cognoscere possit. Deus enim ex ipsâ ideâ creationis cuivis suo operi adeoque et operis effectibus præstituere debet manifestationem suarum perfectionum, et consequenter ens rationale ita constituere, ut eas perfectiones in suis operibus cognoscere possit (n° 14).

Ast homo ita constitutus est, ut talem effectum ne suspicari quidem possit esse connaturalem rei creatæ sibi incognitæ (causæ ignotæ seu legi ignotæ); sed ut eundem invincibiliter supernaturalem credat esse. Si ergo effectus ille nihilominus esset connaturalis alicui rei creatæ, ex eo homo non modo nullam cognoscere posset divinam perfectionem, sed imo Deum mendacii arguere deberet. Ergo ex sapientiâ divinâ, necessario tum hominem tum res alias ad finem, cujuslibet essentiæ proprium, constituente, eruitur, effectum rei cognitæ non connaturalem, etiam rei incognitæ non connaturalem, sed vere miraculum esse, quotiescunque homo ex instinctu quodam rationali (1) invincibiliter eum nulli rei creatæ attribuit (2). Unde miraculum etiam quoad nos est vere cognoscibile.

28. QUID EST HOMO?

Ex dictis, cujuslibet rei creatæ intima constitutio a Deo ita necessario attemperata est fini præstituto, ut res quælibet legem sibi præscriptam in essentiâ suâ necessario impressam ferat. Via itaque, rem quamvis penitius indagandi, hæc erit, ut primum in se ipsâ seu in suâ intimâ constitutione, et dein ex hac relative ad alia seu in suis finibus examinetur. Quare et hominem eâdem ratione considerabimus. Unde

(1) Instinctus iste rationalis, qui idem est ac sensus naturæ communis, sensus veri seu ratio immediate veritatem quasi sentiens, ex dictis arguitur aliud nihil esse, quam intima essentia hominis a Deo consequenter ad creationem necessario ita constituta, ut veritatem apprehendat, et divinas perfectiones in creaturis cognoscat seu ex creatione visibili quasi ex magno libro a Deo ipsi exhibito invisibilia Dei intelligat (inter-legat).

(2) Consule etiam *Cosmol.* Sect. II. Cap. 3, simul cum objectionibus pag. 75 et seqq.

29. I. De homine in se spectato.

a) *Homo est necessario ens intelligens.*

Nam Deus creare nequit, quin creet ens, cui manifestet suas divinas perfectiones, adeoque ens capax cognoscendi in creaturis perfectiones divinas seu ens intelligens. Hoc ens est homo, utpote qui de facto hanc facultatem cognoscendi habet. Itaque homo est *necessario* rationalis seu ens intelligens.

b) *Ens intelligens est immateriale.*

Nam ens intelligens cogitat, i. e. conceptus, judicia et ratiocinia format: materiæ vero, utpote substantiæ compositæ, essentialiter repugnat tam conceptus objecti sive simplicis sive compositi, quam judicium et ratiocinium. — Insuper materia nihil habet, nisi naturam, configurationem et motum, ex quorum nullo cogitatio unquam oriri poterit. Ergo id, quod cogitat, seu ens intelligens est necessario immateriale (1).

c) *Ens intelligens est spirituale.*

Nam ens intelligens non solum est ens simplex, uti et elementa materiæ juxta multos simplicia sunt, sed etiam intrinsecâ activitate ita præditum, ut, secus ac elementa materiæ inertia, statum suum propriâ vi mutare queat, inque multis operationibus suis ab omni actione extrinsecâ materiali essentialiter distinguatur (2).

d) *Ens intelligens est necessario liberum.*

Ens intelligens finitum, hoc ipso, quod finitum sit, non potest neque omnia simul cognoscere, neque ad hoc

(1) Vide *Psych. Rat.* Sect. I. Cap. 2. Prop. 2. Pag. 124 et seqq.
(2) Ibidem. Cap. 3. Prop. 1. Pag. 139 et seqq.

potius, quam ad illud cognoscendum necessario determinatum esse (1). Ergo ut hoc potius, quam illud cognoscat, debet illi inesse vis, ad hoc potius, quam ad illud pro libitu suo seu pro libero arbitrio se convertendi (2). Ergo ens intelligens est liberum ex ipsâ ideâ et essentiâ intelligentiæ,

Et vero animam humanam de facto liberam esse eruitur sive ex sensu intimo, sive ex fine legum humanarum et ex sensu naturæ communi (3).

Ergo *ex ipsâ ideâ creationis homo intrinsecâ suâ et*

(1) Ibidem. Sect. II. Cap. 1. Art. 2. Prop. 2.—*a*) Pag. 192.

(2) Eàdem ratione argumentatur D. Thomas : *Cont. Gentil.* Lib. II. Cap. 48.—4° et 5° dicens · *A conceptione universali non sequitur motus et actio, nisi mediante particulari apprehensione, eo quod motus et actio erga particularia est. Intellectus autem naturaliter est universalium apprehensivus : ad hoc igitur, quod ex apprehensione intellectûs sequatur motus aut quæcunque actio, oportet, quod universalis intellectûs conceptio applicetur ad particularia. Sed universale continet in potentia multa particularia; potest igitur applicatio conceptionis intellectualis fieri ad plura et diversa. Judicium igitur intellectûs de agibilibus non est determinatum ad unum tantum : habent igitur omnia intellectualia liberum arbitrium.*

Judicii libertate carent aliqua vel propter hoc, quod nullum habent judicium, sicut quæ cognitione carent, ut lapides et plantæ; vel quia habent judicium a naturâ determinatum ad unum, sicut irrationalia animalia. Naturali enim æstimatione judicat ovis lupum sibi nocivum, et ex hoc judicio fugit ipsum; similiterque in aliis. Quæcumque igitur habent judicium de agendis non determinatum ad unum a naturâ, necesse est liberi arbitrii esse. Hujusmodi autem sunt omnia intellectualia. Intellectus enim apprehendit non solum hoc aut illud bonum, sed ipsum bonum commune : unde, cum intellectus per formam apprehensam moveat voluntatem, in omnibus autem movens et motum oporteat esse proportionata, voluntas substantiæ intellectualis non erit determinata a naturâ nisi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur sibi sub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, nullâ determinatione naturali in contrarium prohibente : omnia igitur intellectualia liberam voluntatem habent. Consule etiam *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 83. Art 1.—Ad cujus evidentiam.

(3) *Psych. Rat.* Sect. I, Cap. 1. Pag. 105 et seq.

essentiali constitutione est ens intellectu et liberâ voluntate præditum.

Ex hac autem constitutione facile jam solvi potest quæstio

30. II. De homine relative spectato.

Sicut ex intrinsecâ constitutione cujusvis operis Dei ex supra dictis cognosci potest finis, ad quem illa res a Deo destinata est: sic ex intrinsecâ constitutione hominis cognosci poterit finis, ad quem homo destinatus, et lex, quæ ipsi præscripta est. Finis autem considerari hic debet tum absolute, tum relative ultimus. Unde

a) Finis hominis absolute ultimus est gloria Dei extrinseca.

Finis a Deo operi suo, i. e. toti creationi præfixus alius esse nequit, quam gloria Dei extrinseca: cum creare nequeat, quin manifestet divinas perfectiones (1), et manifestatas vi sanctitatis non possit non velle cognosci et amari (2). Ergo necesse erat Deo creare ens, capax divinas perfectiones in et ex rebus creatis cognoscendi et amandi. Ens hoc est homo. Homo enim ex unâ parte instructus est sensibus, quorum ope per influxum physicum (3) creaturarum materialium et sensi-

(1) *In partibus universi*, inquit S. Thom. *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 65. Art. 2, *unaquæque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem: secundo autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ quæ sunt infra hominem, sunt propter hominem. Singulæ autem creaturæ sunt propter perfectionem totius universi, ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem, in quantum in eis per quandam imitationem divina bonitas repræsentatur ad gloriam Dei.*

(2) *Cosmol.* Sect. III. Cap. 1. Prop. II. Pag. 89 et seq

(3) *Psych. Rat.* Sect. II. Cap 1. Art. 1. Prop. 3. Pag. 169 et seqq.

bilium acquirat sensationem : ex alterâ parte præditus est intellectu et voluntate, cujus primarium objectum, quà radix possibilitatis omnis cognitionis et volitionis, est necessario Deus, per ideam τοῦ esse simpliciter sive sub respectu veri, sive sub respectu boni simpliciter, implicite perceptus (1) : ut adeo idea Dei implicite percepta sit homini norma et principium, tam verum, quam bonum et justum, omnesque perfectiones simplices (2) i. e. divinas cognoscendi et volendi seu amandi.

Ergo homo intellectu et voluntate præditus ex naturâ suâ cognoscitur creatus esse a Deo ad hunc finem, ut non tantum in se exhibeat divinas perfectiones, præcipue per actiones ideæ veri, boni et justi, i. e. principio moralitatis conformes, sed etiam, ut eas sive in se sive in aliis exhibitas et manifestatas intellectu cognoscat et voluntate amet, atque sic gloriam Dei extrinsecam compleat.

31. Ex dictis gloria Dei est finis hominis absolute ultimus : cognitio vero et amor Dei est finis relative ultimus, utpote per quem solum ex ideâ creationis homo finem absolute ultimum adimplere potest.

Ast *in hac vita* homo, utpote liber et ex intellectu finito fallibilis et ex sensualitate ad sensibilia proclivis potest in cognitione veri boni errare et creaturas præ creatore amando ordinem divinæ sanctitatis subvertere atque ita finem suum relative ultimum non adimplere. Deus autem fine absolute ultimo, i. e. gloriâ suâ extrinsecâ frus-

(1) Ibid. Art. 3. Prop. 3. Pag. 205 et seqq. et Cap. 2. Art. 1, Prop. 1 et 2. Pag. 225 et seqq.
(2) Ibidem. Sect. II Cap. 1. Art. 2. Prop. 5. Pag. 196 et seqq.

trari nequit. Ergo necesse est, ut detur *altera vita*, utque homo ita intrinsece constituatur, ut ad finem suum in hac vita libere adimplendum sufficienter quidem alliciatur, quod si vero noluerit, saltem in alterâ vitâ finem suum necessario adimpleat, adeoque necessario Deum cognoscat et amet. Sicut enim res quævis, hoc ipso, quod creata sit a Deo infinite sapienti, necessario creata est ut medium ad finem adeoque cum intrinsecâ habitudine et inclinatione aliquâ ad finem sibi præstitutum (1) : ita etiam homo cum intrinsecâ inclinatione ad suum finem, i. e. cognitionem et amorem Dei creatus sit oportet. Ast, utpote rationalem et hinc liberum, hæc inclinatio hominem non necessitet, ne tollatur libertas, sed solum efficaciter ad finem suum libere adimplendum impellat. Jam vero homo, spectatâ debilitate naturæ et illecebrâ vitiorum, efficaciter ad libere in hac terrâ adimplendum suum finem non inclinatur, nisi præmiis et pœnis æternis : ergo necesse est, ut inclinatio ista seu intima essentia hominis in se contineat, ex quo tam beatitudo quam pœna æterna exurgere possit.

Quod si jam intimam hominis essentiam perscrutemur, reperiemus, cum ex naturâ suâ immortalem essentialiter ad cognitionem et amorem Dei ferri, adeoque solutum

(1) Hujusmodi habitudinis et inclinationis naturalis ad finem non tantum instinctus animalium tam varius, quam varia sunt animalia eorumque fines, exempla plurima nobis suppeditat, sed in ipsis plantis eadem inclinatio ad finem suum miro modo se prodit. Radix certe plantarum ad hoc est, ut deorsum in terram missa plantam et nutriat et sustentet. Quod si jam planta aliqua in terrâ defodiatur ita, ut radix sursum tendat, si insuper etiam lapides circa radicem ponantur, radix tamen non sursum crescet, sed inclinatione naturali ad finem suum potius circa lapidem flectet sese, ut deorsum in terram tendens et succos attrahere et sic plantam alere et firmare possit.

semel corpore et a sensuum impressionibus semotum et hinc ab illusionibus boni apparentis exemptum, necessario Deum cognoscere et amare, ast amore vel *fruitivo* vel *irrito*. Amor autem fruitivus seu qui potitur objecto amato, beat et felicem reddit amantem; amor vero irritus seu qui non potitur objecto amato, cruciat et infelicem reddit amantem. Ergo ex ipsâ essentiali hominis inclinatione ad amorem Dei eruitur beatitudo et pœna, et quidem cum homo æternitatis non solùm capax, sed ex naturâ suâ avidus sit, utraque æterna.

Itaque homo ita intrinsece constitutus est, ut non solum destinationem suam seu finem sibi præstitutum adeoque legem sibi servandam, sed simul etiam sanctionem istius legis in se contineat (1), utque adeo, quomodocunque in hac

(1) Ut hoc recte intelligatur, assumamus exemplum in præcedenti notâ allatum. Radix plantæ naturaliter inclinatur, ut tendat deorsum, terræ se infigat et sic succos attrahat et plantam nutriat. Inclinatio hæc est radicis istius lex, essentiæ ejus impressa. Idem enim est, ac si ipsi in essentiâ inscriberetur: *Tu deorsum tendes, terræ te infiges*, etc. Si vero jam supponamus hanc radicem esse liberam, et ad legem suam servandam potius, quam non servandam impelli præmio vel pœnâ v. g istiusmodi: *Si deorsum tendas, succos attrahas et plantam nutrias, in pulcherrimum florem excresces, et semen in te ipso evolvens per multos annos tuum genus servabis; quod si aliter egeris, tabesces paulatim et in putredinem abibis*: patet, etiam sanctionem legis plantæ hujus essentiæ æque inscriptam adeoque connaturalem esse, ac ipsam legem. A pari etiam homini tam lex observanda, quam legis sanctio intimè inscripta sit oportet. Fert enim homo in suâ essentiâ hanc legem: *Diliges Dominum Deum tuum*: fert et sanctionem in eâdem essentiâ: *Si Deum dilexeris in hac vitâ, repagulis remotis, eo frueris et summe beaberis, si non dilexeris, illecebris sensuum exutus, inclinationem naturæ tuæ rationali essentialem cognoscendi et amandi Deum hoc ipso, quod essentialis sit, non perdes, sed objecto, in quod libere non tetendisti, non frueris et hinc siti nunquam satiandâ tabesces*. Ut vere Psalmista dicat Psalm. 111: *Peccator videbit* (evigilans ex somno hujus vitæ,) *et irascetur* (sed ira pœnali, quali uritur, qui objecto ardentissimâ passione amato in hac terrâ subito privatur: tanto magis, quod alios videat eodem objecto beari, se autem illo ex culpâ suâ non potiri, atque hinc) *dentibus suis fremet et tabescet*, quia *desiderium peccatorum* (in res transitorias et illusorias) *peribit*.

terrâ libertate suâ utatur, in alterâ vitâ necessario finem sibi specialem et relative ultimum, cognoscendo et amando Deum, adimpleat, et per hunc consequenter et finem absolute ultimum, gloriam Dei extrinsecam, compleat.

Beatitudo tamen est *finis hominis primario et antecedenter : pœna* vero tantum *secundario et consequenter* ad abusum libertatis a Deo intentus. Unde sit :

b) Finis hominis relative ultimus antecedenter intentus est beatitudo æterna.

Nam inprimis homo ex naturâ suâ invincibiliter aspirat ad felicitatem et quidem ad felicitatem perfectam (1) : ast omnia bona creata, hoc ipso quod finita et transitoria sunt, nunquam perfectam felicitatem constituere possunt. Ergo felicitas, ad quam homo ex naturâ suâ aspirat, est necessario bonum increatum seu Deus ; cujus fruitio sola animam hominis satiare potest. Insuper anima hominis ita constituta est, ut etiam soluta corpore semper existere et vivere possit (2) ; ast ex naturâ operis colligitur finis ab operante præfixus (n° 27 et 28) : Deus itaque animam humanam ad æternam vitam ordinavit. Idque tanto magis constat, quod anima, teste conscientiâ uniuscujusque, naturaliter avida est beatitudinis vere æternæ (3).

c) Finis hominis relative ultimus consequenter intentus est poena æterna. *Id inprimis fluit ex ipsâ essentiâ hominis.* Nam *ex una parte*, ut ait D. Thomas (4). *De ratione pœnæ est, quod voluntati repugnat*, et (5) *Pati.....*

(1) *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 2. Art. 2. Prop. 1 et 2. Pag. 231.
(2) Ibidem. Sect: I. Cap. 3. Prop. 2. Pag. 149.
(3) Ibidem. Sect. II. Cap. 2. Art. 2. Prop. 5 Prob. 1° Pag. 244.
(4) *Summ. Theol.* Part. I. Quæst. 54 Art. 3.
(5) Ibidem. Quæst. 79. Art. 2.

dicitur.... quando aliquid removetur ab eo, quod convenit sibi secundum naturam aut secundum propriam inclinationem. Unde, cum in essentiâ hominis situm sit, toto pondere ferri ad cognitionem et amorem Dei et hinc fluentem suam beatitudinem; æque in eâdem essentiâ situm erit, totum pondus pœnæ sustinere et quam maxime pati, si ab objecto illius cognitionis et amoris et hinc consequente felicitate propriâ suâ culpâ removeatur (1). — *Ex altera parte* naturæ hominis essentiale est, ratione sicut verum et bonum, ita sanctum, justum et sapiens omnesque perfectiones simplices (2) immediate apprehendere. Ergo naturæ humanæ essentialis est notitia et quasi divinatio, Deum, ut sapiens et sanctus et justus sit (3), non posse non efficaciter impellere hominem ad finis sui liberam consecutionem, hominem vero ad hanc efficaciter non impelli seu legem sibi præscriptam non sufficienter sanciri, nisi pœnâ æque æternâ ad illam implendam inclinetur ac desiderio beatitudinis æternæ (4). Ergo æternitas

(1) Id jam in hac terra se prodit aliquatenus per remorsus conscientiæ, qui plurimum hominem cruciant, etsi generatim spes veniæ et rursus adipiscendi finis sui admixta sit, et distractio mentis causata a millenis impressionibus sensuum eorum acrimoniam multum diminuat. Ast ut justior hujus pœnæ habeatur idea, tolle spem veniæ, tolle distractionem et omne objectum, quo mens destineri possit; et invenies pœnam Tantali, quamvis sub formâ mythologicâ profundam cogitationem philosophicam involvat, vix umbram esse illius pœnæ, cujus possibilitatem et notionem essentia hominis in se continet. Atque hæc quidem ex solâ ratione : adde pœnas positivas, de quibus fides nos docet, et pœna illa etiamnum maxime aggravatur.

(2) Vide *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 2. Prop. 1. Pag. 182 et seqq.

(3) Ibidem. Cap. 2. Art. 2. Prop. 3. Prob 2° — 1°-2°-3° et Prop. 5, Prob. 2ᵃPars.—2°

(4) Hinc etiam omnes populi instinctu rationali et divinatione quâdam præmia et pœnas æternas apprehendunt et unanimi consensu fatentur. Vide *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 2. Art. 2. Prop. 5. Probatur quoad utramque partem.

pænarum deducitur ex ipsâ essentiâ hominis, utpote quæ essentialiter in se et capacitatem pœnæ æternæ et notionem sanctionis legis sibi præscriptæ involvit.

Idem eruitur ex ideâ creationis. Nam ex ideâ creationis finis absolute ultimus operis adeoque etiam hominis est, divinas perfectiones in determinato gradu manifestare. Ergo homo eas necessario in eodem gradu manifestabit, quomodocunque libertate usus fuerit. Ast si pœnæ non essent æternæ, justitia Dei plus manifestata fuisset per præmia, si homo bene usus fuisset libertate, quam, si male utatur libertate, per pœnas. Itaque pœnæ æque æternæ sint oportet ac beatitudo.

32. Atque hæc de homine sive in se, sive relative spectato sufficiant. Quæ enim per revelationem solam de homine ejusque cum Deo supernaturali relatione nobis innotescunt, huc non spectant; quamvis certe verbum Dei supernaturaliter revelatum, concors cum verbo Dei revelato per naturam, philosophicis quæstionibus eam vim atque intimam quandam persuasionem addit, quam probationibus pure scientificis semper deesse nemo non dolet. Ast hæc ipsa animæ humanæ dispositio, fidei, ut secure quiescat, non minus indigæ, quam scientiæ cupidæ, probat, hominem ad credendum æque, imo magis etiam natum esse quam ad sciendum.

33. QUID EST DEUS?

Quemadmodum existentia et variæ proprietates luminis cognosci et examini subjici non possunt, nisi in, per, et cum eodem lumine, nobis noto vel immediate per actionem ejus directam in sensus nostros, vel mediate per radios luminis a corporibus reflexos : ita et existentia Dei,

et varia ejus attributa cognosci et intimius considerari non possunt, nisi in, per, et cum eodem Deo; qui vel immediate nobis innotescat (implicite sub ideâ τοῦ esse simpliciter) quà radix et ratio possibilitatis omnis cognitionis et volitionis (1); vel mediate per creaturas, quæ, utpote necessario formatæ ad similitudinem Dei, quasi radii luminis divini referunt ideas Dei et varias ejus perfectiones.

Sicut autem hominem examinavimus in se et relative spectatum, sic etiam Deum eâdem ratione considerabimus; hac tamen præmissâ animadversione, in Deo non relationem ad extra actualem, sed tantum possibilem esse essentialem, propterea quod Deo essentiale quidem sit posse creare, non autem actu creare. Unde sit breviter:

34. I. De Deo in se spectato.

Cum Deum in se spectamus, ea in ipso consideramus, quæ ipsi in omni hypothesi essentialiter actu inesse concipere necesse est; id quod brevissime perstringemus.

a) *Deus necessario existit.*

Id evincitur inprimis ex *ipsâ ideâ Dei*, sive *ut entis, quo majus concipi nequit;* si enim non existeret actu, a se et necessario, ens aliud, quod actu, a se et necessario existeret, utique majus esset: sive *ut entis necessarii*, quod si non existeret, nihil unquam existere posset (2). Idem eruitur *ex mundi* tam *existentiâ*, quæ necessario supponit

(1) Ut enim pulchre ait S. Augustin. *Super. Genes. ad litt.* VIII. Cap. 12. *Sicut aër præsente lumine fit lucidus, sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur.* Vide etiam *Psych. Rat.* Sect. II. Cap. 1. Art. 3 totum et Cap. 2. Art. 1.

(2) Vide sive hæc sive subsequentia argumenta fusius exposita in Theodiceâ locis respectivis.

causam sui existentem a se et necessario; quam *ordine*, qui exigit primum aliquem ordinantem extra ordinem ordinatorum. Tandem Dei existentiam postulant tam *consensus populorum*, qui nisi in veritate fundari nequit; quam *lex* omnibus hominibus imposita, cujus auctor necessario est anterior et superior omnibus humanis legislatoribus.

Ergo existit Deus, seu ens, quo majus concipi nequit, ast tale ens hoc ipso est.

b) *Ens unicum*. Nam non esset ens, quo majus concipi nequit, nisi ab hoc *solo* omnia necessario dependeant, et huic *soli* omnia debeant (1). *Ens immutabile*. Quia quà necessario infinite perfectum nec in melius nec in minus bonum adeoque nullatenus mutari potest. *Ens immensum*. Quia secus perfectius concipi posset, quod nempe non indigeat moveri loco, ut omnibus præsens esse possit; et demum *Ens æternum*. Siquidem quà ens necessarium nec initium nec finem, et quà ens immutabile nullas successiones habere potest. Ergo necessario habet intellectum et voluntatem omnia unico actu intuentem, et quæ vult, volentem, seu vitam totam simul et interminabilem i. e. æternitatem.

35. II. De Deo relative spectato.

Cum Deum relative spectamus, ea in ipso consideramus, quæ relationem aliquam sive possibilem sive actualem in suo conceptu involvunt, uti intelligere et velle divinum. Unde

a) *Deus est intelligens*. Id eruitur sive ex homine intelligente, sive ex ordine et conformatione mundi, quæ, a

(1) Vide pro hoc attributo et pro subsequentibus locos respectivos in Theodicea, ubi multa alia argumenta pro illis probandis afferuntur.

Deo creata, supponunt infinitam in Deo intelligentiam. Ast infinita intelligentia non potest esse in potentiâ, unde intelligentia divina est actus purus, i. e. actus omnia, quæcunque cognoscibilia sunt, sub omni respectu cognoscibilitatis suæ immediate intuens. Jam vero non solum possibilia, sed etiam futura, sive absolute sive sub hypothesi futura sint, imo et futura libera, sub ipso etiam respectu libertatis, sunt cognoscibilia, cum secus etiam a nobis non possent distingui. Ergo Deus eodem actu intelligentiæ illa etiam cognoscit. Eadem ratione probatur:

b) *Deus est volens.* Nam et voluntas in homine et opus creationis, utpote liberum, supponit in Deo voluntatem et quidem, utpote infinito, voluntatem quà actum purissimum et perfectissimum adeoque voluntatem liberam, utpote singula pro naturâ eorum, i. e. necessaria necessario, non necessaria non necessario seu libere volentem; voluntatem sanctam seu omnes actiones suas suæ bonitati entitativæ conformantem, et pronam ad aliorum felicitatem adeoque et justam et misericordem in creaturas a se volitas seu productas et conservatas et omnes et singulas ad fines speciales et proximos et per hos ad ulteriores et respective ultimos, et demum per respective ultimos ad finem omnibus communem seu finem absolute ultimum, i. e. gloriam Dei in determinato gradu manifestandam directas et ordinatas.

36. Hæc omnia attributa ita sibi mutuo connexa sunt, ut formaliter (distinctione rationis ratiocinatæ) tantum et relate ad effectus producendos distingui possint, in se vero et realiter identificentur et sint unica absoluta realitas seu ens simpliciter. Etenim ad providentiam, uti

ex ipso conceptu et definitione ejus eruitur; refertur necessario omnipotentia, bonitas, sanctitas, justitia et libertas; providentia autem ipsa necessario evolvitur ex intelligentiâ, quæ, utpote infinita, sit hoc ipso *a se* adeoque unica, immutabilis, immensa et æterna. Ergo in providentiâ involvitur omne id, quod pertinet ad voluntatem divinam, ipsa providentia vero in intellectu infinito, intellectus vero *in ente a se*. Atque ita pariter, a quocunque attributo incipias, simul ac illud ut infinitum mente evolvas, pervenies *ad ens a se* adeoque ad ens absolutum seu *τό esse simpliciter*, quod unico suo et simplicissimo esse omnia complectatur.

Atque hinc fit, ut ratio humana, ad veritatis cognitionem ex essentiâ suâ comparata, *τό esse simpliciter* primum immediate apprehendat occasione sensationis, dein vero varias sensationes acquirendo et hinc varios illius *τοῦ esse simpliciter* effectus cognoscendo, ipsum hoc *τό esse simpliciter* sub alio et alio respectu concipiat et sic intimam ejusdem essentiam magis magisque sibi evolvat, donec omnia in absoluto hoc esse aliquâ ratione contineri deprehendens, per claros et reflexos conceptus scientifice seu philosophice cognoscat id ipsum, quod primitus jam confuse et directe per sensum veri et quasi per modum instinctûs rationalis seu per sensum naturæ communem immediatâ quâdam apprehensione sensit.

Unde etiam intelligitur, quare profundissimæ philosophorum conceptiones cum judiciis sensûs naturæ communis consentiant, hac solum differentiâ, quod illarum veritatis ratio ultima reddi possit, hæc autem vera esse sentiantur quin tamen, cur vera sint, enuntiari queat. Atque propterea etiam sensus naturæ communis recte et vere nominari

potest criterium veritatis cujusvis systematis philosophici. Certo enim judicare poteris omne illud systema philosophicum, quod est contra sensum naturæ communem, esse falsum, sicut omne, quod cum sensu communi consentit, saltem in conclusionibus suis, etsi forte non semper in modo ad eas conclusiones perveniendi, esse verum. Nec tamen propterea sensus naturæ communis est principium certitudinis philosophicæ, vel omnino philosophicam cognitionem per se et immediate dare potest, utpote qui verum quidem apprehendit, sed non explicat, non reflexe cognoscit, non demum rationem de veritate suæ apprehensionis sibi reddit. Itaque sensus naturæ communis seu sensus veri est solum principium certitudinis naturalis; per evidentiam autem immediatam et mediatam hujus certitudinis naturalis quæritur et redditur ratio, atque hinc evidentia fit principium certitudinis reflexæ seu philosophicæ.

INDEX MATERIARUM

QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.